UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est, Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

Visual Library

Th 292

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex legato Celmi Principis Ferdinandi Epi Paderb et Monast. Anno 1683

P.IV.1.

STEPHANI BALVZII MISCELLANEORVM LIBER SECVNDVS,

Hoc est,

COLLECTIO VETERVM monumentorum quæ hactenus latuerant in variis codicibus ac bibliothecis.

Collegij Soc. Jesu Paderb.

PARISIIS
Excudebat FRANCISCVS MVGVET Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographus.

MDCLXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS PRÆFATIO AD LECTOREM.

DAMVS tibi, lector, secundum Miscellaneorum nostrorum librum, in quo primum jure meritòque locum obtinet liber Lactantij de mortibus persecutorum, nunc primùm editus ex vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ; de cujus libri præstantia, dignitate, & utilitate non opus est plura dicere in præsentiarum, cùm abundè huic argumento satisfactum sit in Notis ad illum nostris. Sequitur postea fragmentum de extremo judicio, quod invenimus in codice 1095. ejusdem bibliothecæ subjunctum libro septimo institutionum & ante librum de ira Dei. Ex quo nos collegimus illud etiam esse Lactantij.

Huic libro adjunximus vetusta quorundam martyrum acta, ævi præsertim Diocletianei; quorum nonnulla nunc primùm edun-

tur ex antiquis libris ejuſdem bibliothecæ; reliqua, quæ antehac vulgata fuerant, ſic emendantur ut verè dici poſſint nunc primùm edita. Secuti autem in hoc ſumus clariſſimorum ac doctiſſimorum virorum judicium, qui nobis auctoritate ſua, qua plurimùm apud nos valent, perſuaſerunt ut hæc martyrum acta conjungeremus cum libro Lactantij. Erunt, ut putamus, iſta omnia acceptiſſima ſtudioſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ, in quorum præcipuè gratiam ſuſcepimus hunc laborem.

In collectione veterum epiſtolarum quam heic damus, is ordo ſervatus eſt ut antiquiores præcederent, recentiores ſubſequerentur. In initio ponitur epiſtola Gregorij IV. Papæ de dignitate & privilegiis monaſterij Floriacenſis, quam nobis exhibuerunt ſchedæ doctiſſimi viri Iacobi Sirmondi; in qua illud obſervandum eſt, primum locum inter Abbates Gallicanos tribui Floriacenſi ob reverentiam corporis ſancti Benedicti. Si conſtaret de veritate & antiquitate privilegij quod Zacharias Papa conceſſiſſe dicitur monaſterio Caſinenſi, fas foret exiſtimare Gregorium preſſiſſe veſtigia deceſſoris ſui Zachariæ, qui decreviſſe legitur *ut ſupradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia præcellat omnia monaſteria quæ conſtituta vel conſtituenda ſunt in toto orbe terrarum, Abbaſque ejuſdem loci celſior & celebrior exiſtat*

omnibus Abbatibus eandem regulam tenentibus, illicque lex monastici ordinis caput teneat ac principatum ubi ejusdem legis descriptor Benedictus pater sanctissimus eandem describens promulgavit regulam, ibique Abbates & monachi honorem ac reverentiam deferant, & ibi usque ad diem judicij quærant rectorem ubi monachorum universalis magister & doctor Benedictus pater almificus corporaliter unà cum sorore sua quiescens, glorioſæ resurrectionis diem expectat. Verùm privilegium illud suspectum visum est illustrissimo Cardinali Baronio, tum quia Indictio non congruit cum anno Pontificatus Zachariæ quo privilegium illud concessum dicitur, tum quia stylus discrepat ab aliis ejusdem Pontificis literis. Adde quòd nulla istiusmodi prærogativæ mentio extat in eorum Pontificum epistolis qui postea confirmarunt privilegia monasterij Casinensis, usque ad tempora Alexandri secundi. Eandem Zachariæ epistolam confirmavit & suæ inseruit Gregorius Papa IX. ut videre est apud Odoricum Raynaldum. Ad Floriacense privilegium quod attinet, confirmatum reperitur à sequentibus Pontificibus, ut videre est in Bibliotheca Floriacensi pag. 240. 242. Eo porrò exemplo, ut ad annum MCCXLIII. scribit Matthæus Parisius, concessum est postea Abbati sancti Albani Cantuariensis ut *sicut beatus Albanus protomartyr est Angliæ, ita & ejus Abbas primus*

sit omnium Abbatum Angliæ ordine & dignitate.

Ingens olim, & quæ magnis utrinque animis agitata est, controversia fuit inter monachos sancti Albini Andegavensis & Vindocinenses occasione Ecclesiæ sancti Clementis Credonensis, quam utrique ad suum monasterium pertinere debere contendebant. Qua de re pluribus egit laudatus suprà Sirmondus in Notis ad epistolas Goffridi Abbatis Vindocinensis. Nos quum anno MDCLXI. ad monasterium sancti Albini accessissemus in comitatu magni illius & nunquam sine laude nominandi Archiepiscopi Parisiensis Petri de Marca, veteresque membranas ejusdem monasterij excuteremus, nonnullas reperimus quas Sirmondus non viderat, ut opinor, & quæ plurima continent scitu non indigna. In illis porrò observandum in primis est quod pag. 170. dicitur Andegavensem Comitem interminando addidisse *quia si Amatus de hoc placito se ita intromitteret ut aliquo modo Vindocinenses monachi sancti Clementis Ecclesiam amitterent, procul dubio nec suus Episcopus nec suus monachus esset.* Hinc enim colligi potest celeberrimum illum Amatum Oleronensem primùm in Novempopulania Episcopum, dein Burdegalensem, qui per tot annos fuit apostolicæ sedis Legatus in Aquitania, qui tot Concilia celebrasse reperitur,

monachum fuisse. Quod etiam ex eo confirmari posse videtur quòd in literis Gebuini Lugdunensis Archiepiscopi ad Rodulfum Archiepiscopum Turonensem & ad Eusebium Episcopum Andegavensem idem Amatus, qui & Episcopus & apostolicæ sedis Legatus erat, vocatur semper *Domnus Amatus*. Sanè Petrus Diaconus in libro de viris illustribus Casinensibus cap. xx. memorat Amatum Episcopum & Casinensem monachum, quem tempore Gregorij VII. vixisse perhibet; sed Ecclesiæ nomen, cui ille præfuit, non indicat. Verùm cùm Amatus Oleronensis Episcopus legatione sedis apostolicæ ornatus fuerit ab eodem Gregorio, & missum ab urbe Roma in Aquitaniam fuisse ostendi possit ex litteris de legatione ejus, conjectura non levi certè neque contemnenda ducor ad suspicandum illum non esse diversum ab eo qui fuit monachus Casinensis.

Habuerunt paulò pòst Vindocinenses alteram controversiam cum Canonicis B. Mariæ de Bosco, quibus auferre nitebantur Ecclesiam sancti Nicolai Credonensis. Pervicax illud Vindocinensium studium movit Vlgerium Andegavensem Episcopum ut gravissimam & elegantissimam relationem pro Canonicis illis mitteret ad Innocentium II. Romanum Pontificem; quam quum inveniissemus inter schedas clarissimi viri

Claudij Menardi Andegavensis, dignam arbitrati sumus quæ in manus eruditorum veniret. Addidimus autem vetera Ecclesiæ B. Mariæ monumenta quorum mentio est in relatione Vlgerij, quæ reperta sunt in chartulario ejusdem Ecclesiæ.

Supervacaneum esset plura dicere de variis epistolis ac chronicis quæ in hoc secundo Miscellaneorum nostrorum libro continentur, cùm quivis per se satis intelligere possit quid utilitatis hinc capi possit. His utere, lector, & librum tertium propediem expecta. Vale.

ELENCHVS

eorum quæ in hoc volumine continentur.

LVCII Cæcilij Firmiani Lactantij liber de persecutione, sive de mortibus persecutorum. pag. 1.

Ex codice 1297. bibliothecæ Colbertinæ.

Ejusdem fragmentum de extremo judicio. pag. 46.

Ex codice 1095. ejusdem bibliothecæ.

Passio sancti Savini Episcopi Assisinatis. pag. 47.

Ex codice 18. ejusdem bibliothecæ.

Passiones sanctorum Saturnini, Dativi, & sociorum. pag. 56.

Ex codice 930. ejusdem bibliothecæ.

Passio sancti Felicis Episcopi Tubyzacensis. pag. 77.

Ex codicibus 59. 316. 401. 930. ejusdem bibliothecæ.

Gesta purgationis Felicis Episcopi Aptungitani. pag 81.

Quibus subjuncta est epistola Constantini Imperatoris ad Probianum Proconsulem Africæ. pag. 89.

Gesta purgationis Cæciliani Episcopi Carthaginensis. pag. 91.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ Thuanæ.

Passio sanctarum Seraphiæ & Sabinæ. pag. 106.

Ex codice 316. bibliothecæ Colbertinæ.

Passio sanctæ Mariæ martyris ancillæ Tertulli. pag. 115.

Ex codice 184. ejusdem bibliothecæ.

Passio sancti Pontij martyris, auctore Valerio ejus contubernali. pag. 124.

Ex codicibus 53. 184. & 675. ejusdem bibliothecæ.

Vita sancti Eusebij Presbyteri Romani. pag. 141.

Ex codicibus 53. 316. & 675. ejusdem bibliothecæ.

Veteres litaniæ Eccleſiæ Bellovacenſis. pag. 143.
Ex veteri codice MS. ejuſdem Eccleſiæ.
Gregorij Papæ IV. epiſtola ad Epiſcopos & alios Dei fideles per Galliam conſtitutos, de dignitate & privilegiis monaſterij Floriacenſis. pag. 145.
Ex ſchedis clariſſimi viri Iacobi Sirmondi.
Præceptum Lotharij Regis fratris Karoli quod fecit Eccleſiæ ſancti Stephani Lugdunenſis. pag. 149.
Karoli III. Imp. præceptum pro Eccleſia Lugdunenſi, datum ad deprecationem Liutardi Epiſcopi Vercellenſis & Bernardi Marchionis. pag. 150.
Præceptum Ludovici Regis quod fecit Eccleſiæ ſancti Stephani Lugdunenſis. pag. 153.
Præceptum Ludovici Regis quod facit Yſaac Gratianopolitano Epiſcopo & ſucceſſoribus ejus. pag. 156.
Brevis de conſuetudine ſancti Donati. pag. 158.
Ex chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.
Formoſi Papæ epiſtola ad Bernonem Abbatem Gigniacenſem. pag. 159.
Rodulfi Regis Burgundiæ præceptum pro monaſterio Gigniacenſi. pag. 161.
Ex ſchedis clariſſimi viri Iacobi Sirmondi.
Concordia de Eccleſia ſancti Clementis Credonenſis inter monachos ſancti Albini Andegavenſis & Vindocinenſes, facta apud Carnotum anno Chriſti MLXXII. pag. 163.
Narratio quomodo cùm eadem controverſia poſtea recruduiſſet inter eoſdem monachos, Vrbanus II. Papa novæ inter eos concordiæ auctor fuit. pag. 164.
Alia narratio de eadem controverſia, & de judicio Amati Archiepiſcopi Burdegalenſis apoſtolicæ ſedis Legati. pag. 168.
Paſchalis II. Papæ epiſtola ad Archembaldum

Abbatem sancti Albini Andegavensis, qua confirmat judicium Vrbani II. de concordia inita inter monachos sancti Albini & Vindocinenses: pag. 174.

Charta de controversia & de bello quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope Peregrinam. pag. 175.

Ex veterrimis membranis sancti Albini Andegavensis.

Privilegium Vrbani Papæ II. de Ecclesia Gratianopolitana. pag. 177.

Ex chartulario Ecclesiæ Gratianopolitanæ.

Ejusdem epistola ad Petrum Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Ruthenensis. pag. 179.

Ex archivo eiusdem Ecclesiæ.

Paschalis II. Papæ epistola ad Clericos Ecclesiæ Parisiensis, qua eis commendat eorum Episcopum Galonem. pag. 182.

Ex chartulario Archiepiscopi Parisiensis.

Ejusdem epistolæ de monasterio Semichensi in Hungaria, ad Hugonem Abbatem monasterij sancti Ægidij in Septimania. pag. 183.

Ex archivo monasterij sancti Ægidij.

Ludovici VI. Francorum Regis præceptum de libertate testandi & bellandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis. pag. 185.

Paschalis II. Papæ epistola, qua pondus apostolicæ auctoritatis addit superioribus Ludovici litteris. pag. 188.

Ex chartulario Archiepiscopi Parisiensis.

Ejusdem Paschalis epistola ad Ioannem Priorem Ecclesiæ beati Petri de Valeriis in Septimania. pag. 189.

Calliſti II. Papæ epistola ad Berengarium Abbatem monasterij Crassensis in Septimania. pag. 192.

Ejusdem epistola ad illustrem feminam Iussolinam & filios ejus, ejusdem argumenti cum superiore. pag. 193.

Ex archivo monasterij Crassensis in Septimania.

Ejusdem bulla de privilegiis monasterii sanctæ Mariæ Iosaphat in diœcesi Carnotensi. pag. 194.

Ex archivo ejusdem monasterij sanctæ Mariæ.

Ejusdem epistola ad Marbodum Episcopum Redonensem. pag. 196.

Ex veteri codice MS. monasterij sancti Sergij Andegavensis.

Ejusdem epistola ad Girbertum Episcopum & Canonicos Parisienses. pag. 196.

Ex chartulario Archiepiscopi Parisiensis.

Ollegarij Archiepiscopi Tarraconensis epistola adRaimundum Episcopum Ausonensem suffraganeum suum, qua ejus consultationi respondet. pag. 197.

Ex veteri codice MS. qui fuit olim illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis.

Innocentij II. Papæ epistola ad Vlgerium Episcopum Andegavensem. pag. 198.

Ex chartulario Ecclesiæ sancti Licinij Andegavensis.

Vlgerij Episcopi Andegavensis relatio ad Innocentium II. Papam pro monasterio Rotensi adversùs monachos Vindocinenses. pag. 200.

Ex schedis clarissimi viri Claudij Menardi Andegavensis.

Innocentij II. Papæ epistola ad Robertum Abbatem sanctæ Mariæ de Rota. pag. 209.

De primo dono Ecclesiæ sancti Nicolai de Credone. pag. 212.

Paschalis II. privilegium de eodem dono sancti Nicolai. pag. 213.

Fundatio Ecclesiæ S. Mariæ de Rota. pag. 214.

Ex chartulario abbatiæ S. Mariæ de Rota in diœcesi Andegavensi.

Acta concordiæ initæ inter Canonicos Ruthenenſes & Monachos Maſſilienſes ſuper Eccleſia ſancti Amantij & ſepultura civium Ruthenenſium. pag. 216.

Bulla Lucij II. Papæ confirmantis ſuperiorem tranſactionem. pag. 218.

Ex archivo Eccleſiæ Ruthenenſis.

Alphonſi Regis Portugalliæ epiſtola ad Lucium II. Papam, qua regnum ſuum Romanæ Eccleſiæ tributarium conſtituit. pag. 220.

Lucij II. Papæ reſponſoria. pag. 221.

Ex codice 360. bibliothecæ Colbertinæ.

Eugenij III. epiſtola ad Petrum Regenſem & Bertrandum Forojulienſem Epiſcopos. pag. 222.

Ex codice 764. ejuſdem bibliothecæ.

Bulla Adriani IV. qua confirmat ordinationem factam de Eccleſiis ſanctæ Genovefæ. pag. 223.

Ex chartulario Archiepiſcopi Pariſienſis.

Ejuſdem epiſtola adversùs Gaufredum Comitem Ruſcinonenſem. pag. 224.

Ex archivo regio Barcinonenſi.

Litteræ Ermengaudi Comitis Vrgellenſis, quibus abdicat conſuetudinem capiendi bona Epiſcoporum defunctorum. pag. 225.

Ex archivo regio Fuxenſi.

Epiſtolæ duæ Alexandri III. pro Guinardo Comite Ruſcinonenſi. pag. 227.

Ex archivo regio Barcinonenſi.

Henrici Archiepiſcopi Remenſis epiſtola increpatoria ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ in cauſa Drogonis Cancellarij Noviomenſis. pag. 228.

Ejuſdem epiſtola ad Alexandrum III. de eodem argumento. pag. 230.

Reſponſoria Alexandri III. Papæ ad ſuperiorem epiſtolam. pag. 231.

Ex ſchedis clariſſimi viri Iacobi Sirmondi.

Ejusdem Alexandri epistola ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Parisiensis, de residentia Canonicorum forinsecorum. pag. 233.

Ex chartulario Ecclesiæ Parisiensis.

Nicolai monachi Clarevallensis epistola ad Henricum Comitem Campaniæ. pag. 234.

Ejusdem epistola ad VVillelmum Archiepiscopum Remensem. pag. 237.

Ex schedis clarissimi viri Iacobi Sirmondi.

Acta concordiæ initæ inter Auscitanam & Cæsaraugustanam Ecclesias occasione Ecclesiæ Alagonensis. pag. 239.

Ex veteri membrana MS. Ecclesiæ Auscitanæ.

Cælestini III. epistola de translatione Berengarij Episcopi Ilerdensis ad metropolim Narbonensem. pag. 241.

Ex archivo Ecclesiæ Narbonensis.

Epistola I. Episcopi Lyddensis ad magistrum Michaelem Decanum Ecclesiæ Parisiensis & electum Patriarcham Hierosolymitanum. pag. 242.

Ex schedis clarissimi viri Iacobi Sirmondi.

Litteræ Capituli Remensis ad Abbatem Clarevallensem, qui est in Episcopum electus. pag. 245.

Ex codice 1822. bibliothecæ Colbertinæ.

Mandata Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis data ab Hugolino Episcopo Ostiensi pro conservanda pace cum Nimphanis & Sitinis. pag. 248.

Ex codice 635. ejusdem bibliothecæ.

Alphonsi Regis Castellæ epistola ad Philippum Augustum Francorum Regem, qua ab eo petit auxilium adversùs Sarracenos. pag. 251.

Ex veteri codice MS. monasterij de Iardo in diœcesi Senonensi.

Honorij III. epistola ad Raimundum Rogerium Comitem Fuxensem. pag. 252.

Ex archivo regio Fuxensi.

Ejusdem epistola ad Amalricum Comitem Tolosanum. pag. 254.
Ejusdem epistola ad Ludovicum VIII. Francorum Regem. pag. 255.
Ex archivo regio Carcassonensi.
Epistola cujusdam historica de victoriis Regis Davidis in oriente. pag. 258.
Ex codice 635. bibliothecæ Colbertinæ.
Litteræ Philippi Pulchri Francorum Regis de sublevanda inopia Matthæi Episcopi Dunkeldensis in Scotia. pag. 263.
Ex libro rubeo Cameræ Computorum Paris.
Litteræ Benedicti XII. de pravis moribus Clericorum Ecclesiæ Narbonensis. pag. 263.
Ex archivo ejusdem Ecclesiæ.
Arnaldi Cescomitis Archiepiscopi Tarraconensis epistolæ duæ de Sarracenis ab Hispania pellendis. pag. 267.
Ex veteri codice Tarraconensi MS.
Balduini de Luxemburgo Archiepiscopi Trevirensis litteræ de confœderatione facta cum Philippo VI. Francorum Rege. pag. 271.
Ex codice 452. bibliothecæ Colbertinæ.
Ludovici IV. Bavari Imp. submissio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV. pag. 272.
Ex codice 753. ejusdem bibliothecæ.
Errores sectæ hominum intelligentiæ, & processus factus contra fratrem Vvillelmum de Hildenissem Carmelitam per Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem anno Christi MCCCCXI. pag. 277.
Ex veteri codice MS. Collegij Navarrici Parisiensis.
Historia Monasterij Figiacensis in diœcesi Cadurcensi. pag. 298.
Ex veteri codice MS. ejusdem monasterij.

Chronicon Floriacense. pag. 303.
Ex veteri codice MS. bibliothecæ regiæ.
Chronicon Cremonense. pag. 307.
Ex alio veteri codice MS. ejusdem bibliothecæ.
De Majori-monasterio & Abbatibus ejus. pag. 308.
Ex codice 1058. *bibliothecæ Colbertinæ.*
Chronicon breve monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi. pag. 309.
Ex veteri codice MS. ejusdem monasterij.
Chronicon Savigniacense. pag. 310.
Ex codicibus 1050. *&* 1058. *bibliothecæ Colbertinæ.*
Collectio locorum quorundam insignium consilio omissorum in libro sexto Rerum Sicanicarum Maurolyci Abbatis. pag. 323.
Ex autographo Maurolyci, quod extat in codice 1823. *bibliothecæ Colbertinæ.*
Stephani Baluzij Notæ ad Lactantium. pag. 347.
Ejusdem Notæ ad Acta martyrum. pag. 463.

STEPHANI BALVZII MISCELLANEORVM LIBER SECVNDVS.

LVCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

Liber ad Donatum Confessorem de mortibus persecutorum.

AVDIVIT Dominus orationes tuas, Donate carissime, quæs in conspectu ejus per omnes horas tota die fundis, ceterorumque fratrum nostrorum qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei suæ meritis quæsierunt. Ecce addetur his omnibus adversarius; & restituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Ecclesia rursum exsurgit, & majore gloria templum Dei, quod ab impijs fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes qui tyrannorum nefaria & cruenta imperia rescinderunt, humano generi providerunt, ut jam quasi discusso transacti temporis

nubilo mentes omnium pax jocunda & ſerena lætificet. Nunc poſt tantæ tempeſtatis violentos turbines placidus aër & optata lux refulſit. Nunc placatus ſervorum ſuorum Deus jacentes & afflictos cæleſti auxilio ſublevavit. Nunc mœrentium lacrymas, extincta impiorum conſpiratione, deterſit. Qui adverſati erant Deo jacent ; qui templum ſanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui juſtos excarnificaverant, cæleſtibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt. Diſtulerat enim pœnas eorum Deus ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus & poſteri diſcerent & Deum eſſe unum & eundem mortem digna ultione ſuperbis & impiis ac perſecutoribus inrogare. De quo exitu..... teſtificari placuit , ut omnes qui procul moti fuerunt , vel qui p..... turi ſunt, ſcirent quatenus virtutem ac majeſtatem ſuam in ..... dis delendiſque nominis ſui hoſtibus Deus ſummus oſtenderet..... eſt, ſi à principio ex quo eſt Eccleſia conſtituta qui fuerint auctores... ..... & quibus pœnis in eos cæleſtis judicis ſeveritas vindicaverit exponam.

II. Extremis temporibus Tiberii Cæſaris , ut ſcriptum legimus , Dominus noſter Ieſus Chriſtus à Iudæis cruciatus eſt poſt diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis Conſulibus, cùm reſurrexiſſet die tertio, congregavit diſcipulos quos metus comprehenſionis ejus in fugam verterat, & diebus quadraginta cum his commoratus , aperuit corda eorum , & ſcripturas interpretatus eſt, quæ uſque ad id tempus obſcuræ atque involutæ fuerunt. Ordinavitque eos & inſtruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ ſuæ, diſponens teſtamenti novi ſolemnem diſciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, & ſubtractum oculis hominum rapuit in cælum. Et inde

discipuli, qui tunc erant undecim, assumptis in locum Iudæ proditoris Matthia & Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, & per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cùmque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cùm animadverteret non modò Romæ sed ubique cotidie magnam multitudinem deficere à cultu idolorum & ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste templum delendamque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit. Nec tamen abiit impune. Respexit enim Deus vexationem populi sui. Dejectus itaque fastigio imperij, ac devolutus à summo tyrannus impotens, nusquam repentè comparuit, ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. Vnde illum quidam deliri credunt esse translatum ac vivum reservatum, Sibylla dicente matricidam profugum à finibus esse venturum, ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur & antichristi præcedat adventum .. nefas est credere, sicut duos Prophetas vivos esse translatos in ultima .... initium Christi sanctum ac sempiternum, cùm descendere cœperit ..... pronuntiant, eodem modo etiam Neronem venturum putant ..... cursor diaboli ac prævius sit venientis ad vastationem terræ & humani generis eversionem.

III. Post hunc, interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus est ; qui cùm exerceret invisam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit quàm diutissimè, tutusque regnavit, donec impias manus adversùs Dominum tenderet. Postquam verò ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. Nec satis ad ultionem fuit quòd est interfectus domi. Etiam memoria nominis ejus erasa est. Nam cùm multa mirabilia opera fabricasset, cùm capitolium aliaque nobilia monumenta feciſſet, senatus ita nomen ejus persecutus est ut neque imaginum neque titulorum ejus relinqueret ulla vestigia, gravissimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam sempiternam. Rescissis igitur actis tyranni, non modò in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multò clariùs ac floridiùs enituit ; secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa ; manus suas in orientem occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus quò non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens ut non suscepto Dei cultu ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

IV. Extitit enim post annos plurimos execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam nisi malus persequatur ? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit ut protinus caderet. Nam profectus adversùm Carpos, qui tum Daciam Mœsiámque occupaverant, statimque circumventus à barbaris, & cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit hono-

rari ; sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V. Non multò pòst Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere adfecit, ut esset posteris documentum adversarios Dei sæpe dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus à Persis, non modò imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam cæteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissimè. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere, & impositò pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissimè triumphatus, aliquandiu vixit ut diù barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quòd cùm filium haberet Imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea verò quàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentui, ne nimiùm Romani viribus suis fiderent, cùm exuvias capti Principis apud deos suos cernerent. Cùm igitur tales pœnas de sacrilegis Deus exegerit, nonne mirabile est ausum esse quemquam postea non modò facere sed etiam cogitare adversùs majestatem singularis Dei regentis & continentis universa?

VI. Aurelianus, qui esset natura væsanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani memi-

nisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verùm illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus. Talibus & tot exemplis coërceri posteriores tyrannos oportebat. At hi non modò territi non sunt, sed audaciùs etiam contra Deum confidentiùsque fecerunt.

VII. Diocletianus, qui scelerum inventor & malorum machinator fuit, cùm disperderet omnia, nec à Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terræ simul & avaritia & timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit, in quatuor partes orbe diviso, & multiplicatis exercitibus, cùm singuli eorum longè majorem numerum militum habere contenderent quàm priores Principes habuerant cùm soli rem publicam gererent. Adeo major esse cœperat numerus accipientium quàm dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum, desererentur agri & culturæ verterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides & plura officia singulis regionibus ac penè jam civitatibus incubare, item rationales multi & magistri & vicarij Præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantùm & proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, sed perpetuæ, & in exactionibus injuriæ non ferendæ. Hæc quoque tolerari possunt quæ ad exhibendos milites spectant. Idem insatiabili avaritia thesauros nunquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes ac largitiones

congerebat, ut ea quæ recondebat integra atque inviolata ſervaret. Idem cùm variis iniquitatibus immenſam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium ſtatuere conatus eſt. Tunc ob exigua & vilia multus ſanguis effuſus, nec venale quicquam metu apparebat, & caritas multò deteriùs exarſit, donec lex neceſſitate ipſa poſt multorum exitium ſolveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis & artificibus & plauſtris omnibus quæcunque ſint fabricandis operibus neceſſaria. Hic baſilicæ, hic circus, hic moneta, hic armorum fabrica; hic uxori domus, hic filiæ. Repentè magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quaſi urbe ab hoſtibus capta. Et cùm perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum, Non rectè facta ſunt, aiebat, alio modo fiant. Rurſus dirui ac mutari neceſſe erat, iterum fortaſſe caſura. Ita ſemper dementabat, Nicomediam ſtudens urbi Romæ coæquare. Iam illud prætereo, quàm multi perierint poſſeſſionum aut opum gratia. Hoc enim uſitatum & ferè licitum conſuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quòd ubicunque cultiorem agrum viderat aut ornatius ædificium, jam parata domino calumnia & pœna capitalis, quaſi non poſſet rapere aliena ſine ſanguine.

VIII. Quid frater ejus Maximianus, qui eſt dictus Herculius, non diſſimilis ab eo? Nec enim poſſent in amicitia tam fideli cohærere niſi eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua ſententia. Hoc ſolùm differebant, quòd avaritia minori altero fuit plus, majori verò minùs, ſed plus timiditatis, plus verò animi, non ad bene faciendum, ſed ad malè. Nam cùm ipſam imperij ſedem teneret Italiam, ſubjacerentque opulentiſſi-

mæ provinciæ vel Africa vel Hiſpania, non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia ſuppetebat. Et cùm opus eſſet, non deerant locupletiſſimi ſenatores qui ſubornatis indiciis affectaſſe imperium dicerentur, ita ut effoderentur aſſiduè lumina ſenatus. Cruentiſſimus fiſcus malè partis opibus affluebat. Iam libido in homine peſtifero, non modò ad corrumpendos mores, quod eſt odioſum ac deteſtabile, verùm etiam ad violandas primorum filias. Nam quacunque iter fecerat, avulſæ à conſpectu parentum virgines, ſtatim præſto. His rebus beatum ſe judicabat; his conſtare felicitatem imperij ſui putabat, ſi libidini & cupiditati malæ nihil denegaret.

Conſtantium prætereo, quoniam diſſimilis ceteterorum fuit, dignuſque qui ſolus orbem teneret.

IX. Alter verò Maximianus, quem ſibi generum Diocletianus aſciverat, non his duobus tantùm quos tempora noſtra ſenſerunt, ſed omnibus qui fuerunt malis pejor. Inerat huic beſtiæ naturalis barbaries, efferitas à Romano ſanguine aliena. Non mirum, cùm mater ejus Tranſdanuviana infeſtantibus Carpis in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, ſtatu celſus, caro ingens & in horrendam magnitudinem diffuſa & inflata. Denique & verbis & actibus & aſpectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrimè. Cujus timoris hæc fuit cauſa. Narſeus Rex Perſarum concitatus domeſticis exemplis avi ſui Saporis, ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat. Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticuloſus animique disjectus, ſimul & exemplum Valeriani timens, non auſus eſt obviam tendere, ſed hunc per Armeniam miſit, ipſe in oriente ſubſiſtens & aucupans exitus rerum. Ille inſidiis ſuis barbaros, quibus mos eſt cum omnibus ſuis

ad bellum pergere, multitudine impeditos & sarcinis occupatos non difficiliter oppressit; fugatoque Narseo Rege, reversus cum præda & manubiis ingentibus, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est ut jam detractaret Cæsaris nomen. Quod cùm in litteris ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: Quousque Cæsar? Exinde insolentissimè agere cœpit, ut ex Marte se procreatum & videri & dici vellet, tamquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem stupro infamare, ut ipse diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quàm nomen Imperatoris accepit, exuto socero, tum demum furere cœpit & contemnere omnia. Diocles enim ante imperium vocabatur. Cùm rem publicam talibus consiliis & talibus sociis everteret, cùm pro sceleribus suis nihil non mereretur, tamdiu tamen summa felicitate regnavit quandiu manus suas justorum sanguine non inquinaret. Quam verò causam persequendi habuerit, exponam.

X. Cùm ageret in partibus orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cùm adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant; & quasi non litassent, sæpius immolabant. Verùm identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait idcirco non respondere sacra quòd rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens sacrificare non eos tantùm qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, & in eos, si detractassent, verbe-

ribus animadverti; datisque ad Præpositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus & ira processit, nec amplius quicquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore in Bithyniam venit hyematum; eodemque tum Maximianus quoque Cæsar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc causam fuisse cognovi.

XI. Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quæ cùm esset dapibus sacrificabat penè cotidie, ac vicariis suis epulis exhibebat. Christiani abstinebant; & illa cum gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversùs eos, ac filium suum non minùs superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hyemem consilio, cùm nemo admitteretur, & omnes de summo statu rei publicæ tractari arbitrarentur, diù senex furori ejus repugnavit, ostendens quàm perniciosum esset inquietari orbem terræ, fundi sanguinem multorum. illos libenter mori solere. satis esse, si palatinos tantùm ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis insaniam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ. Cùm bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur. Cùm autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in consilium multos advocabat, ut aliorum culpæ ascriberetur quicquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversùs Christianos odio inimicos deorum & hostes religionum publica-

rum tollendos esse censuerunt, & qualiter sentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes vel gratificari volentes in eandem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est Imperator ut accommodaret assensum, sed deos potissimùm consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille ut divinæ religionis inimicus. Traductus est itaque à proposito. Et quoniam nec amicis nec Cæsari nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus est ut eamrem sine sanguine transigi juberet, cùm Cæsar vivos cremari vellet qui sacrificio repugnassent.

XII. Inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix, ac potissimùm Terminalia deliguntur, quæ sunt ad septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus imponeretur huic religioni. Ille dies primus leti primusque malorum causa fuit quæ & ipsis & orbi terrarum acciderunt. Qui dies cùm illuxisset, agentibus consulatum senibus ambobus octavum & septimum, repentè adhuc dubia luce ad Ecclesiam profectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit; & revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi verò in speculis (in alto enim constituta Ecclesia ex palatio videbatur) diù inter se concertábant utrum ignem potiùs supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur prætoriani acie structa cum securibus & aliis ferramentis; & immissi undique, tamen illud editissimum paucis horis solo adæquarunt. Virg. 4. Æneid.

XIII. Postridie propositum est edictum quo cavebatur ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis subjecti essent ex

quocunque ordine aut gradu venirent, adversùs eos omnes actio caleret, ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non rectè, magno tamen animo diripuit & conscidit, cùm irridens diceret victorias Gothorum & Sarmatarum præpositas. Statimque productus, non modò extortus, sed etiam legitimè coctus, cum admirabili patientia postremò exustus est.

XIV. Sed Cæsar non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cùm pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. illos consilio cum eunuchis habito de extinguendis Principibus cogitasse, duos Imperatores domi suæ penè vivos esse combustos. Diocletianus verò, qui semper se volebat videri astutum & intelligentem, nihil potuit suspicari; sed ira inflammatus, excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique qui erant in palatio magistri, data potestate torquebant. Erant certantes quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur; quippe cùm familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse & instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est. Sed celeriùs animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar medio hyemis profectione parata prorupit, eodem die contestans fugere se ne vivus arderet.

XV. Furebat ergo Imperator jam non in domesticos tantùm, sed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam conjugemque Priscam sacrificio

pollui coëgit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipse antè constabat. Comprehensi Presbyteri ac ministri, & sine ulla probatione ad confessionem damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur domestici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Necminùs in ceterum populum persecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; & ne cui temerè jus diceretur, aræ in secretariis ac pro tribunali positæ, ut litigatores priùs sacrificarent, atque ita causas suas dicerent. sic ergo ad judices tamquam ad deos adiretur. Et jam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius, ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

XVI. Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. Non mihi si linguæ centum, oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina possem quæ judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Verùm quid opus est illa narrare, præcipuè tibi, Donate carissime, qui præter ceteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus es? Nam cùm incidisses in Flaccinum Præfectum, non pusillum homicidam,

Virgil. 6. Æneid.

deinde in Hieroclem ex Vicario Præsidem, qui auctor & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremò in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium glorioſa confessione vicisti. Novem præliis zabulum cum satellitibus suis debellasti, novem victorijs seculum cum suis terroribus triumphasti. Quàm jocundum illud spectaculum Deo fuit cùm victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimùm triumphatores currui tuo subjugantem? Hic est verus triumphus cùm dominatores dominantur. Victi enim tua virtute ac subjugati sunt, quandoquidem nefanda jussione contempta, omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ potestatis fide stabili & robore animi profligasti. Nihil adversùs te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc est esse discipulum Dei, hoc est militem Christi, quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris cælestibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique post illas novem glorioſissimas pugnas, quibus à te zabulus victus est, non est ausus ulteriùs congredi tecum, quem tot præliis expertus est non posse superari. Et cùm tibi parata esset victrix corona, desijt ampliùs provocare, ne jam sumeres. quam licet non acceperis in præsenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis & meritis in regno Dei reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

XVII. Hoc igitur scelere perpetrato Diocletianus, cùm jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebra-

ret, qui erat futurus ad duodecimum Kalendas Decembres. Quibus solemnibus celebratis, cùm libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens & æger animi prorupit ex urbe impendentibus Kalendis Ianuarijs, quibus illi nonus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit ut Romæ potiùs quàm Ravennæ procederet Consul. Sed profectus hyeme, sæviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit; vexatúsque per omne iter, lectica plurimùm vehebatur. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ strigæ Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente. Quodcunque se premi videret, prolatus est tamen ut circum quem fecerat dedicaret anno post vicennalia repleto. Deinde ita langore oppressus ut per omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus luctus repentè in palatio, mœstitia & lacrymæ, judicum trepidatio, & silentium. Tota civitate jam non modò mortuum sed etiam sepultum dicebant, cùm repentè manè postridie pervagari fama quòd viveret, domesticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus donec Cæsar veniret, ne quid fortè à militibus novaretur. Quæ suspicio tantum valuit ut nemo crederet eum vivere nisi Kalendis Martijs prodisset, vix agnoscendus, quippe qui anno ferè toto ægritudine tabuisset. Et ille Idibus Decembribus morte sopitus animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

XVIII. Nec multis pòst diebus Cæsar advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Iam conflixerat nuper Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum, primùm molliter

& amicè, jam ſenem eſſe dicens, jam minùs validum & adminiſtrandæ rei publicæ inhabilem, debere illum requieſcere poſt labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui imperium Trajano tradidiſſet. Ille verò aiebat ei indecens eſſe ſi poſt tantam ſublimis faſtigij claritatem in humilis vitæ tenebras decidiſſet,& minùs tutum, quòd in tam longo imperio multorum ſibi odia quæſiſſet. Nerva verò uno anno imperante, cùm pondus & curam tantarum rerum vel ætate vel inſolentia ferre non quiret, abjeciſſe gubernaculum rei publicæ, atque ad privatam vitam rediſſe, in qua conſenuerat. Verùm ſi nomen Imperatoris cuperet adipiſci, impedimento nihil eſſe quo minùs omnes Auguſti nuncuparentur. At ille, qui orbem totum jam ipſe inhiaverat, cùm inde ſibi aut nihil præter nomen aut multum videbat accedere, reſpondit debere ipſius diſpoſitionem in perpetuum conſervari, ut duo ſint in re publica majores, qui ſummam rerum teneant, item duo minores, qui ſint adjumento. inter duos facilè poſſe concordiam ſervari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipſe cedere noluiſſet, ſe ſibi conſulturum, ne ampliùs minor & extremus eſſet. Iam fluxiſſe annos quindecim in Illyricum vel ad ripam Danuvij relegatus cum gentibus barbaris luctaret, cùm alij intra laxiores & quietiores terras delicatè imperarent. His auditis ſenex languidus, qui jam Maximiani ſenis litteras acceperat ſcribentis quæcunque locutus fuiſſet, & didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus, Fiat, inquit, ſi hoc placet. Supererat ut communi conſilio omnium Cæſares legerentur. Quid opus eſt conſilio, cùm ſit neceſſe illis duobus placere quicquid nos fecerimus. Ita planè. Nam illorum filios nuncupari neceſſe eſt. Erat autem Maximiano [filius] Maxentius, hujus ipſius Maximiani gener, homo pernicioſæ ac malæ mentis, adeo ſuperbus & contumax ut neque patrem neque

neque ſocerum ſolitus ſit adorare. Et idcirco utrique inviſus fuit. Conſtantio quoque filius erat Conſtantinus, ſanctiſſimus adoleſcens, & illo faſtigio digniſſimus, qui inſigni & decoro habitu corporis, & induſtria militari, & probis moribus, & comitate ſingulari, à militibus amaretur, à privatis & optaretur. Eratque tunc præſens, jampridem à Diocletiano factus Tribunus ordinis primi. Quid ergo fiet? Ille, inquit, dignus non eſt. Qui enim me privatus contempſit, quid faciet cùm imperium acceperit? Hic verò & amabilis eſt & ita imperaturus ut patre ſuo melior & clementior judicetur. Ita fiet ut ego non poſſim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari qui ſint in mea poteſtate, qui timeant, qui nihil faciant niſi meo juſſu. Quos ergo faciemus? Severum, inquit. Illumne ſaltatorem, temulentum, ebrioſum, cui nox pro die & dies pro nocte? Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter præbuit; & eum miſi ad Maximianum, ut ab eo induatur. Eſto. Alterum quem dabis? Hunc, inquit, oſtendens Daiam aduleſcentem quendam ſemibarbarum, quem recens juſſerat Maximinum vocari de ſuo nomine. Iam & ipſi Diocletianus nomen ex parte mutaverat hominis cauſa, quia Maximianus fidem ſumma religione præſtabat. Quis eſt hic quem mihi offers? Meus, inquit, affinis. At ille gemebundus, Non, inquit, eos homines mihi das quibus tutela rei publicæ committi poſſit. Probavi eos, inquit. Tu videris, qui regimen imperij ſuſcepturus es. Ego ſatis laboravi & providi quemadmodum me imperante res publica ſtaret incolumis. Si quid acceſſerit adverſi, mea culpa non erit.

XIX. Cùm hæc eſſent conſtituta, proceditur Kalendis Maiis. Conſtantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi & acciti ex legionibus, in hunc

unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad milia ferè tria, in cujus ſummo Maximianus ipſe purpuram ſumpſerat; & ibi columna fuerat erecta cum Iovis ſigno. Eò pergitur. Concio militum convocatur. Inquit ſenex cum lacrymis, alloquitur milites ſe invalidum eſſe, requiem poſt labores petere, imperium validioribus tradere, alios Cæſares ſubrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repentè pronuntiat Severum & Maximinum Cæſares. Obſtupefiunt omnes in tribunali. Conſtantinus aſtabat ſuſum. ſciſcitari inter ſe num Conſtantini immutatum nomen eſſet, cùm in conſpectu omnium Maximianus manum retrorſum extendens protraxit à tergo Daiam, Conſtantino repulſo, & exuto veſtem privatam, conſtituit in medium. Mirari omnes qui eſſet, unde eſſet. Nemo tamen reclamare auſus eſt, cunctis inſperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit ſuam, qua ſe exuit, & Diocles iterum factus eſt. Tum deſcenditur; & rheda per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daia verò ſublatus nuper à pecoribus & ſilvis, ſtatim ſcutarius, continuò Protector, mox Tribunus, poſtridie Cæſar, accepit orientem calcandum & conterendum, quippe qui neque militiam neque rem publicam ſciret, jam non pecorum ſed militum paſtor.

XX. Maximianus, poſtquam ſenibus expulſis quod voluit & fecit, ſe jam ſolum totius orbis dominum eſſe ferebat. Nam Conſtantium, quamvis priorem nominari eſſet neceſſe, contemnebat, quòd & natura mitis eſſet & valitudine corporis impeditus. Hunc ſperabat brevi obiturum; & ſi non obiſſet, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret ſi à tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipſe Licinium veteris contubernij amicum & à

prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæsarem facere noluit, ne filium nominaret, ut postea in Constantij locum nuncuparet Augustum atque fratrem, tunc verò ipse principatum teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ vicennalia celebraret, ac substituto Cæsare filio suo, qui tunc erat novennis, & ipse deponeret, ita cùm imperij summam tenerent Licinius ac Severus, & secundum Cæsarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugnabili muro circumseptus securam & tranquillam degeret senectutem. Hoc consilia ei ostendebant. Sed Deus, quem sibi fecit infestum, cuncta illius cogitata dissolvit.

XXI. Adeptus igitur maximam potestatem, ad vexandum orbem quem sibi patefecerat animum intendit. Nam post devictos Persas, quorum hic ritus, hic mos est ut Regibus suis in servitium se addicant, & Reges populo suo tamquam familia utantur, hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ sine pudore laudabat. Et quia id apertè jubere non poterat, sic agebat ut & ipse libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non modò decuriones, sed primores etiam civitatum egregij ac perfectissimi viri. Et quidem in causis levibus atque civilibus, si morte digni viderentur, cruces stabant. Sin minùs, compedes parati. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynecæum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus unquam servus distendi solebat. Quid lusorium vel delitias ejus referam? Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperij sui tempore elegerat. Quotiens delectari libuerat, horum aliquem adferri nominatim jubebat. His homines non planè comedendi sed obsorbendi objectabantur:

quorum artus cùm dissiparentur, ridebat suavissimè; nec unquam sine humano cruore cænabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit, & exilij primo adversùs Christianos permiserat, datis legibus ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cùm deligati fuissent, subdebatur primò pedibus lenis flamma tamdiu donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces & extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus citò spiritus redderetur. quod postremò accidebat. tunc per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur. Corpora jam cremata, lecta ossa & in pulverem comminuta jactabantur in flumine ac mare.

XXII. Quæ igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis, non insulæ, non carceres, non metalla, sed ignis, crux, feræ, in illo erant cotidiana & facilia. Domestici & administratores lancea emendabantur. In causa capitis animadversio gladii admodum paucis quasi beneficij [loco] deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Iam illa his levia fuerant. Eloquentia extincta, causidici sublati, jureconsulti aut relegati aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti & execrati. Licentia rerum omnium, solutis legibus, adsumpta & judicibus data. Iudices militares humanitatis litterarum rudes, sine adsessoribus in provincias immissi.

XXIII. At verò illud publicæ calamitatis &

communis luctus omnium fuit, census in provincias & civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis & omnia exagitantibus, hostilis tumultus & captivitatis horrendæ species erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunatæ, foras omnia gregibus familiarum referta, unusquisque cum liberis cum servis aderant, tormenta ac verbera personabant, filij adversùs parentes suspendebantur, fideliſſimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversùs maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur; & cùm dolor vicerat, adscribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valitudinis excusatio. Ægri & debiles deferebantur, æstimabantur ætates singulorum; parvulis adiciebantur anni, senibus detrahebantur. Luctu & mœstitia plena omnia. Quæ veteres adversùs victos jure belli fecerant, & ille adversùs Romanos Romanisque subjectos facere ausus est, quia parentes ejus censui subjugati fuerant quem Trajanus Dacis assiduè rebellantibus pœnæ gratia victor imposuit. Post hoc pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur. Non tamen hisdem censitoribus fides habebatur; sed alij super alios mittebantur, tamquam plura inventuri. Et duplicabatur semper illis non invenientibus, sed ut libuit addentibus, ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia, & mortales obibant, & nihil minùs solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam nec mori saltim gratis liceret. Mendici supererant soli, à quibus nihil exigi posset, quos ab omni genere injurietatis miseria & infelicitas fecerat. Atquin homo impius misertus est illis ut non egerent. Congregari omnes jussit, & exportatos

naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem, qui providerit ne quis illo imperante miser esset. Ita dum cavit ne quis simulatione mendicitatis censum subterfugiat, multitudinem virorum miserorum contra omne jus humanitatis occidit.

XXIV. Iam propinquavit illi judicium Dei, secutumque tempus est quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumve Constantium, dum est occupatus his rebus quas superiùs exposui, & expectabat obitum ejus. sed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cùm graviter laboraret, miserat litteras ut filium suum Constantinum remitteret sibi videndum, quem jamdudum [frustra repetierat.] Ille verò nihil minùs volebat. Nam & in insidijs sœpe juvenem adpetiverat, quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia &, quod maximè verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitij ac lusus feris illum objecerat. Sed frustra, quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine. Namque sæpius, cùm jam diù necare non posset, dedit illi sigillum inclinante jam die, præcepitque ut postridie manè acceptis mandatis proficiscereturr, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel præmissurus litteras ut à Severo teneretur. Quæ cùm ille prospiceret, quiescente jam Imperatore post cœnam properavit exire; sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis, evolavit. Postridie Imperator, cùm consultò ad medium diem usque dormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publiquos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate usus,

pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei militibus commendato imperium per manus tradidit; atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Suscepto imperio Constantinus Augustus nihil egit priùs quàm Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restituta.

XXV. Paucis pòst diebus laureata imago ejus adlata est ad malam bestiam. Deliberavit diù an susciperet. In eo penè res fuit ut illam & ipsum qui attulerat exureret, nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quòd universi milites, quibus invitis ignoti Cæsares erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summa, si veniisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultrò asciviisse illum in societatem videretur. Iam turbatæ rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum verò non Imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco reiceret in quartum.

XXVI. Compositæ ei res quodam modo jam videbantur, cùm subitò illi alius terror adlatus est, generum ipsius Maxentium Romæ factum Imperatorem. Cujus motus hæc fuit causa. Cùm statuisset censibus institutis orbem terræ devorare, ad hanc usque prosiluit insaniam ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam censitores qui Romam missi describerent plebem. Eodem ferè tempore castra quoque prætoria sustulerat. Itaque milites pauci qui Romæ in castris relicti erant, opportu-

nitatem nancti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimiùm territus. Et oderat hominem, & tres Cæsares facere non poterat. Satis visum est semel feciſſe quod noluit. Severum arcessit, hortatur ad recipiendum imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium, & mittit Romam, in qua milites illi summis delitijs sæpissime excepti non modò salvam esse illam urbem sed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris sibi conscius, licèt jure hereditatis paternos milites traducere ad se posset, cogitans tamen fieri posse ut Maximianus socer idipsum metuens Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret, quærebat quatenus se à periculo impendente muniret. Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Augustum nominat. Ille verò & rerum novarum cupidus, & qui deposuerat invitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, & ad muros urbis armatus accedit. Statim milites sublatis signis abeunt, & se contra quem venerant tradunt. Quid restabat deserto nisi fuga? Sed occurrebat jam resumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus incluſit. Qui cùm videret futurum ut Maximiano traderetur, dedit seſe ipse, vestemque & purpuram eidem à quo acceperat reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit nisi bonam mortem. Nam venis ei incisis, leniter mori coactus est. ab hoc capite suos persequi.

XXVII. Herculius verò cùm Maximiani nosset insaniam, cogitare cœpit illum audita nece Severi, inflammatum ira, cum exercitu esse venturum,

& fortaſſe adjuncto Maximiano ac duplicatis copijs, quibus reſiſti nullo modo poſſet, urbe munita & rebus ceptis inimicis diligenter inſtruens, proficiſcitur in Galliam, ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret ſuæ minoris filiæ nuptiis. Ille interea coacto exercitu invadit Italiam, ad urbem accedit, ſenatum extincturus, populum trucidaturus. Verùm clauſa & munita omnia offendit. Nulla erat ſpes inrumpendi, oppugnatio difficilis, ad circumſedenda mœnia non ſatis copiarum; quippe qui nunquam viderat Romam, æſtimaretque illam non multò eſſe majorem quàm quas noverat civitates. Tunc quædam legiones deteſtantes ſcelus quòd ſocer generum oppugnaret, & quòd Romani milites Romam, tranſlatis ſignis imperium reliquerunt. Et jam ceteri milites nutabant, cùm ille fracta ſuperbia dimiſſiſque animis, Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat ne hoſti traderetur, donec promiſſis ingentibus felix animus quorum & retro ſigna convertit ac fugam trepidus capeſſivit; in qua opprimi facillimè potuit, ſi cum paucis quiſpiam ſequeretur. Quod cùm timeret, dedit militibus poteſtatem ut diſperſi quàm latiſſimè diriperent omnia vel corrumperent; ut ſi quis inſequi voluiſſet, utenſilia non haberet. Vaſtata eſt igitur ea pars Italiæ quò peſtiferum illud agmen inceſſit, expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes & mariti ut filias, ut conjuges, ut opes ſuas proderent. Abactæ tamquam de barbaris prædæ pecorum ac jumentorum. Hoc modo ſe ad ſedes ſuas recepit, cùm Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiæ, hoſtiliter univerſa vexaſſet. Olim quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hoſtem ſe Romani nominis erat profeſſus; cujus titulum immutari volebat, ut non Romanum imperium, ſed Daciſcum cognominaretur.

XXVIII. Post hujus fugam, cùm se Maximianus alter è Gallia recepisset, habebat imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur quàm seni, quippe cùm prior & major filij potestas, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo senex quòd non posset liberè facere quod vellet, & filio suo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quasi concionem de præsentibus reipublicæ malis habiturus. De quibus cùm multa dixisset, convertit ad filium manus, & illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum quas res publica sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exsutus ille, præcipitem se de tribunali dedit, & à militibus exceptus est. Quorum ira & clamore perturbatus est senex impius, & ab urbe Roma tamquam superbus alter exactus est.

XXIX. Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantulum moratus est, profectus ad hostem filij sui Maximianum, quasi ut de componendo reipublicæ statu cum eo disputaret, re autem vera ut illum per occasionem reconciliationis occideret ac regnum ejus teneret, excluſus à suo, quocunque venisset. Aderat ibi Diocles à genero nuper accitus, ut quod antè non fecerat, præsente illo imperium Licinio daret, substituto in Severi loco. Itaque fit utroque præsente. Sic uno tempore sex fuerunt. Quare impeditis consilijs senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur, redit in Galliam plenus malæ contagionis ac sceleris, ut Constantinum Imperatorem generum suum, generi filium, dolo malo circumveniret; & ut posset fallere, deponit regiam vestem. Francorum gens in armis erat.

Persuadet nihil suspicanti ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse barbaros debellari, ut & ipse haberet exercitum quem occuparet, & ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credit adolescens, ut perito ac seni, paret ut socero, proficiscitur relicta militum parte majore. Ille paucis diebus expectatis, cùm jam Constantinum æstimaret intrasse fines barbarorum, repentè purpuram sumit, thesauros invadit, donat ut solet largè, fingit de Constantino quæ in ipsum protinus reciderunt. Imperatori properè quæ gesta sunt nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviso, nondum satis instructus; milites ad Imperatorem suum redeunt. Occupaverat Massiliam, & portas obseraverat. Accedit propiùs Imperator, & in muro adstantem alloquitur, non asperè, nec hostiliter; sed rogat quid sibi voluisset, quid ei defuisset, cur faceret quod ipsum præcipuè non deceret. Ille verò ingerebat maledicta de muris. Tum subitò à tergo ejus portæ referantur, milites recipiuntur. Adtrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, socer perfidus. Audit scelera quæ fecit, detrahitur ei vestis, & increpito vita donatur.

XXX. Sic amisso Imperatoris ac soceri honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est. Quia semel abiit impune, vocat filiam Faustam, eamque nunc precibus nunc blandimentis sollicitat ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui & negligentiùs custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur scena qua manifestò facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro Imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempesta, videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ij qui-

dem longiùs; quibus tamen dicit vidisse somnium quod filio suo narrare vellet. Ingreditur armatus, & spadone obtruncato, prosiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiserit. Repentè se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur è cubiculo cadaver occisi, hæret manifestarius homicida, & mutus stupet quasi dura silex aut stet Marpesia cautis, impietatis ac sceleris increpatur. Postremò datur ei potestas liberæ mortis, ac nodum informis leti trabe nectit ab alta. Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, elisо & fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi & ignominiosa morte finivit.

Virgil. 6. Æneid.

Idem lib. 12.

XXXI. Ab hoc Deus, religionis ac populi sui vindex, oculos ad Maximianum alterum transtulit, nefandæ persecutionis auctorem, ut in eo etiam vim majestatis ostenderet. Iam de agendis & ipse vicennalibus cogitabat, . . . qui jamdudum provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiserat redderet, etiam in nomine vicennalium securem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit, maximè rei annonariæ, quis enarrare dignè potest? Officiorum omnium milites, vel potiùs carnifices, singulis adhærebant, cui priùs satisfieret incertum, veniam non habentibus nullas abstinendi multiplicis cruciatus, nisi exhiberetur statim quod non erat. multis custodiis circumsepto nulla respirandi facultas, nullo tempore anni vel exigua requies, frequens super hisdem hominibus vel ipsis judicibus vel militibus judicum pugna, nulla area sine exactore, nulla vindemia sine custode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quàm tolerabilia sint, eripi à labore hominum cibos labore quæstos, tamen tolerabile aliquo modo

vel spe futurorum. Quid vestis omnis gereris, quid aurum, quid argentum? Nonne hæc necesse est ex venditis fructibus comparari? Vnde igitur hoc, ô dementissime tyranne, præstabo, cùm omnes fructus auferas, universa nascentia violenter eripias? Quis ergo non bonis suis eversus est ut opes quæ sub imperio ejus fuerunt conraderentur ad votum quod non erat celebraturus?

XXXII. Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum sæpe legatos, orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At ille tollit audaciùs cornua, & præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere qui prior sumpserit purpuram, preces ejus & mandata contempsit. Dolet bestia & mugit quòd eum ideo ignobilem fecisset Cæsarem ut sibi obsequens esset, is tamen tanti beneficij sui oblitus, voluntati ac precibus suis impiè repugnaret. Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat, Maxentium & Constantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit quasi nuntians in campo Martio proximè celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mœstus ac dolens, & universos quatuor Imperatores jubet numerari.

XXXIII. Iam decimus & octavus annus agebatur cùm percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latiùs. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus, & rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura. Tamen perduciter ad cicatricem. Rursus levi corporis m..... vulneratus, plus sanguinis quàm antè decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur; &

tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam, proxima quæque cancer invadit, & quanto magis circum secatur, latiùs sævit; quanto curatur, increscit. Cessere magistri Phyllides, Cirona, Metonius, Melamphius. Vndique Medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo & Asclepius orantur, remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multò pejus augetur. Iam non longè pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices Medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis, malum recidit introrsus, & interna comprehendit, vermes intus creantur. Odoritatẽ non modò per palatium, sed totam civitatem pervadit. Nec mirùm, cum jam confusi essent exitus stercoris & urinæ. Comestus à vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur. Clamores simul horrendos ad sidera tollit, quales mugitus fingit saucius taurus. Apponebantur ad sedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen; & tamen multò majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies secunda generaverat. Iam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longè inter ossa consederat. Inferior, sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat. Et hæc facta sunt per annum perpetem, cùm tandem malis domitus Deum coactus est confiteri, novi doloris urgentis per intervalla exclamat se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi.

Virgil. 2. Æneid.

XXXIV. *Inter cetera quæ pro reipublicæ semper*

commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac juxta leges veteres & publicam disciplinam Romanorum cuncta corrigere atque id providere ut etiam Christiani, qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem quadam ratione tanta eosdem Christianos voluntas invasisset & tanta stultitia occupasset ut non illa veterum instituta sequerentur quæ forsitan primi parentes eorundem constituerant, sed pro arbitrio suo atque ut hisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent quas observarent, & per diversa varios populos congregarent. Denique cùm ejusmodi nostra jussio extitisset ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt; atque cùm plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec dijs eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare, contemplationem mitissimæ nostræ clementiæ intuentes & consuetudinem sempiternam qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam, ut denuo sint Christiani & conventicula sua componant, ita ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus quid debeant observare. Vnde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra & rei publicæ ac sua, ut undiqueversum res publica perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint.

XXXV. Hoc edictum proponitur Nicodemiæ pridie Kalendas Maias, ipso octies & Maximino iterum Consulibus. Tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum ceteris confessoribus è custodia liberatus es, cùm tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit à Deo; sed post dies paucos, commendatis

Licinio conjuge ſua & filio atque in manu traditis, cùm jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe conſumptus eſt. Idque cognitum Nicomediæ menſis ejuſdem, cùm futura eſſent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus.

XXXVI. Quo nuntio Maximinus audito, diſpoſitis ab oriente curſibus pervolavit ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia ſibi uſque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingreſſuſque Bithyniam, quò ſibi ad præſens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia ſuſtollit cenſum. Diſcordia inter ambos Imperatores, ac penè bellum. Diverſas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipſo freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur. Redit ille ſecurus, & fit qualis in Syria & in Ægypto fuit. In primis indulgentiam Chriſtianis communi tutelo datam tollit, ſubornatis legationibus civitatum quæ peterent ne intra civitates ſuas Chriſtianis conventicula extruere liceret, ut quaſi coactus & impulſus facere videretur quod erat ſponte facturus. Quibus annuens, novo more ſacerdotes maximos per ſingulas civitates ſingulos ex primoribus fecit, qui & ſacrificia per omnes deos ſuos cotidie facerent, & veterum ſacerdotum miniſterio ſubnixi darent operam [ut] Chriſtiani neque fabricarent neque publicè aut privatim colerent, ſed comprehenſos ſuo jure ad ſacrificia cogerent vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, niſi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu ſingulos quaſi Pontifices ſuperponeret, & eos utroſque candidis chlamydibus ornatos juſſit incedere. Facere autem parabat quæ in orientis partibus fecerat. Nam cùm clementiam ſpecie tenus profiteretur, occidi ſervos Dei vetuit, debilitari juſſit. Itaque confeſſoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ deſecabantur.

XXXVII.

XXXVII. Hæc ille moliens, Constantini litteris deterretur. Dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occultè mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit ut in palatio per singulos dies sacrificaretur. Et hoc primus invenerat ut animalia omnia quibus vescebatur, non à coquis, sed à sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsùs mensæ apponeretur nisi aut delibatum aut sacrificatum aut perfusum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde atque impurus exiret. In ceteris quoque magistri sui similis. Nam si quid reliqui vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic abrasit, sine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames agris [non] ferentibus, hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia cotidiana, quibus eos adeo corruperat ut aspernarentur annonam, & effundebant passim sine delectu, sine modo, cùm lites universos, quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus & aureis nummis expungerent, gregariis & tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quòd viventium bona vel auferebat, vel dono suis dabat, [prout] quisque petierat aliena, nescio an agendas illi fuisse gratias putem quòd more clementium latronum incruenta spolia detrahebat.

XXXVIII. Illud verò capitale & supra omnes qui fuerunt corrumpendi cupiditas, quid dicam nescio, nisi cœca & effrenata, & tamen his verbis exprimere pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones, scrutabantur omnia. Vbicunque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis vestes, itemque virginibus,

& per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detractaverat, in aqua necabatur, tamquam majestatis crimen esset. Sub illo adultero aliqui constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, cùm dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc ministro pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremò hunc jam induxerat morem ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset. Ingenuas virgines imminutas servis suis donabat uxores. Sed & Comites ejus sub tali Principe imitabatur ..... suorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium verò filias ut cuique libuerat rapiebat. Primariæ, quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur; nec recusari licebat, subscribente Imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam ferè nullus stipator in latere ei nisi ex gente eorum qui à Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi, Maximiano se tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram servitutem fugientes, in Romanos dominarentur. His satellitibus & protectoribus cinctus orientem ludibrio habuit.

XXXIX. Denique cùm libidinibus suis hanc legem dedisset ut fas putaret quicquid concupisset, ne ab Augusta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, cùm se putaret in partibus ejus tutiùs moraturam, eo maximè quòd habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem si impetrasset. Respondit illa liberè quæ sola poterat; primò non

posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui patris ejus; deinde illum impiè facere quòd sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & sibi; postremò, nefas esse illius nominis ac loci feminam sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exilium relegat, nec in locum certum, sed huc atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus affecto adulterio damnat.

XL. Erat clarissima femina cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tamquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicabatur. Dat negotium Præsidi Eratineo ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur æquè nobiles, quarum altera vestalem famulam virginem Romæ reliquerat, furtivè tunc Valeriæ familiaris. Altera virum habuit senatorem, non nimis Augustæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur subitò mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator extabat. Invenitur quidam Iudæus ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus adversùs insontes mentiatur. Iudex æquus & diligens extrà civitatem cum præsidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Inrogantur tormenta Iudæo, dum quæ jussus..... ..... loqueretur, pugnis à tortoribus coërcentur. Innocentes duci jubentur. Fletus & comploratio, non illius tantùm mariti, qui aderat bene meritæ uxori, sed omnium quos res indigna & inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de carnificum

manibus raperentur, promoti militari modo instructibile mens essagitari prosequuntur. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad supplicium deductæ. Iacuissent insepultæ, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur; sed patibulo adfixus, aperuit omne mysterium, & sub extremo spiritu inquit omnibus qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

XLI. Augusta verò in desertas quasdam Syriæ solitudines relegata, patrem suum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis suæ fecit. Mittit ille legatos, & rogat ut ad se filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac sæpius obsecrat. Non remittitur. Postremò cognatum suum quendam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque imperfecta legatione irritas preces renuntiat.

XLII. Eodemque tempore senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines cum quo pictus esset detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerunque picti erant, & imagines simul deponebantur amborum. Itaque cùm videret vivus quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine adfectus, moriendum sibi esse decrevit. Iactabat se huc atque illuc, æstuante anima per dolorem, nec somnum nec cibum capiens. Suspiria & gemitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, postremò fame atque angore confectus est.

XLIII. Vnus jam supererat de adversarijs Dei, cujus nunc exitum ruinamque subnectam. Cùm haberet æmulationem adversùs Licinium, quia præ-

latus ei à Maximiano fuerat, licèt nuper cum eo amicitiam confirmasset, tamen ut audivit Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra se copulari. Et ipse legatos ad urbem misit occultè, societatem Maxentij atque amicitiam postulans. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benignè, fit amicitia, utriusque imagines simul locantur. Maxentius tamquam divinum auxilium libenter amplectitur. Iam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus. Vnde suspicio inciderat senem illum intestabilem finxisse discordiam cum filio ut ad alios succidendos viam sibi faceret, quibus omnibus sublatis, sibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falsum fuit. Nam id propositi habebat, ut & filio & ceteris extinctis, se ac Diocletianum restitueret in regnum.

XLIV. Iam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius Romæ contineret, quòd responsum acceperat periturum esse si extra portas urbis exisset, tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quòd & patris sui exercitum receperat à Severo, & suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, & Maxentiani milites prævalebant, donec postea confirmato animo Constantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad urbem propiùs admovit, & è regione pontis Mulvij consedit. Imminebat dies quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad sextum Kalendas Novembris, & quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus ut cæleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut jussus est, & transversa X littera summo capite circumflexo Christo in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine Imperatore, pontemque

transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe seditio, & dux increpitatur velut desertor salutis publicæ. Cùmque repentè populus Circenses enim natali suo & debita voce subclamat Constantinum vinci non posse. Qua voce consternatus proripit se, ac vocatis quibusdam senatoribus, libros Sibyllinos inspici jubet, in quibus repertum est illo die hostem Romanorum esse perituru. Quo responso in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons à tergo ejus scinditur. Eo viso pugna crudescit, & manus Dei supererat aciei. Maxentianus proterretur; ipse in fugam versus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium pressus in Tyberim deturbatur. Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna senatus populique Romani lætitia susceptus Imperator Constantinus Maximini perfidiam cognoscit, litteras deprehendit, statuas & imagines invenit. Senatus Constantino virtutis gratia primi nominis titulum decrevit, quem sibi Maximinus vindicabat: ad quem victoria liberatæ urbis cùm fuisset adlata, non aliter accepit quàm si ipse victus esset. Cognito deinde Senatus decreto sic exarsit dolore ut inimicitias apertè profiteretur, convicia jocis mixta adversùs Imperatorem maximum diceret.

XLV. Constantinus rebus in urbe compositis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut acciperet uxorem. Maximinus ubi eos intellexit nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit è Syria hyeme quàm cùm maximè sæviente, & mansionibus geminatis in Bithyniam concurrit debilitato agmine. Nam maximis imbribus & nivibus & luto & frigore & labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages speciem jam futuri belli & similem cla-

dem militibus nuntiabat. Nec ipse intra fines suos moratus est; sed transjecto protinus freto, ad Byzantij portas accessit armatus. Erant ibi milites præsidiarij, ad hujusmodi casus à Licinio conlocati. Hos primùm muneribus & promissis illicere tentavit, postea vi & oppugnatione terrere. nec tamen quicquam vis aut promissa valuerunt. Iam consumpti erant dies undecim, per quos fuit spatium nuntios litterasque mittendi ad Imperatorem, cùm milites non fide sed paucitate diffisi seipsos dediderunt. Hinc promovit Heracleam; & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius festinato itinere cum paucis Adrianopolim venerat, cùm ille accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem milia decem & octo. Nec enim poterat ulteriùs, Licinio jam secunda mansione tenente. destante militibus totidemque collectis ex proximo quantis potuit militibus pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur quàm proposito dimicandi aut spe victoriæ. Quippe cùm ille septuaginta milium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta milium numerum collegisset. Sparsi enim milites per diversas regiones fuerant, & adunari omnes angustiæ temporis non sinebant.

XLVI. Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem prælium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Iovi vovit, ut si victoriam cepisset, Christianorum nomen extingueret funditusque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adsistit angelus Dei monens ut ocyus surgeret atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo, illius fore victoriam si fecisset. Post has voces cùm surgere sibi visus esset, & cum ipso qui monebat adstaret, tunc docebat eum quomodo & quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, no-

tarium jussit asciri, & sicut audierat, hæc verba dictavit. *Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus, salutem nostram tibi commendamus, imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices existimus. Summe sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi sancte summe Deus.* Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per Præpositos Tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis victoriam sibi credentibus de cælo nuntiatam. Statuit Imperator prælium diei Kalendarum Maiarum, quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant; ut suo potissimùm natali vinceretur, sicut ille victus est Romæ. Maximinus voluit præire maturiùs; pridie manè aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat sterilis ac nudus, quem vocant serenum. Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cælum manus tendunt, præeuntibus Præpositis, & post Imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri à militibus existimabat, quòd ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus; eoque proposito moverat bellum, ut exercitu Licinij sine certamine accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

XLVII. Ergo propiùs acceditur, tubæ canunt, signa procedunt. Liciniani impetu facto adversarios invadunt. Illi verò perterriti, nec gladios expedire

nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus sollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad suos refugit. Cædebatur acies ejus impune, & tantus numerus legionum, tanta vis militum à paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor; quasi ad devotam mortem non ad prælium veniissent, sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Iam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri quàm putabat. Projecit purpuram, & sumpta veste servili fugit, ac fretum trajecit. ac in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deserendi desertor Imperator. At ille Kalendis Maijs, id est, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cùm locus prœlij abesset milia centum sexaginta; raptisque filiis & uxore & paucis ex palatio comitibus, petivit orientem. Sed in Cappadocia collectis ex fuga & ab oriente militibus substitit. Ita vestem resumpsit.

XLVIII. Licinius verò, accepta exercitus parte ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus; & Nicomediam ingressus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac die Iduum Iuniarum Constantino atque ipso ter Consulibus de restituenda Ecclesia hujusmodi litteras ad Præsidem datas proponi jussit.

Cùm feliciter tam ego Constantinus Augustus quàm etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus, atque universa quæ ad commoda & securitatem publicam pertinerent in tractatu haberemus, hæc inter cetera quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus & Christianis & omnibus liberam potesta-

tem sequendi religionem quam quisque voluisset, quod quidem divinitas in sede cælesti nobis atque omnibus qui sub potestate nostra sunt constituti placatum ac propitium possit existere. Itaque hoc consilio salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus quì vel observationi Christianorum vel ei religioni mentem suam dederet quam ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benevolentiamque præstare. Quare scire dicationem tuam convenit placuisse nobis ut amotis omnibus omnino conditionibus quæ priùs scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine videbantur, nunc cavere ac simpliciter unusquisque eorum qui eandem observandæ religioni Christianorum gerunt võluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui idipsum observare contendant. Quæ sollicitudini tuæ plenissimè significanda esse credidimus, quò scires nos liberam atque absolutam colendæ religionis suæ facultatem hisdem Christianis dedisse. Quod cùm hisdem à nobis indultum esse pervideas, intelligit dicatio tua etiam alijs religionis suæ vel observantiæ potestatem similiter apertam & liberam pro quiete temporis nostri esse concessam, ut in colenda quod quisque diligeret habeat liberam facultatem, quas ..... honori neque cuiquam religioni aut aliquid à nobis. Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quòd si eadem loca ad quæ antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac forma fuerat comprehensa, priore tempore aliquid vel à fisco nostro vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia & sine ulla pretij petitione, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituant. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem si-

militer hisdem Christianis quantocyus reddant, etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono erunt consecuti, si putaverint de nostra benevolentia aliquid, Vicarium postulent, quò & ipsis per nostram clementiam consulatur. Quæ omnia corpori Christianorum protinus per interces∫ionem tuam ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam ijdem Christiani non in ea loca tantùm ad quæ convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur ad jus corporis eorum, id est Eccle∫iarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege qua superiùs comprehendimus citra ullam prorsùs ambiguitatem vel controver∫iam hisdem Christianis id est corpori & conventiculis eorum reddi jubebis, su-pradicta scilicet ratione servata, ut ij qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostra benevolentia sperent. In quibus omnibus supradicto corpori Christianorum interces∫ionem tuam effi-caci∫simam exhibere debebis, ut præceptum nostrum quantocyus compleatur, quò etiam in hoc per clemen-tiam nostram quieti publicæ consulatur. Hactenus fiet ut sicut superiùs comprehen∫um est, divinus juxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus prosperè succes∫ibus nostris cum beatitudine publica perseveret. Vt autem hujus sanctionis benivolentiæ nostræ forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo hæc scripta & ubique proponere & ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benivolentiæ nostræ sanctio latere non possit.

His litteris propositis, etiam verbo hortatus est ut conventicula in statum pristinum redderentur. Sic ab eversa Eccle∫ia usque ad restitutam fuerunt anni decem, menses plus minùs quatuor.

XLIX. Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus conces∫it, & rursus Tauri montis angustias petit, munimentis ibidem ac turribus fabricatis iter obstruere conatus est, & inde

dextrorsum perrumpentibus omnia victoribus, Tarsum postremò confugit. Ibi cùm jam terra marique perterreretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem quasi ad remedium malorum quæ Deus in caput ejus ingessit. Sed priùs cibo se inferſit ac vino ingurgitavit, ut solent hi qui hoc ultimò se facere arbitrantur. Et sic hausit venenum. Cujus vis, referto stomacho repercussa, valere non potuit in præsens, sed in langorem malum versa pestilentiæ similem, ut diutiùs protracto spiritu cruciamenta sentiret. Iam sævire in eum cœperat virus; cujus vis cùm præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est, adeo ut per dies quatuor insania percitus haustam manibus terram velut esuriens devoraret. Deinde post multos gravesque cruciatus, cùm caput suum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amisso visu, Deum videre cœpit candidatis ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ij qui torqueri solent, & non se sed alios feciſſe dicebat. Deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde deprecans & plorans ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tamquam cremaretur edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit.

L. Hoc modo Deus universos persecutores nominis sui debellavit, ut eorum nec stirps nec radix ulla remaneret. Nam Licinius summa rerum potitus, in primis Valerium, quem Maximinus iratus nec post fugam quidem, cùm sibi videret esse pereundum, fuerat ausus occidere, idem Candidianum, quem Valeria ex concubina genitum ob sterilitatem adoptaverat, necari jussit. Mulier tamen ut eum vixisse cognovit, mutato habitu comitatui ejus se miscuit, ut fortunam Candidiani specularetur. Quia Nicomediæ se obtulerat, & in honore haberi vide-

batur, nihil tale metuens occisus est. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robustum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie secutus, tamquam post obitum ejus de sumenda purpura cogitasset, capitali sententiæ subjectum interemit. Qui omnes Licinium jampridem quasi malum metuentes, cum Maximino esse maluerant, præ Valeria, quæ volens Licinio in omnes Maximiani hereditates jure suo cedere, idem Maximino negaverat. Ipsius quoque Maximini filium suum maximum agentem in annis octo, & filiam septennem, quæ desponsa fuerat Candidiano, extinxit. Sed priùs mater eorum in orientem præcipitata est. Ibi sæpe illa castas feminas mergi jusserat. Sic omnes impij vero & justo judicio Dei eadem quæ fecerant receperunt.

LI. Valeria quoque per varias provincias quindecim mensibus plebeio cultu pervagata, postremò apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti spectaculo & miseratione tanti casus ad supplicium; & amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.

LII. Quæ omnia secundùm fidem scientium loquor, ita ut gesta sunt mandanda litteris credidi, ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset, non corrumperet veritatem, vel peccata illorum adversùm Deum vel judicium Dei adversùs illos reticendo. Cujus æternæ pietati gratias agere debemus, qui tandem respexit in terram, quòd gregem suum partim vastatum à lupis rapacibus, partim verò dispersum, reficere ac recolligere dignatus est & bestias malas extirpare, quæ divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Vbi sunt modò magnifica illa & clara per gentes Ioviorum & Herculiorum cognomina, quæ

primùm à Dioclete ac Maximiano insolenter assumpta, ac postmodum ad successores eorum translata, viguerunt? Nempe delevit ea Dominus & erasit de terra. Celebremus igitur triumphum Dei cum exultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, diurnis nocturnisque precibus celebremus, ut pacem post annos decem plebi suæ datam confirmet in seculum. Tu præcipuè, Donate carissime, qui à Deo mereris audiri, Dominum deprecare ut misericordiam suam servet etiam famulis suis propitius ac mitis, ut omnes insidias atque impetus diaboli à populo suo arceat, ut floreſcentes Ecclesiæ perpetuæ quietè custodiat.

Ejusdem Lactantij fragmentum de extremo judicio.

NVllus vel negat vel dubitat per Iesum Christum tale quale sacris litteris pronuntiatur novissimum futurum judicium, nisi qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate seu cœcitate non credit, quæ jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque judicio vel circa id judicium has res didicimus esse venturas, Heliam Thesbitem fide Iudæorum Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque direptionem, mundi conflagrationem, ejus denique renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo quo à me commemorata sunt ordine esse ventura.

Vide in Epitome. c. 7. 8.

PASSIO
SANCTI SAVINI
Episcopi & martyris.

MAximiano Augusto quintodecimo Kalendas Mai in circo maximo misso sexto Venetos vincente, pars major populi clamabant dicentes: Christiani tollantur, & voluptas constat. Dictum est duodecies. Per caput Augusti, Christiani non sint. Spectantes verò Hermogenianum Præfectum urbis, item clamaverunt decies: Sic Augustus vincas, voces nostras à Præfecto exquire. Tunc Hermogenianus Præfectus urbis intimavit voces paganorum. Eodem tempore Augustus Maximianus jussit ut in capitolio omnes convenirent, & conventus est factus in capitolium decimo Kalendas Mai. Innumerabilis verò multitudo populi advenit. Hoc itaque adloquitur Augustus populum dicens: Viri cœtus & religiosi temporum nostrorum, dignum nobis videtur ut intimatione vestra religio temporum nostrorum augeatur. Tamen, patres conscripti, concedam facultatem ut ubicunque inventi fuerint Christiani, teneantur à Præfecto nostro urbis, vel ab officio ejus, & sacrificent diis. Et statim discesserunt omnes una voce dicentes: Auguste tu vincas, & cum diis floreas. Anno Christi 303.

II. Quo audito, venit quidam ad Præfectum urbis Hermogenianum, dicens ei: Est quidam Episcopus qui cotidie conventicula cum Christianis facit, & libros exponit, seducens populum. Cùmque hæc audisset Hermogenianus Præfectus urbis, continuò renuntiavit hæc Augusto Maximiano,

dicens ei: Est quidam Episcopus qui removet populum ne sacrificent diis nostris. Tunc Maximianus Augustus gaudio repletus * atque auctoritate jussit dirigi ad quendam Venustianum Augustalem Tusciæ dicens: Suggestionem patris nostri Hermogeniani Præfecti urbis apud nos claruisse cognosce, quia justa petitio occultari non debet, ut seculum nostrum nostraque promulgatio non lædatur. Ideoque commonemus ut ubicunque Christiani nomen auditum fuerit, superstitionem colentes, aut sacrificare cogantur diis, aut certè pœnis intereant, facultatibusque nudati, eædem fisco cum tributis adplicandæ socientur. Vale Pater. Data pridie Kalendas Mai.

* *f.* hanc auctoritatem

III. Eodem tempore Venustianus Augustalis Tusciæ cœpit curiosè quærere si alicubi occultum Christianum inveniret. Et devulgatus est ei Savinus Episcopus, vir eloquentissimus, & delimato sermone clarus, in omnibus divinis instructionibus gratia Domini Iesu Christi repletus. Mittens ergo milites, tenuit eum in civitate Asisinati, & in eodem loco custodiæ mancipavit cum duobus Diaconibus, id est, Marcello & Exsuperantio, & multis Clericis cum eis. Alia autem die venit * Sisinnium. Postera verò die jussit sibi Venustianus vir clarissimus tribunal parari in medio foro. & ita factum est. Tunc oblatus est ei Savinus Episcopus cum duobus Diaconibus suis. Quem ita aggreditur Venustianus, dicens ei: Designa nobis nomen tuum. Dicit ei Episcopus: Peccator Savinus vocor, gratia Domini nostri Iesu Christi repletus. Dicit Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ ad sanctum Savinum Episcopum: Servus es, aut liber? Dicito mihi. Savinus Episcopus dixit: Servus sum Christi, liberatus à diaboli servitute. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ dixit:

* Asisium.

Quo

Quo honore fungeris ? Savinus Episcopus dixit : Nos peccatores non meriti officio fungimur nomine episcopatus. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ dixit : Hi duo quo honore funguntur ? Savinus Episcopus dixit : Diaconi mei sunt. Venustianus vir clarissimus dixit contra Savinum Episcopum : Quæ tibi auctoritas præstat munimen ut doctrinas occultè facias & doceas populum ut derelinquat deos & sequatur hominem mortuum ? Savinus Episcopus dixit : Tamen est in cognitione tua quia mortuus est Dominus noster Iesus Christus ? Venustianus vir clarissimus dixit : Et verè occisus est & sepultus. Savinus Episcopus dixit : Quia tertia die resurrexit non scis ? quod tamen integrè cognoscere debes. Venustianus vir clarissimus dixit : Elige tibi de duobus unum, aut sacrifica diis & vive, aut certè tormentis quibus dignus es necaberis ; & resurge sicut dominus tuus Christus. Respondens verò Savinus Episcopus dixit : Et ego hoc desidero, necari & mori, ut resurgam sicut Dominus meus Iesus Christus.

IV. Venustianus vir clarissimus dixit : Consule tibi, & pollicere te diis sacrificare, & vive. Savinus Episcopus dixit : Si cognosceres veritatem, non blasphemiam proferres ex ore tuo, sed humiliares te Deo patri omnipotenti & Christo Iesu filio ejus & Spiritui sancto, qui mortem captivavit & vitam donavit, qui pedibus mare ambulavit, & qui ei imperavit, & cessavit ab ira sua, qui credentes in se resuscitabit in die magno & terribili adventus sui. Dicito mihi si justum est ut derelinquam creatorem cœli & terræ, & adorem ligna & lapides & æramenta, aurum vel argentum, simulachra muta & surda, quæ nec sibi auxiliantur nec aliis, sed potiùs eos qui illis credunt in perditionem mittunt. Simulachra dæmonia sunt vana & surda, muta & sine sensu.

V. Venustianus vir clarissimus dixit: Ergo non sunt dij gubernatores rei publicæ? Sanctus Savinus Episcopus dixit: Non sunt dij, sed dæmones, qui destruunt rem publicam vestram. Sed ut scias quia nihil est boni colere dæmonia, deferatur huc deus tuus. Tunc Venustianus vir clarissimus deum suum, quem habebat in cubiculum suum ubicunque mansisset, jussit adduci in medio, quia erat miræ facturæ ex lapide coralite Iovis, & vestimenta ejus deaurata erant. Qui cùm adductus fuisset cum lampadibus & vociferationibus in manibus, Venustianus vir clarissimus dixit: Ecce propitiator nostri. Tunc subridens sanctus Savinus Episcopus dixit. O vana instantia, ut dimittatur Deus creator omnium, & colator lapis sordidissimus! Venustianus vir clarissimus dixit: Ergo non sunt dij? Sanctus Savinus dixit: Non. Sed ut scias quia non sunt dij, dimitte me facere quod volo, & modò vides. Venustianus vir clarissimus dixit: Si præsumis, fac quod vis. Tunc beatus Savinus accepto Iove in manibus suis, oratione facta, continuò elisit eum in pavimento, & confregit deum Iovem.

VI. Hoc videns Venustianus vir clarissimus tutudit cum furore frontem suam dicens: Sacrilegum Savinum, qui pertinacia sua confregit deum Iovem nostrum, omnibus præsentibus truncari præcipio. Eadem verò hora præcisæ sunt manus ejus ambæ. Et cùm hoc factum fuisset, cœperunt Marcellus & Exuperantius diutissimè timere & trepidare Diaconi sancti Savini. Eadem verò hora beatus Savinus Episcopus manibus præcisis confortare cœpit Diaconos suos Exuperantium & Marcellum, dicens eis: Filij carissimi & fratres mei, nolite timere minas diaboli, sed confidite in Domino Iesu Christo, qui fidelibus suis dat coronam & vitam æternam. Exuperantius autem & Marcellus accepta fiducia cœperunt clamare

una voce pariter dicentes: Pereant dij dæmoniorum, & lætetur cor quærentium Dominum.

VII. Tunc Venustianus vir clarissimus eadem hora collegit fragmenta dei sui Iovis in linteaminibus, & collocavit in capsa argentea, & misit in domum suam, & iracundia plenus jussit in conspectu suo Marcellum & Exuperantium in equuleo suspendi, præsente sancto Savino Episcopo, dicens eis: Sacrificate diis, aut certè pœnis interibitis. Respondens autem sanctus Savinus dixit ad Diaconos suos: Filij, constantes estote animo & corde, & nolite timere terrorem inimici. Respondit Marcellus & dixit: Nos semel nos ipsos obtulimus sacrificium Deo. Aliud quid respondere non habemus nisi ut peccatis nostris ignoscat Deus, quia in his quæ patimur jam, diabolo locum non damus, nec obedimus ei, quia fallax est, & non dabit vitam, sed mortem. Venustianus vir clarissimus dixit: Macerate eos fustibus in conspectu Savini, qui manibus pollutis confregit deum nostrum Iovem. Et cùm diù cæderentur, clamabant vocibus magnis dicentes: Gloria tibi Domine Iesu bone, quia meruimus introire in requiem tuam. Et cùm diù clamarent ambo pariter, dicit ad eos Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ: Iam deponite mentes sacrilegas, & adorate deos, ut non pereatis. Illi autem clamantes dixerunt: Nos in nomine Domini nostri Iesu Christi renovati sumus. Venustianus vir clarissimus Augustalis Tusciæ dixit: Modò vos ego renovabo. Et jussit ut unguibus raderentur latera eorum * ponerent, subitò ambo expiraverunt. quorum corpora præcepit jactari in fluvium. Savinum verò Episcopum truncatum in carcerem mancipavit. Audiens verò quidam piscator & Presbyter collegerunt corpora sanctorum martyrum Exuperantij & Marcelli, & sepelierunt eos juxta viam sub die pridie Kalendarum Iuniarum.

VIII. Post dies verò sex audiens hæc quædam matrona nomine Serena de civitate Spoletana, quæ erat vidua annis triginta uno, Christianissima & timens Deum, orationibus, jejuniis, & eleemosynis vacans, hæc veniebat nocte ad sanctum Savinum, & curam ei faciens, pedes ejus amplexabatur, & osculabat eos. Hæc colligens manus ejus beati Savini Episcopi in domum suam, collocavit eas in dolio vitreo, & cum aromatibus condivit; quas die noctuque tangens, in oculos suos ponebat.

IX. Ipso autem tempore duxit ad sanctum Savinum Episcopum Serena cœcum nepotem suum, quem unicè diligebat, in quo medici omnem artem medicinæ exercuerant, & non poterant eum curare. Præsentatoque sancto Savino Episcopo, dixit ad eum Serena: Domine meus, per Christum te conjuro, in quem tu credis, & ego in ejus virtutem credo, ut ponas ulnas tuas super hunc famulum tuum, & ores Deum cœli & terræ creatorem omnium, & credo quia illuminabitur. Tunc Savinus Episcopus posuit truncos suos super oculos cœci, & cœpit cum lacrymis dicere: Domine Deus omnium creator & misericors, fac voluntatem tuam bonam sperantibus in te. Et genu flexo cum fletu hoc dicebat: Domine Deus, propitius esto mihi peccatori te invocanti, qui lumen es verum, illumina sperantes in te, quia nos non sumus digni, qui relicti sumus in peccatis nostris. In te sperant servi tui. Illumina tenebras nostras, quia tu es lumen veritatis & vitæ. Et tu dixisti Domine, Quæcunque petieritis in nomine meo accipietis. Per Dominum nostrum Iesum Christum & Spiritum sanctum, qui tecum vivit & regnat in secula seculorum. Et cùm respondissent Amen, posuit sanctus Savinus truncos suos super oculos cœci dicens: Aperiat tibi oculos qui aperuit mare & induxit Israël per medium ejus. Ipse intro-

ducat lumen in oculos tuos, ut cognoscant omnes gentes quia ipse est creator omnium visibilium & invisibilium, quia ipse est qui nato cœco oculos aperuit. Tunc aperti sunt oculi Prisciani nepotis Serenæ. Et viderunt omnes qui erant in custodia mirabilia Dei quæ per sanctum Savinum Episcopum Dominus Iesus Christus fecit, & miserunt se ad pedes sancti Savini, & rogantes dicebant sancto Episcopo ut baptizaret eos. & baptizati sunt eodem die numero undecim. Hoc autem factum non potuit occultari, quia cœcus illuminatus fuisset per sanctum Savinum Episcopum,

X. Post dies verò triginta & tres indoluerunt oculi Venustiano viro clarissimo Præsidi Tusciæ, & præ nimio dolore nec cibum nec somnum potuit percipere, ita ut nullus medicorum ejus dolorem mitigare non potuisset. Eodem tempore Venustiano viro clarissimo Præsidi Tusciæ nuntiatum est quòd sanctus Savinus Episcopus illuminasset cœcum; & misit uxorem suam & duos filios, & cum grandi gloria rogavit sanctum Savinum Episcopum. At ubi dictum est sancto Savino in carcere dixit: Gloria tibi Domine, quia me dignatus es vocare inter servos tuos. Et perrexit ad domum Venustiani viri clarissimi. Tunc levaverunt eum in manibus, & projecerunt eum ante pedes sancti Savini Episcopi. Quem ut vidit sanctus Savinus Episcopus, lacrymabiliter dixit voce clara: Illuminet te Christus, qui cœcum natum illuminavit. Respondit Venustianus cum uxore & filiis cum fletu, & dicebant: Peccavimus in mundo isto. Respondit sanctus Savinus Episcopus, & dixit: Si credis ex toto corde tuo, & pœnitentiam agis, omnia ministrabuntur credenti. Deferantur huc fragmenta simulachri. Et statim ut imperavit sanctus Savinus, adducta sunt ante conspectum ejus. Quæ cùm vidisset, omnia jussit comminui & proici in fluvio.

XI. Vrgebatur autem Venustianus doloribus. Dicit ei sanctus Savinus? Credis ex toto corde tuo? Respondit Venustianus & dixit: Ego credo; sed peccatum meum, quod in te exercui, ipsum mihi cruciatum ostendis. Respondit sanctus Savinus & dixit ei: Mea delicta hoc mihi fecerunt. Tu verò innocens monstraberis. Et hoc te commoneo ut pœnitearis & credas in Dominum Iesum Christum, & baptismum percipias, & salvus eris, & vitam æternam consequeris. Venustianus vir clarissimus dixit: Baptiza me in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut percipiam promissa tua. Tunc sanctus Savinus Episcopus genibus positis oravit; & manibus abscisis catechizavit eum cum uxore & filiis, & accepta aqua, baptizavit eos dicens: Credis in Deum patrem omnipotentem? Respondit Venustianus: Credo. Et in Christo Iesu filio ejus? Respondit: Credo. Et in Spiritu sancto? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum qui passus est & resurrexit? Respondit Venustianus: Credo. Et in eum qui ascendit in cælos, & iterum venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem? Dixit: Credo. Et in adventu ipsius, & regnum ejus in remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem? Venustianus respondit: Credo in Christum Dei filium, qui me illuminet.

XII. Eadem verò hora levatus à pelve, aperti sunt oculi Venustiani, ita ut nullum dolorem post baptismum pateretur. Tenens verò pedes sancti Savini, lacrymis rigavit dicens: Ora Dominum nostrum Iesum Christum ut dimittat mihi quod in te exercui. Respondit sanctus Savinus, dixitque ei: Ego, fili, propter infelicitatem peccatorum meorum omnia hæc pertuli. Tu enim nihil in me peccasti. Et habitaverunt simul.

XIII. Hoc autem nuntiatum est Maximiano

Augusto, quia Venustianus baptizatus est. Et iratus misit Tribunum suum & scriptionem simul; & damnari præcepit Savinum, & ipsum Venustianum capite truncari jussit. Veniens autem Lucius Tribunus, sine auditione ipsum Venustianum Augustalem Tusciæ cum uxore & filiis capite truncavit in civitate Asisinati. quorum corpora absconsa sunt à Christianis. quorum quidem corpora nusquam potuerunt inveniri.

XIV. Eodem verò tempore tenuit sanctum Savinum Episcopum, & adduxit eum in civitatem Spoletanam, & sine auditione tamdiu præcepit cædi quousque deficeret. Qui cùm diù cæderetur, emisit spiritum. Cujus corpus collegit quædam matrona nomine Serena, quæ manus ejus antea collegerat, & junxit eas cum corpore, & sepelivit eum miliario à civitate Spoletana plus minùs secundo, sub die septimo Idus Decembris. In quo loco exuberant beneficia Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi. Cæci illuminantur, infirmi sanantur, dæmones effugantur, ad laudem & honorem Domini nostri Iesu Christi, qui semper fidelibus suis dat palmam victoriæ, cui est imperium, honor, & regnum in secula seculorum. Amen.

INCIPIVNT CONFESSIONES & actus martyrum Saturnini Presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelij, ceterorumque infrà ſcriptorum, qui propter collectas & ſcripturas dominicas ſub Anulino tunc Proconſule Africæ die pridie Idus Februarij Carthagine Dominum confeſſi diverſis locis temporibuſque diſcretis beatiſſimum ſanguinem profuderunt.

QUi religionis ſanctiſſimæ fide exultat & gloriatur in Chriſto, quique dominica veritate gaudet, errore damnato, ut Eccleſiam catholicam teneat, ſanctamque communionem à prophana diſcernat, acta martyrum legat, quæ neceſſariò in archivo memoriæ conſcripta ſunt, ne ſeculis tranſeuntibus obſoleſceret gloria martyrum & damnatio traditorum. Aggredior itaque cæleſtes pugnas novaque certamina geſta per fortiſſimos milites Chriſti, bellatores invictos, martyres glorioſos, aggredior inquam ex actis publicis ſcribere, non tam ingenio præditus quàm civili quo illis ſum amore conjunctus, conſultu quidem hoc faciens, duplici ſcilicet modo, ut & imitaroribus eorum ad martyrium animos præparemus, & quos vivere in perpetuum atque cum Domino Chriſto regnare confidimus, etiam confeſſionis ipſorum pugnas atque victorias, cùm in litteris digerimus, æternæ memoriæ conferamus. Sed non invenio, fratres dilectiſſimi, quibus utar exordiis, quove principio laudis aggrediar ſanctiſſimorum martyrum feliciſſimam confeſſionem. Magnis enim rebus magniſque virtutibus rapior; & quicquid eſt quod in ipſis aſpicio, hoc totum divinum atque cæ-

leſte admiror, in devotione fidem, in vita ſanctitatem, in confeſſione conſtantiam, in paſſione victoriam. Quæ res quanto ſolæ in ſuis virtutibus fulgent, tanto ſunt omnes in ſingulis martyribus clariores. Placet igitur in principio cauſam ipſius belli tractare totiuſque mundi diſcrimen neceſſariò breviter omni celeritate diſcurrere; ut agnita veritate, & præmia martyrum & pœnas quis noverit traditorum.

II. Temporibus namque Diocletiani & Maximiani bellum diabolus Chriſtianis indixit iſto modo ut ſacroſancta Domini teſtamenta ſcripturaſque divinas ad exurendum peteret, baſilicas dominicas ſubverteret, & ritus ſacros cœtuſque ſanctiſſimos celebrari Domino prohiberet. Sed non tulit exercitus Domini Dei immane præceptum, ſacrilegamque juſſionem perhorruit; & mox fidei arma corripuit, deſcendit in prælium, non tam contra homines quàm contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo gentilibus ſcripturas dominicas atque teſtamenta divina prophanis ignibus comburenda, à fidei cardine cecidere nonnulli, conſervando tamen eas, & pro ipſis libenter ſuum ſanguinem effundendo, fortiter fecere quamplurimi, quique pleni Deo, devicto atque proſtrato diabolo, victricem palmam in paſſione geſtantes, ſententiam in traditores atque in eorum conſortes, qua illos ab Eccleſiæ communione rejecerant, cuncti martyres proprio ſanguine conſignabant. Fas enim non fuerat ut in Eccleſia Dei ſimul eſſent martyres & traditores. Advolabant igitur undiqueverſum ad certaminis campum immenſa agmina confeſſorum; & ubi quiſque hoſtem repererat, caſtra illic dominica collocabat. Namque in civitate Alutinenſi in domo Occani Felicis, cùm bellica caneret tuba, dominica ſigna glorioſi martyres erexerunt; ibique celebrantes ex more dominica ſacramenta, à coloniæ magiſtratibus atque ab ipſo ſtatio-

nario milite apprehenduntur, Saturninus Presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore & Felice lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilarione infante, itemque Dativus, qui & senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Ianuarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Guinalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Ianuaria, Saturnina, Martinus, Elautus, Felix, Margareta major, Honorata, Regiola, Victorianus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, secunda Matrona, Ianuaria.

III. Qui apprehensi producebantur alacres ad forum. Adhuc in primum certaminis campum prior Dativus ibat, quem sancti parentes candidum senatorem cælesti curiæ genuerunt. Ibat etiam Presbyter Saturninus numerosa vallatus propagine liberorum; cujus partus partem sibi sociam martyrio destinavit, partem sui nominis pignus Ecclesiæ relinquebat. Hos agmen dominicum sequebatur, in quo fulgebat cælestium splendor armorum, scutum fidei, lorica justitiæ, salvationis galea, & gladius bifrons sermo Dei: quorum præsidio fulti, spem victoriæ fratribus promittebant. Sed jam ad supradictæ civitatis pervenerunt forum. Ibi primùm congressi, confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In isto namque foro jam pro scripturis dominicis dimicaverat cælum, cùm Fundanus civitatis quondam Episcopus scripturas dominicas traderet exurendas: quas cùm magistratus sacrilegus igni apponeret, subitò imber sereno cælo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro scripturis dominicis, elementis furentibus, devastabatur. De hac igitur civitate martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt; directi-

que ad Carthaginem, alacres ac læti per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant. Qui cùm ad officium Anulini tunc Proconsulis pervenirent, starentque in acie constanter ac fortiter, sævientis impetus diaboli dominica constantia retundebant. Sed cùm non contra omnes simul milites Christi diabolica rabies prævaleret, singulos in certamina postulavit. Quorum certaminum pugnas non tam meis exequar quàm martyrum dictis; ut & sævientis hostis audacia in tormentis atque in ipsa sacrilega invectione noscatur, & Christi Domini præpotentis virtus in tolerantia martyrum atque in ipsa confessione laudetur.

IV. Cùm igitur ab officio Proconsuli offerrentur, suggereturque quòd à magistratibus Alutinensium transmissi essent Christiani qui contra interdictum Imperatorum & Cæsarum collectam dominicam celebrassent, primùm Proconsul Dativum interrogat cujus esset conditionis & utrum collectam fecisset: qui cùm se Christianum & in collecta fuisse profiteretur, auctor ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur; statimque jubetur officium eundem in equuleum sublevare extensumque ungulis præparare. Sed cùm carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, starentque sævientes in dictis, & denudatis ad vulnera martyris lateribus, erectis ungulis imminerent, subitò sese per medium Thelica fortissimus martyr tormentis subjecit & clamavit, Quia Christiani sumus nos, Nos, inquit, collegimus. Statimque Proconsulis furor exarsit, & ingemiscens, spiritali gladio graviter vulneratus, martyrem Christi gravissimis ictibus tutulit, in equuleum suspensum extendit, ungulis perstridentibus laniavit. At contrà glorioſissimus Thelica martyr media de ipsa carnificum rabie hujusmodi preces Domino cum gratiarum actione effundebat: Deo gratias. In nomine

tuo, Christe Dei filius, libera servos tuos. Talia precanti Proconsul, Quis est, inquit, auctor tecum congregationis vestræ? Qui crudeliùs sævienti carnifici clara voce respondit: Saturninus Presbyter & omnes. O martyrem primatum omnibus dantem. Non enim Presbyterum fratribus prætulit, sed Presbytero fratres confessionis consortio copulavit. Quærente igitur Proconsule Saturninum, ostendit, non quòd illum prodiderit, quem secum adversùs diabolum pariter dimicare cernebat, sed ut illi panderet integrè se celebrasse collectam, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat. Manabat igitur cum voce sanguis Dominum deprecantis, & præceptorum evangelij memor, inimicis suis veniam martyr in ipsa corporis sui laniamenta poscebat. Inter ipsos namque vulnerum graviſſimos cruciatus, tortores pariter & Proconsulem his vocibus exprobrabat. Injustè facitis, infelices, contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad hæc peccata. Peccatis, infelices, adversùs Deum facitis. Custodimus præcepta Dei altissimi. Injustè agitis, infelices; innocentes laniatis. Non sumus homicidæ, non fraudem fecimus. Deus, miserere. Gratias tibi ago. Pro nomine tuo, Domine, da sufferentiam. Libera servos tuos de captivitate hujus seculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere. Et cùm ictibus ungularum concussa fortiùs latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audivit: Incipies sentire quæ vos pati oporteat. Et adjecit: Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Domine Iesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus; tu es spes nostra, tu es spes Christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Cui talia oranti cùm à diabolo per judicem di-

ceretur, Custodire te oportuit jussionem Imperatorum & Cæsarum, Defatigato jam corpore, forti atque constanti sermone victor animo proclamavit: Non curo nisi legem Dei, quam didici. Ipsam custodio, pro ipsa moriar, in ipsa consumor, præter quam non est aliud. Talibus itaque dictis glorioſissimi martyris in suis tormentis magis ipse Anulinus torquebatur: cujus tandem rabies ferocitate saginata, postea recluſum in carcere, passione condignum martyrem destinavit.

V. Post hunc Dativus à Domino in certamine erigitur, qui Thelicæ ad fortissimum prælium de proximo conjunctus est: qui cùm pendendo in equuleo extensus, se voce sæpius repetita Christianum esse & collectam feciſſe fortiter proclamaret, emersit sanctissimæ Victoriæ martyris frater, vir sanè togatus, sed à religionis Christianæ sanctissimo cultu ipsis temporibus alienus; qui suspensum in equuleo martyrem prophanis vocibus hactenus arguebat: Hic est, ait, Domine, qui per absentiam patris nostri, nobis hic studentibus, sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate unà cum Secunda & Restituta ad Alutinensem coloniam secum usque perduxit, quique nunquam domum nostram ingressus est nisi tunc quando quibusdam persuasionibus puellares animos illiciebat. Sed non tulit Victoria clarissima martyr Domini collegam & commartyrem suum falsò appeti senatorem; statimque Christiana libertate prorumpens, Nullius, inquit, persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Alutinensem coloniam veni. Hoc possum per cives probare. Omnia mea sponte atque voluntate perfeci. Nam & in collecta fui, & dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum. Tunc impudens advocatus maledicta exaggerabat in martyrem. Et contrà martyr glorioſus de equuleo cuncta vera responsione solvebat.

VI. Inter hæc Anulinus ardescens, premi ungulas in martyrem jubet. Statim carnifices nuda præparataque ictibus latera cruentis vulneribus invenerunt. Advolabant truces in manus jussis velocibus, secretaque pectoris, diruptis cutibus visceribusque divulsis, nefandis aspectibus prophanorum adnixa crudelitate pandebant. Inter hæc martyris mens immobilis; & licèt membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen martyris integer inconcussusque perdurat. Denique dignitatis suæ memor Dativus, qui & senator, tali voce preces Domino sub carnifice rabiente fundebat: O Christe Domine, non confundar. His dictis, beatissimus martyr quod à Domino poposcerat, tam facilè meruit quàm breviter postulavit. Denique mox Proconsul mente concussa, lingua volente parcere prosilivit. Cessavere carnifices. Fas enim non erat martyrem Christi in commartyris suæ Victoriæ causa torqueri. Namque cùm contra eum etiam Pompeianus suspicionis indignæ sævus accusator accederet, calumnioſamque conjungeret actionem, despectus à martyre est & percussus. Quid agis hoc in loco, diabole? Quid contra martyres Christi adhuc usque conaris? A senatore Domini ac martyre & potestas simul & forensis rabies superata est. Sed clarissimus martyr etiam pro Christo tortus, cùm interrogatus utrum in collecta fuisset, profiteretur constanter & diceret cùm collecta fuisset se supervenisse & dominicum cum fratribus congrua religionis devotione celebrasse auctoremque ejusdem collectionis sanctissimæ unum fuisse, in sese rursus Proconsulem acriùs excitavit; cujus recrudescente sævitia, geminata martyris dignitas iteratò ungulis sulcantibus exaratur. At martyr ad vulnerum cruciatus sævissimos pristinam suam repetens orationem, Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est Presbyter noster.

VII. Hujus cùm latera, duri truciſque carnificis magiſtra crudelitate monſtrante, aduncis unguliſ raderentur, Saturninus Preſbyter ad prælium poſtulatur: qui cæleſtis regni contemplatione conſiderans parva admodum ac levia ſuos commartyres ſuſtinere, congredi etiam ipſe taliter cœpit. Nam dicente Proconſule, Tu contra juſſionem Imperatorum & Cæſarum feciſti, ut hos omnes colligeres, reſpondit Preſbyter Saturninus, Domini ſpiritu ſuggerente ſecurus: Dominicum celebravimus. Proconſul ait: Quare? Reſpondit: Quia non poteſt intermitti dominicum. Qui mox ut hæc dixit, contra Dativum ſtatim jubet aptari. Spectabat interea Dativus laniamenta corporis ſui potiùs quàm dolebat; & cujus ad Dominum mens animuſque pendebat, nihil dolorem corporis æſtimabat; ſed tantùm Dominum precabatur dicens: Subveni rogo Chriſte, habe pietatem, ſerva animam meam, cuſtodi ſpiritum meum, non confundar. Rogo Chriſte, da ſufferentiam. Cui cùm à Proconſule diceretur, Ex hac ſplendidiſſima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra præcepta Imperatorum & Cæſarum facere, fortiùs atque conſtantiùs acclamabat: Chriſtianus ſum. Qua voce diabolus ſuperatus, Parce, inquit. Simulque illum in carcerem tradens, paſſioni condignæ martyrem reſervavit.

VIII. At verò Preſbyter Saturninus recenti martyrum ſanguine delibutus, cùm penderet in equuleo, admonebatur in eorum fide perſiſtere in quorum cruore perſtabat. Hic cùm interrogaretur utrum auctor ipſe eſſet & omnes ipſe adunaſſet, & diceret, Etiam, ego præſens in collecta fui, Emeritus lector ad certamen exiliens, congrediente Preſbytero, Ego ſum auctor, inquit, in cujus domo collecta facta fuit. At Præconſul, qui jam toties victus

fuerat, impetus Emeriti perhorrebat; & tamen in Presbyterum versus, Quare contra præceptum, inquit, faciebas, Saturnine? Cui Saturninus, Intermitti dominicum non potest, ait. Lex sic jubet. Tunc Proconsul: Non tamen debuisti prohibita contemnere, sed observare potiùs, & non rem facere contra præceptum Imperatorum. Et meditata jamdiu in martyribus voce, terrorem suæ iræ commovit; cui non pigro paretur obsequio. Nam carnifices in senile corpus Presbyteri ruunt, & grassante rabie, rupta nervorum connexione, discerpunt. Ingemiscenda supplicia & novi generis in sacerdotem Dei exquisita tormenta videres, quasi in pabulo vulnerum famis rabie sævire carnifices, apertisque visceribus, ad horrorem videntium inter ruborem sanguinis, ossa nudata pallere, & nec inter moras torquentium, exclusam animam corpus supplicio pendente deserere. At tali voce Dominum Presbyter precabatur: Rogo te Christe, exaudi. Gratias tibi ago Deus. jube me decollari. Rogo Christe, miserere. Fili Dei subveni. Cui Proconsul: Quare contra præceptum facis? Et Presbyter, Lex sic jubet, lex sic docet, inquit. O admiranda satis ac prædicanda Presbyteri doctoris divina responsio. Legem sanctissimam etiam in tormentis Presbyter prædicat, pro qua libenter supplicia sustinebat. Legis denique voce deterritus Anulinus, Parcam, inquit; eumque in custodiam carceris redigens, exoptato supplicio destinavit.

IX. At verò Emerito applicito, in tua, inquit Proconsul, domo collectæ factæ sunt contra præcepta Imperatorum? Cui Emeritus sancto spiritu inundatus, In domo mea, inquit, egimus dominicum. At ille, Quare permittebas, ait, illos ingredi? Respondit: Quoniam fratres mei sunt, & non poteram illos prohibere. Sed prohibere, inquit, illos

illos debuisti. At ille, Non potui, ait, quoniam sine dominico non possumus. Statim etiam ipse in equuleo jubetur extendi, extensusque vexari. Qui cùm validos ictus innovato carnifice pateretur, Rogo, ait, Christe subveni. Contra præceptum Dei facitis, ô infelices. Et interloquenti Proconsuli; Non oportuerat te eos suscipere, respondit: Non potueram quin susciperem fratres meos. At Proconsul sacrilegus, Sed prior, inquit, erat jussio Imperatorum & Cæsarum. Contrà religiosissimus martyr, Deus, inquit, major est quàm Imperatores. Rogo Christe, tibi laudes. Christe Domine, da sufferentiam. Cui talia precanti hæc Proconsul injecit: Habes ergo scripturam aliquam in domo tua? Et respondit: Habeo, sed in corde meo. Et Proconsul, In domo, inquit, tua habes, an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo. Rogo Christe, tibi laudes. Libera me, Christe, in nomine tuo. Breviter patior, libenter patior. Christe, non confundar. O martyrem Apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit, non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis sacræ idoneum diligentemque custodem, qui traditorum facinus perhorrescens, scripturas dominicas, ne perderet, inter secreta sui pectoris collocavit. Quo cognito, Proconsul, Parce, inquit. Ejusque confessionem in memoriam unà cum ceterorum confessionibus redigens, Pro vestris meritis omnes, inquit, secundùm confessionem vestram pœnas meritas persolvetis.

X. Sed jam ferina rabies ore cruento tormentis martyrum saginata languebat. Sed cùm Felix nomine & passione processisset in prælium, acieque Domini omnis incorrupta invictaque perstaret, tyrannus mente prostratus, voce demissus, anima &

corpore dissolutus, Spero vos, inquit, hanc partem potiùs eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis. Contra quæ confessores Domini, invicti martyres Christi, tamquam ex uno ore dixerunt: Christiani sumus, non possumus nisi Domini legem sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire. Qua voce percussus inimicus Felici dicebat: Non quæro utrum Christianus sis, sed an collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas. O stulta judicis & ridenda interrogatio. Christianus, inquit, utrum sis tace. Et addidit: Si in collecta fuisti? Respondit: Quasi Christianus sine dominico possit, aut dominicum sine Christiano celebrari. An nescis, Satanas, in dominico Christianum & in Christiano dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse? Cùm nomen audieris, frequentiam Domini disce; & cùm collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris à martyre & rideris, tali responsione confunderis. Collectam, inquit, gloriosissimè celebravimus, ad scripturas dominicas legendas in dominicum convenimus semper. Qua confessione confusus graviter Anulinus, fustibus cæsum exanimem, cœlesti concilio martyrem properantem ad siderea tribunalia, expleta passione, consociat.

XI. Sed Felicem sequitur alius Felix nomine pariter & confessione atque ipsa passione consimilis. Pari etenim virtute congressus, etiam ipse fustium læsione quassatus, animam in tormenta carceris ponens, superioris Felicis est martyrio copulatus. Post hos suscepit certamen Ampelius custos legis, scripturarum divinarum fidelissimus conservator. Hic quærente Proconsule an in collecta fuisset, hilaris atque securus alacri voce respondit: Cum fratribus, inquit, feci collectam, dominicum celebravi; & scripturas dominicas habeo mecum, sed in corde

meo conscriptas. Christe, tibi laudes refero. Exaudi Christe. Qui cùm hæc dixisset, cervicibus contusis, quasi jam in tabernaculum dominicum lætus cum fratribus relegatur. Hunc sequitur Rogatianus: qui confessus Domini nomen, supradictis fratribus jungebatur illæsus. Quintus verò applicitus, egregiè nomen Domini magnificèque confessus, cæsus fustibus in carcerem truditur, condigno martyrio reservatus. Hunc sequebatur & Maximianus, in confessione par, in congressione consimilis, in victoriæ triumphis æqualis. Post quem junior Felix spem salutemque Christianorum dominicum esse proclamans, cùm similiter etiam ipse fustibus cæderetur, Ego, inquit, devota mente celebravi dominicum, collectam cum fratribus feci, quia Christianus sum. Qua confessione supradictis fratribus meruit etiam ipse sociari.

XII. At junior Saturninus, martyris Saturnini Presbyteri progenies, in certamen optatum festinus accessit, approperans patris virtutibus glorioſissimis adæquari. Cui cùm Proconsul furibundus diabolo suggerente dixisset, Et tu, Saturnine, interfuisti, respondit Saturninus: Christianus sum. Non à te quæro hoc, ait, sed utrum egeris dominicum. Cui Saturninus respondit: Egi dominicum, quia salvator est Christus. Quo nomine salvatoris audito, Anulinus exarsit, & in filium patrium instaurat equuleum. Extensoque Saturnino, Quid, inquit, Saturnine profiteris? Vides ubi positus sis. Habes aliquas scripturas? Respondit: Christianus sum. Proconsul verò ait: Ego quæro an conveneris, & an scripturas habeas. Respondit: Christianus sum. Aliud non est nomen quod post Christum oporteat nos sanctum observare. Qua confessione diabolus inflammatus, Quoniam permanes, inquit, in obstinatione tua, etiam te oportet tormentis affici.

Dic an aliquas scripturas habeas. Et ad officium dixit: Vexa illum. Ibant in adolescentis latera paternis vulneribus lassati tortores, & adhuc humectantem in ungulis patrium sanguinem cognato filij cruori miscebant. Videres per hiantium vulnerum sulcos de lateribus antea genitoris sanguinem fluere, & cruorem filij paterno permixtum ungulis rorantibus emanare. At juvenis gemini sanguinis admixtione recreatus, medelam potiùs quàm tormenta sentiebat, & recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat: Scripturas dominicas habeo, sed in corde meo. Rogo Christe, da sufferentiam. Spes est vitæ. Anulinus inquit: Quare contra præceptum faciebas? Respondit: Quia Christianus sum. Quo audito, Parce, inquit. Et statim cessante tormento, in patrium consortium relegatur.

XIII. Interea mergebat in noctem horis labentibus dies, & consùmptis cum sole tormentis, defecit atra tortorum rabies, & cum sui judicis crudelitate languebat. Sed legiones dominicæ, in quibus Christus, perpetuum lumen, armorum cœlestium coruscò splendore fulgebat, fortiùs atque constantiùs in certamina prosilibant. Cùm verò adversarius Domini tot martyrum præliis glorioſissimis victus, tantisque ac talibus congressionibus superatus, desertus à die, comprehensus à nocte, deficiente jam carnificum rabie, profligaturus cum singulis congredi alteriùs non valeret, totius exercitus Domini animos percontatur, devotasque sanctorum mentes tali interrogatione propulsat. Vidistis, inquit, eos qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult ex vobis ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad hæc confessores Domini, glorioſi martyres Christi, læti ac triumphantes simul, non ex Proconsulis dictis,

sed ex victoria passionis Spiritu sancto ferventes, fortiùs clariúsque tamquam ex uno ore dixerunt: Christiani sumus. Qua voce prostratus est diabolus; & concussus Anulinus confusúsque, omnes sanctos in carcerem trudens, illos martyrio destinavit.

XIV. Et ne devotissimus feminarum sexus florentissimusque sacrarum virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur, omnes feminæ, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressæ sunt & coronatæ. Etenim Victoria sanctissima feminarum, flos virginum, decus & dignitas confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturæ bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis & integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio lætabatur. Huic namque ab infantia jam clara pudicitiæ signa fulgebant, & rudibus adhuc annis, apparebat rigor castissimus mentis & quædam dignitas futuræ passionis. Denique postquam plena virginitas ultimum ætatis tempus explevit, cùm puella nolens & reluctans in nuptias à parentibus cogeretur, invitamque tradere sponso prædo suggereret, clam se per præceps puella dimittit, auriſque famulantibus supportata, incolumis gremio terræ suscipitur. Neque fuerat postmodum pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. Liberata igitur nuptialibus tædis, illusoque simul cum parentibus sponso, media penè de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad ædem pudicitiæ portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit, ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetuam virginitatem sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit. Hæc ergo ad martyrium properans, florentem pudicitiæ palmam triumphali dextera præferebat. Namque interroganti Proconsuli quid profiteretur, clara voce

respondit : Christiana sum. Et cùm à Fortunatiano fratre togato ejusque defensore vanis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit: Mens mea est, inquit, nunquam mutata sum. Ad hæc Proconsul, Vis, inquit, ire cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit: Nolo, quia Christiana sum; & illi sunt fratres mei qui Dei præcepta custodiunt. O puellam divinæ legis auctoritate fundatam. O virginem glorioſam æterno Regi meritò consecratam. O beatissimam martyrem evangelica professione clarissimam, quæ dominica voce respondit : Hi sunt fratres mei qui Dei præcepta custodiunt. Quibus auditis, Anulinus depositâ judicis auctoritate, ad persuasionem puellæ descendit. Consule tibi, inquit. Vides enim fratrem tuum providere cupientem saluti tuæ. Cui martyr Christi : Mens mea est, inquit; nunquam mutata sum. Nam & in collecta fui, & dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum. Mox cùm hæc Anulinus audisset, furiis agitatus exarsit, & puellam sacratissimam martyrem Christi in carcerem unà cum ceteris relegans, passioni omnes reservavit.

XV. Sed Hilarianus adhuc supererat, unus de natis Presbyteri martyris Saturnini, qui ætatem suam parvulam ingenti devotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans jungi, diras tyranni minas non tam exhorruit quàm in nihilum duxit. Huic cùm diceretur, Patrem tuum aut fratres tuos secutus es? subitò brevi de corpore vox juvenilis auditur, & angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis : Christianus sum, & mea sponte atque voluntate cum patre meo & cum fratribus meis feci collectam. Audiebas patris Saturnini martyris vocem per dulcis filij meatus exire & confitentem Christum Dominum linguam de fratris exemplo secuturam. Sed Procon-

sul stultus, non intelligens contra se non homines sed Deum in martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingentes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiæ posse terreri. Denique amputabo, inquit, & comam tibi & nasum & auriculas, & sic te dimitto. Ad hæc Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus glorioſus, qui jam didicerat à majoribus suis tormenta contemnere, clara voce respondit: Quicquid facere volueris, fac, quia Christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur; ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur dicentis: Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur, hic diabolus superatur & vincitur, hic martyres Christi de passionis futuræ gloria æterna congratulatione lætantur.

XVI. Verùm quoniam nos, ut suprà diximus, schismatis tempus admonuit confessionibus tantis ac talibus martyrum decreta conjungere constitutionesque sanctissimas amicorum Dei gestis superioribus catenare, necessariò breviter cuncta quæ martyres in carcere ex auctoritate legis divinæ sanxerunt, servandaque posteris reliquerunt, discurram, nec lapsorum superbiam atque audaciam traditorum in hac ipsa mea festinatione præteream. Coëgit enim me transcendere nihil gestorum fides, amor legis, Ecclesiæ status, salus publica, vita communis. His enim de rebus Ecclesia catholica quæ sit poterit recognosci, si labes pestifera traditorum nefandis actibus suis sententiaque martyrum, omnibus seculis declaretur. Postquam igitur supradictos martyres Christi exoptatus carcer recepit, confessores qui priores illic detrusi fuerant, victricibus palmis triumphales dexteras venientibus adjungebant. Veniebant præterea ad eundem locum & ex diversis provinciæ partibus alij quoque quamplurimi confessores; inter quos erant Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ceteri-

que Clerici, qui legem Domini asserentes, collectam dominicumque constanter & fortiter celebrabant, quique scripturas dominicas divinaque testamenta de flamma atque de incendio conservantes, seipsos diris ignibus cruciatibusque diversis, Machabæico more, pro divinis legibus obtulerunt.

XVII. Ea igitur tempestate, cùm horridus carcer crassæque tenebræ intra se clausos retinerent testes fidelissimos Dei, & ingentia catenarum pondera devota membra vincirent, cùm debilitaret fames, fatigaret sitis, frigus quateret, turba comprimeret, latera ipsa recenti ungularum laceratione disrupta ferverent, inter catenas & ferrum instrumentaque tormentorum ex auctoritate legis divinæ, quod sibimet posterisque martyribus conservarent, celebrantes Concilium, cælestia decreta condebant. Verè enim vivus ille spiritus sanctus confessorum mentes æternis aspirando & divinis colloquiis exercebat. Sed post crudelem tempestatem ac persecutionis horribiles minas, quibus Christianam religionem tyrannica rabies infestaverat, quò iterum purior ac serenior Christiani nominis pax æterna luceseeret, nec defuit traditorum omnium callidissima fraus conspiratioque pestiferorum naufragorum diabolica arte composita, quæ sub pretextu religionis religionem impugnaret, fidem everteret, legem divinaque jura turbaret; maximè cùm etiam Mensurius Carthaginensis quondam Episcopus recenti scripturarum traditione pollutus, sceleris sui amentiam pejore cœpisset ferocia publicare: quippe qui combustorum veniam librorum à martyribus poscere atque implorare debuerat, ut delicta sua majoribus flagitiis cumularet, eo animo sæviebat in martyres quo divinas tradiderat leges. Etenim hic tyranno sævior, carnifice crudelior, idoneum sceleris sui ministrum Diaconum suum elegit Cæcilianum; idemque lora

& flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cuntos qui victum potumque in carcerem martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret. Et cædebantur à Cæciliano passim qui ad alendos martyres veniebant, sitientibus intus in vinculis confessoribus pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur, jacebant ante carceris fores martyrum patres matresque sanctissimæ, & ab extremo conspectu liberorum excussi, graves nocte dieque vigilias ad ostium carceris exercebant. Erat fletus horribilis & acerba omnium qui aderant lamentatio, prohibere pios martyrum complexus, & divelli à pietatis officio Christianos, Cæciliano sæviente tyranno & crudeli carnifice.

XVIII. Interea martyres Christi non carceris squalor, non viscerum dolor, non denique ulla rerum penuria commovebat, sed meritis jam Domino & confessione vicini direxerunt in posteros salutem, quæ communem Christiani nominis progeniem ab omni recidiva communione traditorum secerneret, tali sub comminatione : *Si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cælestibus non habebit.* Et hanc sententiam suam sancti spiritus auctoritate conscriptam tali comparatione firmabant. *Scriptum est*, inquiunt, *in Apocalypsi, Quicunque adjecerit ad librum istum apicem unum aut litteram unam, adiciat illi Deus innumerabiles plagas; & quicunque deleverit, deleat partem ejus Dominus de libro vitæ. Si ergo additus apex unus, aut littera una dempta de libro sancto radicitus amputat, & sacrilegum facit, & subvertit auctorem, necesse est omnes eos qui testamenta divina legesque venerandas omnipotentis Dei & Domini nostri Iesu Christi prophanis ignibus tradiderunt exurendas, æternis gehennæ ardoribus atque inextinguibili igne*

torqueri. Et ideo, ut suprà diximus, si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cælestibus non habebit. Hæc communicantes singuli ad passionis gloriam festinabant, supremaque testatione unusquisque martyrum cruore proprio consignabat. Exinde Ecclesia sancta sequitur martyres, & detestatur execratæ perfidiæ traditores.

XIX. Igitur cum hæc ita sint, quisnam est divini juris peritia pollens, fide præditus, devotione præclarus, religione sanctus, qui judicis Dei memor veritatem ab errore discernat, à fide perfidiam disjungat, simulationemque fictam à certa & integra sanctitate recludat, separet à stante lapsum, ab integro vulneratum, à justo reum, ab innocente damnatum, à custode legis proditorem, à confessore Christi nominis negatorem, à martyre Domini persecutorem, & unum atque idem esse existimet & Ecclesiam martyrum & conventicula traditorum? Nemo scilicet, quoniam hæc inter se ita repugnant contrariaque sibi sunt ut lux tenebris, vita morti, sanctus angelus diabolo, Christus Antichristo, Paulo Apostolo dicente: *Quasi filiis dico, dilatamini & vos, & nolite conjungi cum infidelibus. Quæ est enim participatio justitiæ ad iniquitatem, aut quæ communicatio luminis ad tenebras, quæ particula est fideli cum infideli, quæ est autem conventio templi Dei cum simulachris? Vos autem templum Dei vivi estis. Dicit enim: Quia inhabitabo in eis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod discedite de medio eorum & separamini, dicit Deus omnipotens, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quamobrem fugienda bonis & vitanda est semper religiosis conspiratio traditorum, hypocritarum domus, Pharisæorumque sen-

2. Cor. 6.

tentia. Vtinam adoptiones filiorum filiarumque Dei in sancta Ecclesia spiritaliter nati dignè succedant, & non alienis facinoribus immersi, pro luce tenebras & pro vita mortem, interitum sibi pro salute acquirant. Talis est enim Ecclesia Domini, quæ una semper singularisque contra sese & in partes duas dividi non potest, sed post teterrimam persecutionis noctem turbinesque pestiferos tyrannorum, ad deceptionem innocentium prædámque populorum diabolus versutia callidissimæ fraudis adinvenit; ut quos aperta persecutionis clade transvorare non valuit, nec in sacrilego seculo idolorum servitio mancipandos delictorum nexibus in perpetuam perniciem potuit retinere, eos pollutis traditionibus jungens sibi, sub prætextu sanctissimæ religionis extinguat. Denique illi falsi sacrorum ritus fictaque mysteria non tam in salutem quàm in perniciem miserorum celebrantur, cùm erigit altare sacrilegus, celebrat sacramenta prophanus, baptizat reus, curat vulneratus, veneratur martyres persecutor, legit evangelia traditor, hereditatem cœli promittit divinorum testamentorum exustor. quos Dominus increpat & objurgat in evangelio dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam facere unum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ dupliciter plus quàm estis vos.* Et Propheta polluta eorum sacrificia respuens ait: *Sacrificia eorum tamquam pannus illotus. Omnis qui tetigerit illum, inquinabitur.* Sed & per Aggæum clarissimum Prophetarum, *Interroga*, inquit Dominus, *sacerdotes legem. Si acceperit homo carnem sanctam in summo vestimenti sui, & tetigerit summitas vestimenti ejus aliquam partem panis, vini, aut olei, si sanctificabitur? & dixerunt sacerdotes: Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid, si inquinabitur? Et dixerunt sacerdotes:*

Matth. 25.

Ose 9.

Agg. 2.

Inquinabitur. Et dixit Aggæus: Sic & populus hic, & gens hæc coram me, dicit Dominus, & omnis quicunque acceſſerit illic, inquinabitur.

XX. Fugienda eſt ergo & execranda pollutorum omnium congregatio vitioſa, & appetenda omnibus beatiſſimorum martyrum ſucceſſio glorioſa, quæ eſt Eccleſia ſancta, una & vera catholica, ex qua martyres profecti ſunt, & à quibus divina teſtamenta ſervata ſunt. Hæc etenim ſola perſecutionis infeſtæ impetum fregit, hæc legem Domini uſque ad effuſionem ſanguinis conſervavit: in hac virtutes populi ſancti ſpiritus præſentia frequentantur, baptiſma à Salvatore perficitur, vita perpetua reparatur. Semper enim illis propitius Deus adeſt, Dominus Chriſtus collætatur, & gaudet ſpiritus ſanctus, in confeſſoribus victor, in martyribus triumphator. Poſtremò cum nec Menſurius nec miniſter ejus Cæcilianus ab hac immani crudelitate ceſſare vellent, Anulino Proconſule aliiſque perſecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres iſti, corporeis alimentis deſtituti, paulatim & per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente, ceſſerunt, & ad ſiderea regna cum palma martyrij migraverunt, præſtante Domino noſtro Ieſu, qui cum patre regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

INCIPIT PASSIO SANCTI Felicis Episcopi Tubyzacensis, qui propter legem Domini decollatus est XVIII. *Kalendas Februarij.*

IN diebus illis, Diocletiano octies & Maximiano septies Consulibus Augustis, exivit edictum eorundem Cæsarum vel Imperatorum super omnem faciem terræ, & propositum est per colonias & civitates principibus & magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos extorquerent de manibus Episcoporum & Presbyterorum. Tunc programma positum est in civitate Tubyzacense die Nonarum Ianuariarum. Tunc Magnilianus Curator ipsius civitatis jussit ad se perduci Presbyteros, quia Felix Episcopus Carthaginem erat profectus, Ianuarium Presbyterum, Fortunatium & Septiminum lectores jussit ad se perduci. Quibus Magnilianus Curator dixit: Episcopum habetis? Ianuarius Presbyter respondit: Habemus. Magnilianus Curator dixit: Vbi est? Ianuarius Presbyter respondit: Nescio. Magnilianus dixit: Libros deificos habetis? Ianuarius respondit: Habemus. Magnilianus dixit: Date illos igni aduri. Ianuarius Presbyter, Fortunatius & Septiminus lectores dixerunt: Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus Curator dixit: Eritis ergo sub officio donec Anulino Proconsuli rationem reddatis. Postera autem die Felix Episcopus à Carthagine venit Tubyza. Cùmque ejus adventum Magnilianus comperisset, statim eum sibi per officium præsentari constituit. Qui cùm dicto citiùs advenisset, Magnilianus Curator dixit ad eum: Tu es Felix Episcopus hujus civitatis? Felix Episcopus

Anno Christi 304.

dixit : Ego. Magnilianus Curator dixit : Da libros vel membranas qualescunque penes te habes. Felix Episcopus dixit : Habeo ; sed non trado legem Domini Dei mei, quem ego colo. Magnilianus dixit ; Ergo major est Deus tuus à diis nostris ? Felix Episcopus dixit : Grandis & metuendus est Deus noster, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Nam dij vestri lapides sunt, manu hominum facti, de quibus scriptum est : *Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, os habent & non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis.* Magnilianus Curator dixit : Primum est quod Imperatores jusserunt, quia nihil est quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes, ut possint, sicut constitutum est, igni aduri. Felix Episcopus dixit : Melius est ut corpus meum tradam igni quàm scripturæ dominicæ per me videantur aduri : quia bonum est Deo obedire perpetuo Regi & immortali quàm Imperatori hujus seculi iniqua jubenti. Magnilianus dixit : Iam dixi tibi quia primum est quod Imperatores jusserunt quàm ea quæ loqueris. Felix Episcopus dixit : Primum est præceptum Dei custodire quàm hominibus obedire. Magnilianus Curator dixit ; Interim inter hoc triduum recogita tecum ; quia si in hac propria civitate ea quæ præcepta sunt implere neglexeris, ad Proconsulem ibis, & ea quæ nunc loqueris, apud ejus acta prosequeris. Post diem autem tertium Magnilianus Curator jussit sibi sanctum Felicem Episcopum præsentari. Ad quem cùm Felix Episcopus fuisset adductus, idem Magnilianus dixit : Deliberasti tecum quidnam melioris consilij videaris assequi ? Felix dixit : Sermo meus unus est. In quo cœpit, in hoc etiam Deo præsule finiet. Quæ enim primò loquutus sum, hæc & nunc eadem loquor, & ante Proconsulem aliud penitùs non sum

Psal. 113.

dicturus. Magnilianus Curator dixit: Ibis ergo jam nunc ad Proconsulem, & ibi redditurus es in examine rationem. Tunc viros suos his allocutus est verbis: Quoniam Felix Episcopus juxta Imperatorum decreta ea quæ nobis mandare dignati sunt facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. Felix Episcopus dixit: Deo gratias. Tunc designatus est illi ductor Vincentius nomine Decurio civitatis Tubyzacensis. Profectus est autem Felix Episcopus Carthaginem. Vbi cùm veniisset, oblatus est Legato Proconsulis. Cui idem Legatus dixit: Quare scripturas non tradis supervacuas? Felix Episcopus dixit: Habeo quidem, sed non do. Scripturæ quæ à nobis habentur, supervacuæ non sunt, nec tradi à nobis ullo modo possunt. Tunc jussit eum Legatus in ima carceris mitti. Vbi cùm Felix Episcopus fuisset ingressus, Dominum Deum suum deprecatus est dicens: Domine Deus, omnium creator & conditor, Domine Iesu Christe, ne me derelinquas, quia propter te & propter testamentum tuum hæc patior. Miserere mei, & recipe spiritum meum, & derelinque in hoc seculo corpus mortale, ut à te, Domine, sicut promittere dignatus es, tecum merear suscipere immortale. In te enim semper Domine vivens, nunquam adversùs me habebit mors potestatem. Post dies autem sedecim, hora noctis quarta, de carcere productus Felix Episcopus Anulini Proconsulis ilico est præsentatus aspectibus. Cui Anulinus Proconsul dixit: Quod tibi nomen est? Felix Episcopus dixit: Christianus sum. Anulinus Proconsul dixit: Non te de vocabulo quæsivi professionis, sed percunctatus sum quo nomine nuncuperis. Felix Episcopus dixit: Sicut tibi jam dixi, hoc nunc & iterum dico, quia Christianus sum & Episcopus. Tunc iratus Anulinus Proconsul quòd ei nomen suum dicere noluisset,

ait illi: Habes scripturas supervacuas? Felix Episcopus dixit: Habeo scripturas; sed non sunt, ut asseris, supervacuæ: quas cognosce à me nequaquam esse tradendas. Tunc Anulinus Proconsul transmisit eum Romæ ad Præfectum prætorij. Cùmque Felix Episcopus ibidem advenisset, & eidem Præfecto oblatus fuisset, jussit eum in carcere recipi & majoribus vinculis alligari. Post dies autem duodecim jussit eum Præfectus prætorij post Imperatores navigare. Tunc Felix Episcopus navem conscendit catenarum duris nexibus colligatus, & fuit in subsanio navis quatuor diebus & quatuor noctibus jacens sub pedibus equorum, panem non comedens, necaquæ quippiam bibens. Iejunus autem venit Nolam. Tunc Cognitor ejusdem civitatis venientem Felicem Episcopum sibi præsentari constituit vinculis gravioribus innodatum. Cui idem Cognitor sic ait: Felix, quomodo huc venisti? Felix Episcopus dixit: Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit: Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem scripturas deificas tradidisses, ad me huc usque minimè advenisses. Felix Episcopus dixit: Habeo quidem scripturas divinas; sed, sicut diversis inquirentibus me respondisse non nescis, hoc etiam tibi præsens modò certissimè manifesto, quia eas nullo modo trado. Cognitor dixit: Si scripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix Episcopus dixit: Plus paratus sum plecti capite quàm libros dominicos sacrilegio tradere. Tunc memoratus Cognitor jussit ut sacra Imperatorum recitarentur. Cùmque à Vincentio scriba quæ constituta fuerant legerentur, Cognitor dixit: Quoniam iste homo tantum in eadem confessione duravit, secundùm præceptum hunc eundem Felicem Episcopum gladio animadverti constituo. Felix Episcopus elevans oculos ad cœlum dixit: Deus, gratias tibi ago, qui per quinquaginta & sex annos

annos in isto seculo virginitatem meam in me custodire dignatus es. Domine Deus cœli & terræ, Domini nostri Iesu Christi pater, propter te & propter legem tuam & pro timore tuo hoc patior, & cervicem meam flecto ad victimam. Accipe spiritum meum de hoc mortali seculo. Solus enim es Deus vivens atque invictus & permanens glorioſus in sempiterna secula seculorum. Amen. Completa hac oratione, ductus à militibus, ibidem, id est, in Nola, decollatus est die octavo decimo Kalendas Februarij; ibique in Nola corpus ejus positum est, & reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos & matris Ecclesiæ filios perlatæ sunt & positæ in via quæ dicitur Scillitanorum. In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, & languores universi curantur in nomine Domini nostri Iesu Christi, cui est cum Deo patre honor & laus & gloria in Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

GESTA PVRGATIONIS Felicis Episcopi Aptungitani, qui ordinavit Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, habita Carthagini apud Ælianum Proconsulem Africæ Volusiano & Anniano Conss.

Anno Christi 314.

Desunt plurima.

in municipio Autumnitanorum Gallienus Dumvir dixit: Quoniam præsens es, Cæciliane, audi litteras Domini mei Ælij Paulini viri spectabilis agentis vicariam præfecturam, quid jubere sit dignatus secundùm epistolam ad nos datam, quæ declarare te compellit & scribam quem habuisti tunc

temporis administrationis tuæ & tabularium. Sed quoniam tabularius ejus temporis vita functus est, & omnes actus administrationis tuæ secundùm fidem litterarum ejusdem mei Domini tecum perferre debebis, & ad coloniam Carthaginiensem cum scriba tuo proficisci necesse est. Præsens est Curator, sub cujus præsentiam vos compellimus. Quid ad hoc respondes? Cæcilianus dixit: Mox ad me epistolam Ælij Paulini viri spectabilis agentis vicariam præfecturam pertulistis, statim ad scribam Miccium misi ut veniret & acta ipsius temporis confecta mihi obtulisset, & usque adhuc inquirit, quoniam non modicum tempus est ex quo duumviratum administravi, anni sunt undecim. Itaque cùm invenerit, parebo tanto præcepto. Gallienus Duumvir dixit: Tua interest jussioni parere. Vides enim jussionem esse sacram. Cæcilianus dixit: Devotus sum tanto præcepto. Item cùm paulò pòst scriba Miccius supervenisset, Fuscius Duumvir dixit: Audisti & tu, Micci, quòd & tu unà cùm Cæciliano necessarius es ire ad officium viri spectabilis Vicarij, instructionem ejus temporis ut vobiscum perferatis. Ad hæc quid dicis? Miccius respondit: Magistratus suppleto anno omnes actus suos domum suam tulit. si mei in cera possint inveniri inquiro. Et cùm quæreret, Quintus Sisenna Duumvir dixit: Quod cognovit officium respondit. Apronianus dixit: Si omnes actus suos tulerat magistratus, unde acta quæ tunc emissa erant, vel confecta tanto tempore? Et cùm diceret, Ælianus Proconsul dixit: Et mea interrogatio & singularum personarum responsio actis continetur. Agesilaus dixit: Sunt præterea & aliæ epistolæ huic rei necessariæ. Interest ut legantur. Ælianus Proconsul dixit: Lege Cæciliano audiente, ut agnoscat an ipse dictaverit. Agesilaus recitavit. Volusiano & Anniano Consulibus, XIIII. Kalendas Septem-

bris, in jure apud Aurelium Didymum Sperecium ſacerdotem Iovis optimi maximi Duumvirum ſplendidæ coloniæ Carthaginienſium Maximus dixit: Loquor nomine ſeniorum Chriſtiani populi catholicæ legis. Apud maximos Imperatores cauſa agenda erit contra Cæcilianum & Felicem, qui principatum ejuſdem legis omnia conatur invadere. Contra ipſos documenta criminum ejus conquiruntur. Nam cùm perſecutio eſſet indicta Chriſtianis, id eſt, ut ſacrificarent, aut quaſcunque ſcripturas haberent, incendio traderent, Felix, qui tunc Epiſcopus fuit Autumnos, conſenſum adtulerat ut de manu Galatij ſcripturæ traderentur, ut igni concremari poſſent; & erat tunc temporis magiſtratus Alfius Cæcilianus, quem præſentem videre dignaris. Et quoniam ejus temporis officium incumbebat ut ex juſſione proconſulari omnes ſacrificarent, & ſi quas ſcripturas haberent, offerrent ſecundùm ſacram legem, quæſo ſecundum ſens eſt, & ſenem vides, & non poteſt ad comitatum ſacrum pergere, apud acta deponat utrumne jam de pactione ſecundùm ab eodem habita litteras dederit, & utrum ea quæ in litteris contulerit, vera ſint; ut horum actus & fides in judicio ſacro detegi poſſit. Adſtanti Cæciliano Speretius Duumvir dixit: Audis quæ apud acta ſint depoſita? Alfius Cæcilianus dixit: Zamæ eram proper lineas comparandas cum Saturnino. Et cùm veniremus illò, mittunt ad me in prætorio ipſi Chriſtiani ut dicerent: Sacrum præceptum ad te pervenit? Ego dixi: Non, ſed vidi jam exempla. Et Zama & Furnis dirui baſilicas & uri ſcripturas vidi. Itaque proferte ſi quas ſcripturas habetis, ut juſſioni ſacræ pareatur. Tunc mittunt in domum Epiſcopi Felicis, ut tollerent inde ſcripturas, ut exuri poſſent ſecundùm ſacrum præceptum. Sic Galatius nobiſcum perrexit ad locum ubi orationes celebrare

consueti fuerant. Inde cathedram tulimus & epistolas salutatorias, & ostia omnia combusta sunt secundùm sacrum præceptum. Et cùm ad domum ejusdem Felicis Episcopi mitteremus, renuntiaverunt officiales publici illum absentem esse. Nam cùm posteriori tempore adveniret Ingentius scriba Augentij, cum quo ædilitatem administravi, dictavi epistolam eidem collegæ quam feci ad eundem Episcopum Felicem. Maximus dixit: Præsens est. Eadem epistola ei offeratur, ut eandem recognoscat. Respondit: Ipsa est. Maximus dixit: Quoniam recognovit epistolam suam, hanc lego, & oro plena actis inseratur. Et recitavit. *Cæcilianus parenti Felici salutem. Cùm Ingentius collegam meum Augentium amicum suum conveniret, & inquisisset anno duoviratus mei an aliquæ scripturæ legis vestræ secundùm sacram legem adustæ sint.* quam Galatius unus ex lege vestra publicè epistolas salutatorias de basilica protulerit. Opto te bene valere.* Hoc signum, quod deprecatorium ad me miserant Christiani, & ipse cujus est prætorium. & dixisti: Tolle clavem, & quos inveneris in cathedra libros & super lapide codices, tolle illos. Sanè vide officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi tibi: Tu nescis quia ubi scripturæ inveniuntur, ipsa domus diruitur? Et dixisti: Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vestris in area ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum officiales, & tollo. Et nos illò venimus, & omnia tulimus secundùm sacrum præceptum. Maximus dixit: Quoniam ejus epistolæ lectio apud acta recitata est, quam ipse agnovit se misisse, quæ dixit quæsumus actis hæreant. Speretius Duumvir dixit: Quæ dixisti scripta sunt. Agesilaus dixit: Ad præsentem epistolam recognovit; residuam partem, quam nunc legit, falsam esse dicit. Cæcilianus dixit: Domine,

usque ad hoc dictavi usquequo habet : *Opto te, parens carissime, bene valere.* Apronianus dixit: Semper sic falsum per terrorem, per scenam, per inreligiosam mentem actum est ab his qui catholicæ Ecclesiæ consentire noluerunt. Nam Paulino hic administrante vices Præfectorum, subornatus est quidam privatus homo, qui modum cursoris haberet, qui ad catholicæ unitatem veniret, atque eos induceret & terreret. Detecta igitur factio est. Nam componebatur Felici religiosissimo Episcopo per mendacium ut videretur scripturas prodidisse & exussisse. Ingentius quidem, cùm hoc totum, quicquid agebat, obesset sanctitati & religioni Cæciliani, subornatus est ut veniret cum litteris veluti Felicis Episcopi ad Cæcilianum Duumvirum, & ei confingeret à Felice se esse mandatum. Dicat ipsa verba quibus hoc est confictum. Ælianus Proconsul dixit : Dic. Apronianus dixit : Dic, inquit, Cæciliano amico meo quòd codices accepi pretiosos deificos XI. quiaque me nunc convenit ut illos restituam, dic quòd anno magistratus tui eos exusseris, ne reddam illos. Qua de re igitur de Ingentio quærendum est, quatenus hæc machinata sint ac fabricata, & quatenus voluerit circumscribere magistrum ad mendacium, ut Felicem aspergeret infamia, dicat à quo missus sit verumtamen machinationem istam in conscientiam Felicis, quò Cæciliani pudori & initio derogaret. Est enim quidam qui per Mauritaniam & Numidiam legatus missus sit ex diversa parte. Et adstante Ingentio, Ælianus Proconsul dixit : Cujus præcepto ea suscepisti agenda quæ tibi obiciuntur? Ingentius dixit : Vbi? Ælianus Proconsul dixit : Quoniam fingis te non intelligere quod interrogaris, dicam apertiùs. Quis te ad magistratum Cæcilianum misit? Ingentius dixit : Nemo me misit. Ælianus Proconsul dixit : Quomodo ergo venisti

ad magistratum Cæcilianum? Ingentius dixit: Cùm veniſſemus, & ageretur cauſa Mauri ab Vtica Epiſcopi, qui epiſcopatum ſibi redemit, ad urbem aſcendit Autumnitanus Epiſcopus Felix ut tractaret, & dixit: Nemo communicet, quia falſum admiſit. Et dixi illi ego è contrà: Nec tibi, nec illi, qui traditor es. Dolui enim cauſam Mauri hoſpitis mei, quia communicaveram cum illo in peregrè, quia evaſi perſecutionem. Exinde ibi in patria ipſius Felicis, duxi mecum tres ſeniores, ut viderent an verum tradidiſſet, an non. Apronianus dixit: Non ita venit ad Cæcilianum quærere de Cæciliano. Ælianus Proconſul Cæciliano dixit: Quomodo ad te venit Ingentius? Cæcilianus reſpondit: Domi ad me venit. prandebam cum operarijs. venit illuc. ſtetit in janua. Cæcilianus ubi eſt, dixit. Reſpondi: Hic. Ego dico ei: Quid eſt? Omnia rectè? Omnia, dicit. Reſpondi illi: Si non faſtidis prandere, veni, prande. Dicit mihi: Revertor huc. Venit illuc ſolus. Dicere mihi cœpit ecce ſic mihi curare & inquirere an aduſta fuerit ſcriptura anno duoviratus mei. Dico illi ego: Moleſtus es mihi, tu homo immiſſus es: laxa hinc te à me. Et ſprevi illum à me. Et venit illò iterato cum collega meo, cum quo fui Ædilis. Ait mihi collega meus: Felix noſter Epiſcopus miſit hunc hominem ut facias illi litteras quia accepit codices prætioſos, & noluit revocare illos. ſcribas illo quòd anno duoviratus tui combuſti ſunt. Et dixi ego: Hæc eſt fides Chriſtianorum? Ingentius dixit: Domine, veniat & Augentius. Et ego honorificus ſum, & honor meus pereat, & hujus latera habemus. Ælianus Proconſul Ingentio dixit: Revinceris alio titulo. Ælianus Proconſul dixit ad officium: Apta illum. Cùmque aptaretur, Ælianus Proconſul dixit: Suſpendatur. Cùmque ſuſpenderetur, Ælianus Proconſul Cæciliano dixit; Quomodo ad

te Ingentius venit? Respondit: Misit huc me Felix, dixit, noster, ut scribas illo quia est unus perditus, nescio qui, habens penes me codices pretiosissimos, & nolo illos restituere. Itaque fac litteras quia adusti sunt, ne revocem illos. Et ego dixi: Christiani fides hæc est? Et cœpi illum corripere. Et ait collega meus: Scribe illo Felici nostro. Et sic ego epistolam dictavi, quæ paret usquequo dictavi. Ælianus Proconsul dixit: Audi sine metu recitationem epistolæ tuæ. Recognosce quousque dictaveris. Agesilaus recitavit. *Opto te, parens carissime, multos annos bene valere.* Ælianus Proconsul Cæciliano dixit: Hucusque dictasti? Respondit: Hucusque. reliquum falsum est. Agesilaus recitavit. Hoc signo quod de prætorium ad me misisti nisi ego & tu & cujus est prætorium. & dixit: Tolle clavem, & quos invenies in cathedra libros & super lapide codices, tolle illos. Sanè vide officiales ne tollant oleum & triticum. Et ego dixi: Tu nescis quia ubi scripturæ inveniuntur, & ipsa domus diruitur? Et dixisti: Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis: Tollat aliquis de vobis in areis ubi orationes facitis, & illic ponantur. Et ego venio cum officiales, & tollo. Et nos illò venimus, & omnia tulimus secundùm placitum, & adussimus secundùm sacrum præceptum. Maximus dixit: Quoniam ejus epistolæ tenor etiam apud acta recitatus est, quam ipse agnovisse ac misisse dixit, quæsumus hoc actis tuis hæreat. Speretius dixit: Quæ dixistis scripta sunt. Cæcilianus respondit: Cillo est falsum, quousque est epistola mea, quousque dixi: *Bene vale, parens carissime.* Ælianus Proconsul dixit: Quem dicis addidisse ad epistolam? Cæcilianus dixit: Ingentium. Ælianus Proconsul dixit: Professio tua actis hæret. Ælianus Proconsul Ingentio dixit: Torqueris, ne mentiaris. Ingentius dixit: Erravi, huic epistolæ

ego addidi, dolens causa Mauri hospitis mei. Ælianus Proconsul dixit: Constantinus Maximus semper Augustus & Licinius Cæsares ita pietatem Christianis exhibere dignantur ut disciplinam corrumpi nolint, sed potiùs observari religionem istam & coli velint. Noli itaque tibi blandiri quòd mihi dicas Decurionem te esse, ac propterea non possis torqueri. Torqueris, ne mentiaris, quod alienum Christianis esse videtur. Et ideo dic simpliciter, ne torquearis. Ingentius dixit: Iam confessus sum sine tormento. Apronianus dixit: Dignare de eo quærere qua auctoritate, quo dolo, qua insania circuierit Mauritanias omnes, Numidias etiam, qua ratione seditionem commoverit catholicæ Ecclesiæ. Ælianus Proconsul dixit: Ad Numidias fuisti? Respondit: Non, Domine. sit qui probet. Ælianus Proconsul dixit: Nec in Mauritania? Respondit: Negotiari illò fui. Apronianus dixit: Et in hoc mentitur, Domine, (nam ad Mauritaniæ situm nonnisi per Numidias pergitur) quatenus dicit se in Mauritania fuisse, non fuisse in Numidia. Ælianus Proconsul Ingentio dixit: Cujus conditionis es? Ingentius respondit: Decurio sum Ziquensium. Ælianus Proconsul ad officium dixit: Submitte illum. Quo submisso, Ælianus Proconsul Cæciliano dixit: Falsa dicis quæ dixisti. Cæcilianus respondit: Non, Domine. Is qui scripsit epistolam, jube veniat. Amicus ipsius est. Ipse dicet quousque dictavi epistolam. Ælianus Proconsul dixit: Quis est ille quem venire desideras? Cæcilianus dixit: Augentium, cum quo fui Ædilis. Nom possum probare nisi per ipsum Augentium, qui scripsit epistolam, quousque dictavi illi. Ipse dicere potest. Ælianus Proconsul dixit: Constat ergo falsam esse epistolam? Cæcilianus respondit: Constat, Domine, non mentior in sanguine meo. Ælianus Proconsul dixit: Cùm duum-

viratum egeris in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere. Apronianus dixit: Nec novum est illis hoc facere. Ceterùm & actis addiderunt quod voluerunt. Iam artificium est illis. Ælianus Proconsul dixit: Ex professione Cæciliani, qui acta falsata esse dicit atque epistolæ plurima addita, manifestum est qua voluntate hæc gesserit Ingentius. Et ideo recipiatur in carcerem. Est enim arctiori interrogationi necessarius. Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum manifestum est, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit quòd religiosissimas scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascripta manifestata est, nullas scripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quòd Felix Episcopus religiosus illis temporibus neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit. Agesilaus dixit: De his qui ad potestatem vestram instruendam venerunt quid jubet potestas tua? Ælianus Proconsul dixit: Revertantur ad sedes suas.

Explicit gesta purgationis Felicis Episcopi Autumnitani ordinatoris Cæciliani Carthaginis.

CONSTANTINI IMPERATORIS epistola ad Probianum Proconsulem Africæ.

IMperatores Cæsares Flavius Constantinus Maximus & Valerius Licinianus Licinius Probiano Proconsuli Africæ. Ælianus prædecessor tuus, meritò, dum vir perfectissimus *Verus Vicarius Præfectorum tunc per Africam nostram incommoda valetudi-

* Verinus

ne teneretur, ejusdem partibus functus, inter cetera etiam id negotium vel invidiam, quæ de Cæciliano Episcopo Ecclesiæ catholicæ videtur esse commota, ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandam. Etenim cùm jam Superium * Centurionem, & Cæcilianum magistratum Aptungitanorum, & Saturninum Excuratorem, & Calibium juniorem ejusdem civitatis Curatorem, atque Solonem servum publicum suprascriptæ civitatis præsentes esse fecisset, audientiam præbuit competentem, adeo ut cùm Cæciliano fuisset objectum quòd à Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui divinarum scripturarum proditio atque exustio videretur objecta, innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cùm Maximus Ingentium Decurionem Ziquensium civitatis epistolam Cæciliani Exduumviri falsasse contenderet, eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quæ suberant, pervidimus, & ideo minimè tortum quòd se Decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit. Vnde volumus ut eundem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas, ut illis qui in præsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus & coram assistentibus apparere & intimari possit frustra eos Cæciliano Episcopo invidiam comparare atque adversùs eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet ut omissis, sicut oportet, ejusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deserviat.

* Saturianum

INCIPIVNT GESTA VBI constat traditorem Silvanum, qui cum ceteris ordinavit Majorinum, cui Donatus succeſſit.

CONſtantino Maximo Auguſto & Conſtantino juniore nobiliſſimo Cæſare Conſſ. Idibus Decembribus, Sexto Thamugadienſi inducto, & applicito Victore Grammatico, adſiſtente etiam Nundinario Diacono, Zenophilus vir clariſſimus Conſularis dixit: Quis vocaris? Reſpondit: Victor. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Cujus conditionis es? Victor dixit: Profeſſor ſum Romanarum litterarum, Grammaticus Latinus. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Cujus dignitatis es? Victor dixit: Patre Decurione Conſtantinienſium, avo milite. in comitatu militaverat. Nam origo noſtra de ſanguine Mauro deſcendit. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Memor fidei & honeſtatis tuæ ſimpliciter deſigna quæ cauſa fuerit diſſenſionis inter Chriſtianos. Victor dixit: Ego diſſenſionis originem neſcio: unus ſum de populo Chriſtianorum. Siquidem cùm eſſem apud Carthaginem, Secundus Epiſcopus cùm Carthaginem tandem aliquando veniſſet, dicuntur inveniſſe Cæcilianum Epiſcopum neſcio quibus non rectè conſtitutum. illi contrà alium inſtituerunt. Inde illic apud Carthaginem cœpta diſſenſio eſt; & inde originem ſcire diſſenſionis plenè non poſſum, quoniam ſemper civitas noſtra unam Eccleſiam habet, & ſi habuit diſſenſionem, neſcimus omnino. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Silvano communicas. Victor reſpondit: Ipſi. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Cur ergo intermiſſo eo cujus innocentia purgata eſt? Et adjecit:

Anno Chriſti 320.

Adseveratur præterea te aliud certissimè scire, quòd Silvanus traditor sit. de eo confitere. Victor respondit : Hoc nescio. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario Diacono dixit : Negat se Victor scire quòd Silvanus traditor sit. Nundinarius Diaconus dixit : Scit ipse num tradidit codices. Victor respondit : Fugeram hanc tempestatem ; &, si mentior, peream. Cùm incursum pateremur repentinæ persecutionis, fugivimus in montem Bellonæ. Ego sedebam cum Marte Diacono ; & Victor Presbyter, cùm ab eodem Marte quærerentur omnes codices, negavit se habere. Tunc Victor dedit nomina omnium lectorum. Ventum est ad domum meam. Cùm absens essem, ascensum est à magistratibus, & sublati sunt codices mei. Cùm ego veniissem, inveni codices sublatos. Nundinarius Diaconus dixit : Tu ergo respondisti apud acta, quoniàm dedisti codices. Quare negantur hæc quæ prodi possunt ? Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit : Simpliciter confitere, ne strictiùs interrogeris. Nundinarius Diaconus dixit : Legantur acta. Zenophilus V.C. Consularis dixit : Legantur. Et dedit Nundinarius, & exceptor recitavit. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Consulib. XIV. Kalendas Iunias, ex actis Munatij Felicis flaminis perpetui Curatoris coloniæ Cirtensium. Cùm ventum esset ad domum in qua Christiani conveniebant, Felix flamen perpetuus Curator Paulo Episcopo dixit : Proferte scripturas legis, & si quid aliud hîc habetis, ut præcepto & jussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit : Scripturas lectores habent, sed nos quod hîc habemus, damus. Felix flamen perpetuus Curator Paulo Episcopo dixit : Ostende lectores, aut mitte ad illos. Paulus Episcopus dixit : Omnes cognoscitis. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit : Non eos novimus. Paulus Episcopus dixit : Novit

eos officium publicum, id est, Edusius & Iunius exceptores. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit: Manente ratione de lectoribus, quos demonstrabit officium, vos quod habetis date. Sedente Paulo Episcopo, Montano, & Victore, Deusatelio, & Memorio Presbyteris, adstante Marte cum Helio & Marte Diacones, Marcuclio, Catullino, Silvano, & Carosо Subdiacones, Ianuario, Meraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore Samsurico, & ceteris fossoribus, contrascribente Victore Aufidij, in brevi sic: Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea, cuccumellum argenteum, lucernas argenteas septem, cereofala duo, candelas breves æneas cum lucernis suis septem, item lucernas æneas undecim cum catenis suis, tunicas muliebres LXXXII. mafortea XXXVIII. tunicas viriles XVI. caligas viriles paria XIII. caligas muliebres paria XLVII. coplas rusticanas XIX. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Marcuclio, Silvano, & Carosо fossoribus dixit: Proferte hoc quod habetis. Silvanus & Carosus dixerunt: Quod hîc fuit, totum hoc ejecimus. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Marcuclio, Silvano, & Carosо dixit: Responsio vestra actis hæret. Posteaquam in bibliothecis, inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam & lucernam argenteam, quòd diceret se post orcam eas invenisse. Victor Aufidij Silvano dixit: Mortuus fueras, si non illas invenisses. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Silvano dixit: Quære diligentiùs, ne quid hîc remanserit. Silvanus dixit: Nihil remansit, totum hoc ejecimus. Et cùm apertum esset triclinium, inventa sunt ibi dolia IV. & orcas sex. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit: Proferte scripturas quas habetis, ut præceptis Imperatorum & jussioni parere

possitis. Catulinus protulit codicem unum pernimium majorem. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Marcuclio & Silvano dixit: Quare unum tantummodo codicem dedistis? Proferte scripturas quas habetis. Catulinus & Marcuclius dixerunt: Plus non habemus, quia Subdiacones sumus: sed lectores habent codices. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Marcuclio & Catulino dixit: Demonstrate nobis lectores. Marcuclius & Catulinus dixerunt: Non scimus ubi maneant. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Catulino & Marcuclio dixit: Si ubi manent non nostis, nomina eorum dicite. Catulinus & Marcuclius dixerunt: Nos non sumus proditores. Ecce sumus, jube nos occidi. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit: Recipiantur. Et cùm ventum esset ad domum Eugenij, Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit Eugenio: Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis. & protulit codices quatuor. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Silvano & Carosо dixit: Demonstrate ceteros lectores. Silvanus & Carosus dixerunt: Iam dixit Episcopus quia Edusius & Iunius exceptores omnes noverunt. Ipsi tibi demonstrent ad domus eorum. Edusius & Iunius exceptores dixerunt: Nos eos demonstramus, Domine. Et dum ventum fuisset ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque. Et cùm ventum esset ad domum Victorini, protulit codices octo. Et cùm ventum fuisset ad domum Projecti, protulit codices V. majores & minores duos. Et cùm ad Grammatici domum ventum fuisset, Felix flamen perpetuus Curator Victori Grammatico dixit: Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis. Victor Grammaticus obtulit codices 11. & quiniones quatuor. Felix flamen perpetuus Curator Victori dixit: Profer scripturas, plus habes. Victor

Grammaticus dixit: Si plus habuissem, dedissem. Et cùm ventum fuisset ad domum Euticij Cæsarianensis, Felix flamen perpetuus Curator Euticio dixit: Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis. Euticius dixit: Non habeo. Felix flamen perpetuus Curator Euticio dixit: Professio tua actis hæret. Et cùm ventum fuisset ad domum Coddeonis, protulit uxor ejus codices sex. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ dixit: Quære, ne plus habeatis. profer. Mulier respondit: Non habeo. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Bovi servo publico dixit: Intra, & quære, ne plus habeat. Servus publicus dixit: Quæsivi, & non inveni. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Victorino, Silvano, & Caroso dixit: Si quid minùs factum fuerit, vos contingit periculum. Quibus lectis, Zenophilus V. C. Consularis Victori dixit: Confitere simpliciter. Victor respondit: Non fui præsens. Nundinarius Diaconus dixit: Legimus epistolas Episcoporum factas à Forte. & legit exemplar libelli traditi Episcopis à Nundinario Diacono. Testis est Christus & angeli ejus quoniam tradiderunt quibus communicastis, id est, Silvanus à Cirta traditor est & fur rerum pauperum. Quod omnes vos Episcopi, Presbyteri, Diacones, Seniores scitis de quadringentis follibus Lucillæ clarissimæ feminæ, pro quo vobis conjurastis ut fieret Majorinus Episcopus: & inde factum est schisma. Nam & Victor fullo vestri præsentia & populi dedit folles viginti ut factus esset Presbyter. quod scit Christus & angeli ejus. Et recitatum est exemplum epistolæ. Purpurius Episcopus Silvano coëpiscopo in Domino salutem. Venit ad me Nundinarius Diaconus filius noster, & petiit has litteras deprecatorias à me ad te, sanctissime, dirigerem, ut si fieri posset, pax inter te & ipsum sit. Hoc enim volo fieri, ut nemo

sciat quid inter nos agatur. Si volueris, scripto tuo [agatur] ut & ego solus ibi in re præsenti veniam, & dissensionem ipsam de inter vos amputem. Manu sua enim mihi tradidit libellum rei gestæ, pro qua causa tuo præcepto fuerit lapidatus. Non est verum ut pater castiget filium contra veritatem, & scio quia vera sunt quæ in libello mihi tradito sunt conscripta. Quære remedium quomodo poterit ibi malignitas ista extingui antequam flamma exsurgat, quæ post demum extingui non poterit sine sanguine spiritali. Adhibete conclericos & seniores plebis ecclesiasticos viros, & inquirant diligenter quæ sunt istæ dissensiones, ut ea quæ fiunt secundùm fidei præcepta fiant. Non declinabis ad dextram vel ad sinistram. Libenter autem aurem commodare nolis malis instructoribus, qui nolunt pacem. Omnes nos occiditis. *& alia manu.* Vale. Item & exemplum epistolæ. Purpurius Episcopus Clericis & Senioribus Cirtensium in Domino æternam salutem. Clamat Moyses ad omnem senatum filiorum Israël, dixitque illis, quæ Dominus jubeat fieri sine consilio seniorum nihil agebatur. Itaque & vos, carissimi, quos scio omnem sapientiam cœlestem & spiritalem habere, omni vestra virtute cognoscite quæ sit dissensio hæc, & perducite ad pacem. Dicit enim Nundinarius Diaconus quòd nihil vos lateat unde hæc dissensio est inter carissimum nostrum Silvanum & ipsum. Tradidit enim mihi libellum in quo omnia sunt conscripta. Dixit enim & vos non latere. Ego scio quia auris non est. Bonum quærite remedium quomodo extinguatur hæc res sine periculo animæ vestræ; ne subitò cùm personam accipitis, in judicio veniatis. Iustum judicium inter partes judicate secundùm gravitatem vestram & justitiam. Cavete vobis ne declinetis in dexteram neque in sinistram. Dei res agitur, qui

scrutatur

scrutatur cogitationes singulorum. Elaborate nemo sciat quæ sit conjuratio hæc. Vestra sunt quæ libello continentur. non est bonum. Dicit enim Dominus: *Ex ore tuo condemnaberis, & ex ore tuo justificaberis.* Matth. 12. Item alia recitata. Silvano fratri carissimo Fortis in Domino æternam salutem. Venit ad me filius noster Nundinarius Diaconus, & retulit ea quæ inter te & illum contigerunt per malivoli intercessum, qui vult animas justorum à via veritatis avertere. Cùm hæc audirem, mente defectus sum, quòd talis dissensio inter vos venit. Dei enim sacerdos ut ad hoc veniat quod non nobis expediat fiat. Nunc ergo petite eum ut, quod potest, cum ipso pax Domini salvatoris Christi sit. Non ad publicum veniamus & à gentibus damnemur. Scriptum est enim: *Videte ne dum mordetis, & causamini in invicem, ab invicem consumamini.* Gal. 5. Ergo peto Dominum ut tollatur de medio nostrum hoc scandalum, ut possit res Dei cum gratiarum actione celebrari, Domino dicente: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Ioa. 14. Quæ pax poterit esse ubi dissensio est, æmulationes sunt? Nam cùm ego à milites essem ass. * separatus & in illo venissem, cum injuria tali, Deo commendavi animam meam, & remisi tibi, quia Deus videt mentes hominum & eorum, sive à te ad illos perductus sum, sed Deus nos liberavit, & tecum servimus. Ergo, sicuti dimissum est nobis, & vos reconciliamini paci, ut in nomine Christi possimus cum gaudio pacem celebrare. Nemo sciat. Fratribus & filiis, clero & senioribus, Fortis in Domino æternam salutem. Venit ad me filius meus Nundinarius Diaconus vester, & retulit de ea quæ contra vos sunt gesta, necnon utique à vobis debuit componi, ne ventum esset ut talem insaniam passi, à quibus lapidarentur pro veritate, quod &

vos & nos scimus, sicuti nobis retulistis & scriptum est: *Non est sapiens quisquam inter vos qui possit*
1. Cor. 6. *judicare inter fratres? sed frater cum fratre judicatur, sed apud infideles* sicuti vos cùm in judicio non intenditis. Sic ad hoc exilitum est ut gentibus demus tale exemplum, ut qui per nos Deo credebant, ipsi nobis maledicant, cùm ad publicum pervenimus? Ergo, ne ad hoc veniatur, vos, qui spiritales estis, facite ut nemo sciat, ut cum pace Pascha celebremus, & hortemini eos paci reconciliari, & dissensio non sit, ne cùm ad publicum ventum fuerit, incipiatis & vos periclitari, si hoc factum fuerit, & postea vobis imputetis. Dabitis quam plurime, tu possessor Donati Presbyter, singuli Valeri & Victor, qui omnia scitis actū date operam ut pax sit vobiscum. Item alia recitata. Fratri Silvano Sabinus in Domino æternam salutem. Pervenit ad nos Nundinarius filius tuus, non tantùm ad me, sed & ad fratrem nostrum Fortem, fortem & gravem querelam referens. Miror gravitati tuæ, sic te egisse cum filium tuum, quem tu nutristi & ordinasti. Si enim ædificium terræ structum sit, non additur quid cœleste, quod per manum sacerdotis ædificatur. Sed non est tibi mirandum, scriptura dicente: *Perdam*
2. Cor. 1. *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et iterum dicit: *Potiùs dilexerunt homi-*
Ioa. 3. *nes tenebras magis quàm lucem*, sicuti & tu facis. Sufficiat vobis omnia scire. super quod & frater noster Fortis tibi scripsit. Nunc petierim de caritate tua, frater benignissime, ut suppleas dictum Esaiæ
Isa. 1. Prophetæ: *Expellite malignitatem de animis vestris, & venite, disputemus, dicit Dominus.* Et iterum: *Proicite malum de medio vestrum* Sic & tu fac. Subjuga & averte seditionē, quæ noluerunt esse pacem inter te & filium tuum. Sed filius tuus Nundinarius in pace tecum Pascha celebret, ne res ad

publicum veniat præterea jam omnibus nobis nota. Rogaverim te, frater benigniſſime, mediocritatis meæ compleas petitionem. Nemo ſciat. Item alia recitata. Fratri Forti Sabinus in Domino æternam ſalutem. Quæ ſit caritas juxta omnes collegas, certus ſum peculiariter, tamen ſecundùm Dei voluntatem, qui dixit, *Quoſdam diligo ſuper animam meam*, Silvanum te coluiſſe certus ſum. Quare non dubitavi hæc ſcripta ad te dare, quia ſcripta tua ad eum facta dari feci propter nomen Nundinarij; & qui impigrè agit, ſemper res Dei impetu procedit. Ne prætendas excuſationem. Occupatio namque nos diebus iſtis ſtringit, & incunctanter commovet circa hæcuſque ante diem ſolemniſſimum Paſchæ, ut per te fiat pinguiſſima pax, ut digni coheredes Chriſti inveniamur, qui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Et iterum. Peto ut facias. *Et alia manu*. Opto te in Domino bene valere & noſtri memorem eſſe. Vale. Sed rogo te, nemo ſciat. Quibus lectis Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Et actis & literis quæ recitatæ ſunt traditorem conſtat eſſe Silvanum; & Victori dixit: Simpliciter confitere utrum ſcias eum aliquid tradidiſſe. Victor dixit: Tradidit, ſed non me præſente. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Quid adminiſtrabat tunc Silvanus in clero? Victor reſpondit: Sub Paulo Epiſcopo orta eſt perſecutio, & Silvanus Subdiaconus fuit. Nundinarius Diaconus reſpondit: Quando ventum eſt illic, ait, ut factus eſſet Epiſcopus, reſpondit populus: Alius fiat, exaudi Deus. Zenophilus V. C. Conſularis Victori dixit: Dictum eſt à populo, Silvanus traditor? Victor dixit: Ego ipſe luctatus ſum Epiſcopus. Zenophilus V. C. Conſularis Victori dixit: Ergo ſciebas traditorem? De hoc confitere. Victor reſpondit: Traditor fuit. Nundinarius Diaconus dixit: Vos ſeniores clamabatis: Exaudi Deus, civem

Ioa. 14.

noſtrum volumus, ille traditor eſt. Zenophilus V. C. Conſularis Victori dixit: Clamaſti ergo cum populo quòd traditor eſſet Silvanus, & non deberet fieri Epiſcopus? Victor dixit: Clamavi & ego & populus. Nos enim civem noſtrum petebamus integrum virum. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Qua cauſa putabatis eum non mereri? Victor dixit: Integrum petebamus, & civem noſtrum. Sciebam enim * cauſam Imperatorum ad hoc nos eſſe venturos, dum enim talibus committitur. Item inductis & adplicitis Victore Samſurici & Saturnino foſſoribus, Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Quis vocaris? Reſpondit: Saturninus. Zenophilus V. C. dixit: Cujus conditionis es? Saturninus reſpondit: Foſſor. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Silvanum ſcis eſſe traditorem? Saturninus dixit: Scio lucernam tradidiſſe argenteam. Zenophilus V. C. Conſularis Saturnino dixit: Quid aliud? Saturninus reſpondit: Aliud neſcio, niſi quia de poſt orcam eam ejecit. Et remoto Saturnino, Zenophilus V. C. Conſularis dixit adſtanti: Et tu, quis vocaris? Reſpondit: Victor Samſurici. Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Cujus conditionis es? Victor dixit: Artifex ſum. Zenophilus V. C. dixit: Tabulam argenteam quis tradidit? Victor reſpondit: Non vidi. quod ſcio, hoc dico. Zenophilus V. C. Conſularis dixit Victori: Licèt jam conſtiterit ex reſponſione eorum qui ſuprà ſunt interrogati, tamen tu confitere utrum Silvanus traditor ſit. Victor dixit: Secundo petato quomodo hoc dimiſit ut duceremur ad Carthaginem, ore ipſius Epiſcopi audivi. Data eſt mihi lucerna argentea, & capitulata argentea, & has tradidi. Zenophilus V. C. Victori Samſurici dixit: A quo audiſti? Victor dixit: A Silvano Epiſcopo. Zenophilus V. C. Conſularis Victori dixit: Ab ipſo audiſti quòd tradidiſſet? Victor dixit: Ab ipſo audivi quòd ſuis

* *f.* ante Imperatores

manibus tradidisset illas. Zenophilus V.C. dixit: Vbi audisti? Victor dixit: In basilica. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Apud Constantinam? Victor dixit: Ibi cœpit alloqui populum dicens: De quo dicunt me traditorem esse, de lucerna & capitulata? Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quid aliud putas ex his esse quærendum? Nundinarius dixit: De cupis fisci, quis illas tulit. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quas cupas? Nundinarius dixit: In templo Sarapis fuerunt, & tulit illas Purpurius Episcopus: acetum quod habuerunt, tulit illum Silvanus Episcopus, Dontius Presbyter, & Lucianus. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Sciunt id factum qui adsistunt? Nundinarius respondit: Sciunt. Diaconus Saturninus dixit: Dicebant majores nostri quia sublatæ sunt. Zenophilus V. C. Consularis dixit: A quo sublatæ dicuntur? Saturninus dixit: A Purpurio Episcopo, & acetum à Silvano & Dontio & Superio Presbyteris & Luciano Diacono. Nundinarius dixit: Viginti folles dedit, & factus est Presbyter Victor? Saturninus dixit.* Et cùm diceret, Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Cui dedit? Saturninus dixit: Silvano Episcopo. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Ergo, ut fieret Presbyter, Silvano Episcopo viginti folles præmium dedit? Saturninus dixit: Dedit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Ante Silvanum positum est? Saturninus dixit: Ante cathedram Episcoporum. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: A quo pecunia sublata est? Nundinarius dixit: Ipsi Episcopi diviserunt eam inter se. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Donatum desideras exhiberi? Nundinarius dixit: Vtique veniat, de quo clamavit populus biduo post * pare: Exaudi Deus, civem nostrum volumus. Zenophilus V. C. Consularis

Nundinario dixit: Certè clamavit hoc populus? Respondit: Clamavit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Traditorem clamavit Silvanum? Saturninus dixit: Vtique. Nundinarius dixit: Quando factus est Episcopus, non illi communicavimus, quia dicebatur traditor esse. Saturninus dixit: Quod dicit, verum est. Nundinarius dixit: Vidi quia Mutus harenarius tulit eum in collo. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Sic factum est? Saturninus dixit: Sic. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Vera sunt omnia quæ dicit Nundinarius, quia ab harenariis factus est Episcopus Silvanus? Saturninus dixit: Vera Nundinarius dixit. prostibulæ illic fuerunt. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino dixit: Harenarij illum gestaverunt? Saturninus dixit: Ipsi eum tulerunt, & populus. Nam cives in area martyrum fuerunt inclusi. Nundinarius Diaconus dixit: Numquid populus Dei ibi fuit? Saturninus dixit: In casa majore fuit inclusus. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Certa omnia quæ dicit Nundinarius, vera sunt? Saturninus dixit: Vera. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Tu quid dicis? Victor dixit: Vera sunt omnia, Domine. Nundinarius dixit: Purpurius Episcopus tulit centum folles. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: De quadringentis follibus quos putas interrogandos? Nundinarius dixit: Lucianus Diaconus exhibeatur, quia ipse totum scit. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Iine sciunt? Nundinarius dixit: Non sciunt. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Exhibeatur Lucianus. Nundinarius dixit: Sciunt isti acceptos esse quadringentos folles; sed quia Episcopi eos diviserunt, nesciunt. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario & Victori dixit: Scitis acceptos esse folles à Lucilla? Saturninus & Victor dixerunt: Scimus. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Pauperes non accepe-

runt? Dixerunt: Nemo nihil accepit. Zenophilus V. C. Consularis Saturnino & Victori dixit: Nihil de fano Sarapis sublatum est? Saturninus & Victor dixerunt: Purpurius tulit cupas, & Silvanus Episcopus & Dontius & Superius Presbyteri & Lucianus Diaconus tulerunt acetum. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Responsione Victoris Grammatici & Victoris Samsurici & Saturnini claruit vera esse omnia quæ suggessit Nundinarius. Submoveantur & exeant. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quos alios putas interrogandos? Nundinarius dixit: Castum Diaconum, ut dicat si non est traditor. Ipse illum ordinavit. Et inducto & applicito Casto Diacone, Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Castus. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Cujus conditionis es? Castus dixit: Nullam dignitatem habeo. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Licèt nunc per Victorem Grammaticum quàm etiam per Victorem Samsurici & Saturninum venerunt in confessionem quæ Nundinarius obicit, tamen etiam tu confitere utrum traditor sit Silvanus. Castus respondit: Dicebat quòd invenerit lucernam post orcam. Zenophilus V. C. Consularis dixit Casto: Etiam de cupas de fano Sarapis sublatas & aceto confitere. Castus respondit: Purpurius Episcopus tulit cupas. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Acetum quis? Respondit Castus quòd tulerunt inde acetum Silvanus Episcopus, Dontius & Superius Presbyteri. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Confitere quot folles dedit Victor ut Presbyter fieret? Castus dixit: Obtulit, Domine, sacellum, & quid habuerit, nescio. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Cui datum est sacellum? Castus dixit: Illò tulit eum in casa majore. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Populo non est divisa pecunia? Castus respondit: Non

est data, nec vidi. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: De folles quos Lucilla dedit, populus minutus nihil accepit? Castus dixit: Non vidi accipere neminem. Zenophilus V. C. Consularis Casto dixit: Quò ergo pervenerunt? Castus dixit: Nescio. Nundinarius dixit: Vtique vel audisti vel vidisti si dictum est pauperibus: Dat & vobis de re sua Lucilla. Castus dixit: Non vidi aliquem accipere. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Manifesta est Casti confessio quòd folles quos Lucilla donavit, populo divisos esse nesciret, & ideo amoveatur. Et applicito Crescentiano Subdiacono, Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit: Crescentianus. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Simpliciter sicut & ceteri confitere utrum scias traditorem Silvanum. Crescentianus dixit: Priores qui fuerunt Clerici, ipsi retulerunt singula. Zenophilus vir clarissimus Consularis Crescentiano dixit: Quid retulerunt? Crescentianus dixit: Referebant quòd traditor esset. Zenophilus vir clar. Consularis Crescentiano dixit: Dixerunt illum traditorem? Et adjecit: Qui dicebant? Crescentianus dixit: Qui cum illo conversabantur in plebe, dixerunt quòd aliquando tradidisset. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: De Silvano dicebant? Crescentianus dixit: Vtique. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cùm factus fuisset Episcopus, præsto fuisti? Crescentianus dixit: Præsens cum populo fui, inclusus in casa majore. Nundinarius Diaconus dixit: Campenses & harenarij fecerunt illum Episcopum. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Mutus harenarius certè eum sustulit? Dixit: Manifestè. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cupas de fano Sarapis scis esse sublatas? Crescentianus dixit: Plures dicebant quòd Purpurius

Episcopus ipse sustulerit cupas & acetum, quod ad senem nostrum Silvanum perveniſſet, & filij Ælionis dicebant. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Quid audisti? Crescentianus dixit: Acetum sublatum à sene Silvano & Dontio & Superio Presbyteris & Luciano Diacono. Zenophilus V.C. Consularis Crescentiano dixit: Ex quadringentis follibus quos Lucilla donavit, populus aliquid accepit? Crescentianus dixit: Nihil inde nemo accepit, nescio, nec quis illos erogaverit. Nundinarius dixit: Aniculæ nunquam inde aliquid acceperunt? Crescentianus dixit: Nihil. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Certè quotiens aliquid tale donatur, omnes inde populares publicè accipiunt. Crescentianus dixit: Non audivi vel vidi dediſſe illum aliquos. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Nihil ergo datum est de quadringentis follibus populo? Crescentianus dixit: Nihil. Vtique perveniſſet aliqua partiuncula ad nos. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Quò ergo sublati sunt? Crescentianus dixit: Nescio. Nemo nihil accepit. Nundinarius dixit: Victor quot folles dedit ut fieret Presbyter? Crescentianus dixit: Vidi allatos cophinos cum pecunia. Zenophilus V. C. Consularis Crescentiano dixit: Cui dati sunt cophini? Crescentianus dixit: Episcopo Silvano. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Silvano dati sunt? Crescentianus dixit: Silvano. Zenophilus V. C. Consularis dixit: Populo nihil datum est? Respondit: Nihil. Necesse est ut & nos aliquid acciperemus, si distribuerentur sicut solet. Zenophilus V. C. Consularis Nundinario dixit: Quid aliud de Crescentiano putas esse requirendum? Nundinarius dixit: Ipsud est. Zenophilus V. clar. Consularis dixit: Quoniam de omnibus Crescentianus Subdiaconus simpliciter confessus est, submoveatur. Item

inducto & applicito Ianuario Subdiacono, Zenophilus V. clar. Consularis dixit: Quis vocaris? Respondit...

Cetera desunt.

PASSIO SANCTARVM Seraphiæ & Sabinæ.

Anno Christi 122.

CVm dies itaque metuendus persecutionis innotuisset Christianis, multi etiam per orbem terrarum subirent in nomine Christi martyria, erat virgo sancta Seraphia apud oppidum Vendinensium, civis Antiochena, in domo Sabinæ, quæ fuit uxor Valentini & filia Herodis metallarij cujusdam, qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Romo candidam confessionem dedit Romanis. Cùm igitur eam memorata sancta Seraphia hortaretur, suadens etiam illi ut Iesu Christi notitiam gereret, credens sancta Sabina in Domino Iesu crescebat in fidem & bonam conversationem. Ad quam tunc misit Virillus Præses ut sanctæ Dei virgines apparerent ad tribunal. Primùm quidem illustrissima femina sancta Sabina adhibitis pueris seu puellis restitit illis. Et post paululum dixit ad eam sancta Seraphia. Domina mater, permitte mihi ut eam. Tu tantummodo ora, & fidens esto in Dominum Iesum Christum. Credo enim ego, etsi indigna & peccatrix sum, quòd dignam me faciet Dominus meus Iesus Christus ancillam suam. Dicit ad eam Sabina. Filia & domina mea virgo Seraphia, aut vivere aut mori tecum habeo, non te dimittam. Et cùm ei satis immineret, jussit sibi parari basternam, & perrexit ad prætorium.

II. Cùmque nuntiatum fuisset Præsidi Sabinam

illustrissimam feminam ante fores prætorij stare habentem etiam secum Christianissimam illam Seraphiam, surrexit Præses, & ingressus est in porticum prætorij, honorans & dicens. Quid tibi ipsa derogas, aut quare temetipsam vilem reddis, aut quare non consideras quæ es aut cujus filia? Conjunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos & memoriam tanti viri cui fuisti juncta & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Revertere magis in domum tuam, & dimitte illam nefandam, quæ maleficiis te expulsa demultavit à deorum cultura. Sabina respondit. Illius sanctæ puellæ maleficiis utinam & tu suadearis sicut & ego ab ea justè suasa sum ut ab immundis recederem idolis & verum & certissimum agnoscerem Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Præses tunc quidem reveritus illam, recepit se in prætorium. Illa autem cum sancta virgine reversa est in domum suam.

III. Præses verò post tertium diem paravit lusorium trans pontem super arcum Albini, ubi solebat fieri themela; & jussit officio ut adduceretur Seraphia, quia rapuisset ad officium. Sancta autem Sabina secuta est eam pedibus, & venit ad lusorium; & cùm vidisset se non posse juvare illam, exclamavit dicens Præsidi. Canis rabide Asiatice, noli contra salutem tuam sanctam Dei virginem & dominam tuam contristari injuriis. Propè est enim immo adest Dominus noster, qui te & Imperatores tuos torquebit sempiternis tormentis, qui tanta mala excogitaverunt servientibus Deo vivo. & recepit se in domum suam cum magno fletu.

IV. Præses verò jussit sisti sanctam Seraphiam, dicens illi. Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant Domini Imperatores. Seraphia respondit. Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit

cœlum & terram & quæ sunt in eis. Nam deos quos jubes me adorare, non sunt dij, sed sunt dæmones. Et non licet mihi adorare eos, quia Christiana sum. Præses dixit. Accede igitur, & sacrifica Christo tuo. Seraphia respondit. Ego cotidie illi offero sacrificia, adorans illum & deprecans die ac nocte. Præses dixit. Et ubi est templum Christi tui, vel quod sacrificium illi offers? Seraphia respondit. Vt me ipsam mundam exhibeam per castam conversationem, & ut alios adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam. Præses dixit. Hoc est templum Dei & sacrificium Christi tui? Seraphia respondit. Majus nihil est quàm verum Deum cognoscere & piè vivere & illi servire. Præses dixit. Ergo tu es ipsa templum Dei tui, ut dicis? Seraphia respondit. Si ipso juvante munda permansero, illius sum templum. Sic enim dicit divina scriptura:

1. Cor. 3. *Vos estis templum Dei vivi, & spiritus sanctus habitat in vobis.* Præses dixit. Si ergo violata fueris, desines esse templum Dei tui? Seraphia respondit.

Ibid. Dicit scriptura divina: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

V. Præses autem peccatum ignorans jussit duobus juvenibus lascivis Ægyptiis eam tradi, ut ea per integram noctem abuterentur. Quam suscipientes horridi juvenes, perduxerunt eam in locum secretum, ubi erat cubiculum valde obscurissimum. Tunc stans sancta Seraphia in memorato cubiculo orabat dicens: Sancte sancte sancte, te invoco Domine Iesu Christe, qui es verus custos & conservator. Te invoco Domine Iesu Christe, qui es lumen & gaudium sempiternum. Te invoco Domine Iesu Christe, qui sanctos Apostolos tuos in carceris custodia detentos clausis januis visitasti & confortasti. Adesto nunc precor mihi miseræ & peregrinæ ancillæ tuæ Seraphiæ, & libera me à sordida contagione juve-

num istorum. Obscurentur oculi eorum ne videant & non valeant contingere me ancillam tuam confidentem in te, & non contaminent sigillum tuum tua consecratione signatum. Confunde impudentiam eorum, & munda me à coinquinatione carnis, & ad te jube me transire, & adesto Domine Iesu Christe cum ancilla tua Sabina. Corrobora eam in tua magnitudine, ut non inimicus diabolus exultet super eam, quæ multa sustinuit propter nomen sanctum tuum circa me ancillam tuam. Domine Iesu Christe, exaudi me, qui es benedictus & gloriosus & superlaudabilis filius cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

VI. Et cùm memorati juvenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum virginis Christi accedere, subitò sonus magnus factus est & terræ motus horribilis, ita ut per totum oppidum sentiretur. Iuvenes autem illi tremefacti, ceciderunt examines in terram, membris omnibus dissolutis. Sancta verò Dei ancilla immaculata videns adesse cæleste auxilium, extensis ad cœlum puris manibus pernoctavit deprecans Dominum. Diluculo autem properaverunt missi à profanissimo Præside ut vocarent juvenes, & si præcepta implessent maligni, interrogarentur. Ingressi autem invenerunt sanctam Dei virginem orantem, juvenes verò dejectos in terram velut mortuos, penitùs non habentes potestatem erigendi se. Sed neque loqui poterant, sed tantummodo oculi eorum erant aperti. Concursus autem factus est non modicus.

VII. Præses autem cùm audisset, jussit præparari tribunal & produci sanctam Dei ancillam. Et cùm ducta fuisset, Præses dixit. Quid est, puella? Fecerunt juvenes illi satis desiderio tuo, an delectaris adhuc? Sancta Seraphia respondit. Tu quidem secundùm perversam mentem tuam, quam

pervertit & possedit inimicus diabolus, inridens loqueris. Ego autem juvenes quos dicis, nec sensi, nec fuerunt mecum. Præses dixit. Quid ergo, hac nocte tecum non fuerunt? Seraphia respondit. Mecum fuit cujus sum & ad quem pertineo. Præses dixit. Quis est ille? Seraphia respondit. Custos & conservator meus Dominus Iesus Christus. Præses dixit. Quid tantam multitudinem tricas? Dic mihi quomodo vel quibus maleficiis juvenes enervasti. Seraphia respondit. Nobis Christianis non licet esse maleficos. Nam quos per maleficia vestra interfeciſtis, noster & omnium Dominus Iesus Christus invocatus vivificat eos. Præses dixit: Si ergo superat Christus tuus omnes maleficas artes, invoca eum propter juvenes illos ut reddatur illis sanitas pristina, & dicant si luserunt tecum per noctem an non. Ego certissimè scio quia ideo quibusdam illos maleficiis dementes feciſti ne te de turpitudine tua detegerent. Seraphia respondit. Deus, cujus ego ancilla sum, omnipotens est, & apud eum nihil impossibile est. Præses dixit. Igitur si apud illum Deum tuum nihil impossibile est, fac ut juvenes illi ad se redeant & loquantur. Seraphia respondit. Vt tu suspicaris, maleficia ego ignoro; sed oratio est mihi ad Deum meum, per quam præstat non mihi tantummodo sed omnibus invocantibus eum ex toto corde. Præses dixit. Quomodo vis fac, tantùm ut loquantur juvenes, & tunc videbimus integritatem tuam. Seraphia respondit. Iam tibi dixi quia maleficia facere nescio, sed adorare & exorare Deum ut annuat. Præses dixit. Perge igitur ad locum ubi sunt juvenes, & precare super eos Deum tuum. Seraphia respondit. Vt non alij fraudentur miraculo, aut malè sentiant sicut & tu, quid opus est ut ego illuc vadam? Iube eos huc perduci in conspectu omnium. Et jussit Præses perduci juvenes.

quos portantes manibus perduxerunt ad tribunal. Et erant quasi nunquam habuissent linguam nec pedes ad ambulandum neque manus ad palpandum. Omnibus enim membris erant omnino resoluti.

VII. Igitur omnibus mirantibus, Præses dixit. Seraphia, precare nunc Christum tuum super istorum sanitatem. Sancta autem Seraphia extendens ad cælum manus dixit. Domine Deus omnipotens, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui per sanctos Apostolos tuos mortuos resuscitasti, leprosos mundasti, dæmones fugasti, mutis linguam donasti, surdis auditum præstitisti, nunc precor exaudi me ancillam tuam confidentem in te, & ne dissimules propter hunc infelicem & incredulum, sed releva juvenes istos in conspectu omnium expectantium te per meam orationem ad confusionem istius stulti, qui insanit adversùm credentes. Accelera Domine, ut cognoscant quia tu es Deus solus, qui facis mirabilia, & non est alius præter te. Et accedens tetigit juvenes illos dicens. In nomine Domini nostri Iesu Christi erigite vos in statu vestro. Qui mox audierunt, & steterunt in pedibus suis, & cœperunt loqui.

VIII. Et cùm hæc vidisset populus & miraretur, Præses dixit. Videtis quia non adimplebat artem maleficij sui nisi eos manibus perpalpasset. Et ait Præses juvenibus. Quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit? Et resoluti juvenes dixerunt. Domine Præses, nos secundùm præceptum sublimitatis tuæ mox ut ad illam accessissemus, ingressus est quidam juvenis decoræ miræque magnitudinis, & totus splendebat sicut sol, & stetit inter nos & puellam hanc, & præ claritate illius tremor & caligo & defectio nos comprehendit, & exinde non habuimus sensum usque modò. Cognosce hoc Domine Præses, quia hæc puella malefica est, aut verè Deus ejus magnus est.

Præses ad puellam dixit. Dic mihi, Seraphia, genus maleficiorum, quibus artibus hæc facis, & mox te dimittam. Seraphia respondit. Ego maleficia odi. Sed omnes qui Christiani sunt, Christum nominantes maleficia ad nihilum redigunt, & non valebunt nocere eis. Præses dixit. Ecce jam nunc videamus si valebit ars tua. Et si non sacrificaveris, caput tuum faciam incidi. Seraphia respondit. Fac quod vis, non sacrifico dæmoniis; nec facio voluntatem patris tui Satanæ, quia Christiana sum.

IX. Et jussit ei Præses apponi duas lampades ardentes. Et cùm applicatæ fuissent lampadæ, mox extinctæ sunt. Et qui lampades tenebant, ceciderunt retrorsum. Sancta autem Seraphia elevans oculos suos ad cælum dicebat. Domine Iesu Christe, eru-
Psal. 6. bescant & conturbentur nimis omnes inimici mei, avertantur retrorsum & confundantur valde velociter. Præses dixit. Sacrifica diis, ut non moriaris. Seraphia respondit. Ideo non sacrifico dæmoniis vestris ne moriar morte vera. Præses dixit. Biothanata & malefica, audi imperiale præceptum, & sacrifica diis immortalibus, & libera te de cruciatibus & morte. Seraphia respondit. Biothanati & malefici vos estis, qui negatis Deum vivum & verum, & dæmonia adoratis, cum ipsis pariter morituri. Deo autem immortali ego me ipsam offero sacrificium, si me dignatur suscipere, licèt peccatricem, tamen Christiana sum. Præses autem jussit eam fustibus cædi. Et cùm cæderetur, subitò terræ motus factus est magnus, & quasi astula de fustibus unde cædebatur Dei virgo attigit dextrum oculum Præsidis, & post triduum amisit.

X. Tunc repletus furore Præses dedit sanctæ Dei puellæ capitalem sententiam dicens. Quoniam Seraphiam non solùm imperialia præcepta contemnentem, verùm etiam tantis deprehensam maleficiis,

gladio

gladio jussi percuti. Et incisum est caput sanctæ virginis Christi Seraphiæ trans arcum Faustini juxta aream Vindiciani ducis ducum. Passa est autem sancta Seraphia III. Nonas Septembris. Illustrissima autem femina Sabina colligens reliquias sanctæ & intactæ virginis Christi Seraphiæ, ex more celebratis venerabilibus exequiis, ut thesaurum sempiternum vel margaritam pretiosam reposuit in monumento suo quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Et non cessabat ex eo die facere eleemosynas multas, confidens in nomine Christi Iesu, & permanens in fide quam ei tradiderat sancta virgo Seraphia. Studebat autem cotidie visitare infirmos & in carceribus inclusos, præstans eis omnia quæ necessaria erant abundè.

XI. Veniente igitur Præfecto Helpidio rabidissimo cane, Præses indicavit ei religiosissimam feminam Sabinam & omnia quæ gesta fuerant. Quam cùm exhibuissent, introduxerunt in prætorium. Et videns eam Præfectus interrogavit dicens. Tu es Sabina uxor Valentini illustrissimæ memoriæ & filia Herodis? Sabina respondit. Ego sum. Præfectus dixit. Quare oblita es tui, & sociasti te Christianis, quorum mors est, & non adoras Deos, & non honoras quos adorant Domini & Augusti nostri? Sabina respondit. Ego gratias ago Iesu Christo Domino, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Seraphiam de multis sordibus & potestate dæmonum liberare dignatus est ut non ampliùs errarem, sicut vos video errare, adorando dæmones. Præfectus dixit. Vt tu dicis, non solùm nos, sed & Domini & Augusti nostri dæmones adorant, & non Deum? Sabina respondit. Vtinam Deum adoraretis, qui fecit omnia, cujus nutu cuncta reguntur atque gubernantur visibilia & invisibilia, & non stulta aut insensata simulacra dæmonum adoraretis, quia cum

ipsis pariter in gehenna ignis arsuri estis vos & Imperatores vestri. Præfectus dixit. Per deos omnes juro quòd si non sacrificaveris, non elongabo à te capitalem subire sententiam, sed mox te faciam gladio vita privari. Sabina respondit. Non sacrifico, diabole insane, dæmoniis tuis, quia Christiana sum, & Christum habeo Deum, & ipsius sum ancilla & cultrix, & illi soli me oportet sacrificare. Tunc diaboli minister Præfectus protulit in eam sententiam dicens, Sabinam diis inobedientem, Dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis præsignari.

XII. Amputato igitur capite sanctæ & venerabilis Christi martyris Sabinæ, Christiani cum gaudio magno corpus ejus sustulerunt & posuerunt in monumento ipsius in oppido Vindennensi ad arcum Faustini, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Christi Seraphiam. Passa est autem Sabina IV. Kalendas Septembris, & coronata est unà cum fortissima virgine Christi Seraphia, qui omnibus in se credentibus virtutem dat & præmia sempiterna.

PASSIO SANCTÆ MARIÆ martyris.

ADrianus & Antoninus Imperatores per omnes populos quos regebant legem miserunt cunctos Christianæ religionis viros ad sacrificium debere compelli, rebellibus verò pœnam mortis intendi. Illo itaque tempore Maria probata ovis Domini martyrium singulare perpessa est. Namque cùm Tertulli principalis esset ancilla, nobilitatem domini mentis benignitate vincens, Christo se probat ingenuam, sicut scriptum est: *Qui in Deo vocatus est servus, libertus est Domino.* Natale itaque filij celebrante Tertullo, cùm impuris idolis vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis, & sociam suam, ne proderetur dominæ, occulta simulatione fallebat. Diù tamen, insidiante conserva, latere non potuit. Prodita, vocatur mox à domina, diciturque ei: Quæ est causa jejunij? An occasio ista tristitiæ est quòd natum tibi super Deum perrhorrescit? Maria respondit: Numquid novum aliquid nunc usurpo? Semper mihi sunt hæc observata jejunia. Quomodo tristitiæ illud adscribitur quod consuetudinis causa servatur? Christiana sum, Christiano nascor ex genere, hereditarius mihi iste cultus est Christi. Tunc imperante domina ut cibi aliquid hauriret, Maria sancto spiritu cælestis escæ memor invocato Deo sic clamavit ad dominam: Corpori potes imperare, non animæ. Plus Deus meretur quàm filius tuus. Delectet illum turpis cantus & saltatus obscœnus & quicquid ad delitias parvorum diligens fingit cura nutricum. Deiverò non vanus & inanis est cultus, sed plenus felicitatis & gratiæ. Tuenda castitas, amanda sobrietas, esca fu-

Anno Christi 140.

gienda est. Ad hæc domina indignatione flammata verbera ei gravia, nisi dicto obtemperaret, pollicetur, & ipsam etiam, si repugnet, pœnam mortis indixit. Illa respondet: Fac quod vis, opto omnia perferre pro Christo.

II. Sed dum altercatio ista verborum est cogentis dominæ & repugnantis ancillæ, pedem à foro referens Tertullus ingreditur; qui ab uxore rebus omnibus exquisitis, inauditam statim flagellari præcepit ancillam, & afflictam diutino verbere in abdita membri parte detrudi, administrato modico & vili cibo, quo non satietur fames, sed deficientis quotidie animæ pars extrema servetur. Sed devota mens Christo frangi hoc dolore non potuit. Quin etiam cotidianis orationibus incumbebat, ut facultas esset majora tolerandi.

III. Emensis verò triginta diebus, Præsidi adnuntiatur Tertullum principalem ipsius civitatis occultare in domo sua Christianæ religionis ancillam, quod Imperatorum præcepta prohibebant. Statim ad tribunal Tertullus adducitur, & primoribus convocatis, adsistente etiam vulgi corona, recitari legem Præses jussit ex codice, cujus hæc forma est. *Maximianus, Adrianus, Antoninus, py felices, augusti, omnibus nostris juræ viventibus salutem. Pervenit ad nos varietas religionis à quibusdam nuper inventum. Nonnulli enim esse perhibentur quibus nos sacrificia cordi sunt nec cultus ille quem colimus, per quos sine dubio, nisi citò pœnæ formido succurrat, obliteranda est omnis antiqua credulitas & veneratio extinguenda majorum. Damus itaque omnibus populis hanc legem, & singulis judicibus observanda hæc edicta proponimus, ut compellantur ad sacrificium singuli, & rebelles gladio ultore feriantur. Malumus enim paucos interfici quàm omnes errare, nec vagari ut pecora, sed potiùs unius esse sententiæ. Si quis igi-*

tur hujus legis aut cultus occultandum aliquem putaverit cujuslibet ætatis aut sexus, ferro ipse exhalet spiritum legibus repugnantem, facultates verò ejus fisci commodis inferantur. Delator autem tanti criminis ex ærario publico quadringentorum denariorum conlatione gratuletur, ut omnes agnoscant nec peccatum perire nec præmium.

IV. Lecta itaque hac constitutione, ad circumstantes Præses ait: Quid sum ad ista facturus? Numquid repugnare possumus his præceptis? Responderunt principes curiæ dicentes: Humaniùs nos audire dignare. Tunc Præses scribi quæ dicerentur jubet. Surrexit scholasticus Nigagores, ut erat fandi peritus & artifex ad loquendum, omnium persona susceptа publico ore sic loquitur. Lucifer summe, lumen totius civitatis & populi, ut benigniùs nos audias deprecamur. Hic vir multis publicis functionibus & natalium splendore decoratus, magnum curiæ nostræ præstat auxilium. Fuit Augustorum Pontifex, præterea Munerarius civitatis, tum deinde legationibus plurimis pro publica utilitate susceptis tantum sibi gloriæ quantum amoris adscivit. Magis præterea largitionibus ejus aucta respublica est infinitarum pecuniæ suæ in diversis fabricis & balnearum calefactione dispersit. Sunt & alia majora quæ enumerare perlongum est. Nam primum ætatis tempus, in quo lubrica vita & teneri anni juvenali calore flammantur, religioni divinæ obtemperans vicit ætatem, & moderationis fræno naturæ ipsius jura superavit. At cùm ævo gravior, maturioris cœpit esse consilij, satisfeciisse se credens divinis præceptis, aliquid etiam quod populo placeret invenit. Munera itaque anni auspicantis exsolvit, & magnis spectaculis propriis viribus comparatis, communem totius populi satiavit aspectum. Plurima agonum insignia in Cæsarea civitate complevit. Æmulas etiam prælij vo-

luptates gladiatorum inter se dimicantium civibus non negavit. Necessitates proprias in re familiari lucra venientia patriæ semper credidit postponenda. Placuit itaque sacerdotio muneribus civitatis. Tunc, quod est maximum, ætatem suam vicit juvenis, sacerdos edocuit, ostendit non repudiandam in annis gravioribus voluptatem.

V. Præfectus scholastico inquit: Præteritæ actionis ortamenta commemoras, crimen quod intenditur non repellis. Respondit advocatus. Puella hæc, cujus scelere dominus perurguetur, ut dotalia instrumenta demonstrant, ab uxore donata est. Præfectus dixit. Tertulli uxor ingenua est? Respondit advocatus. Ingenua, quin etiam nobilitatis eximiæ. Oritur namque patre Cleonide. Præfectus ait. Comparata est hæc ancilla, an vernaculi educatione susceptа? Tertullus dixit. Nata quidem domi videtur, sed parentes ejus ad nos ex comparatione venerunt. Præfectus Tertullo ait. Socer tuus incolumis est, an jam ab hac luce migravit? Respondit Tertullus. Iam fati munus implevit. Præfectus ait. Istius contumacis ancillæ parentes superstant? Respondit Tertullus. Defuncti sunt. Præfectus ait. Hujus perditæ religionis erant, an diis vota solvebant? Tertullus respondit. Ejusdem vesaniæ. Nam crucifixum colebant.

VI. Advocatus ait. Quæ non huic puellæ inlata tormenta sunt ut ab hac superstitione discederet? Nec mulceri umquam potuit nec flecti. Nam quanto majora fuere supplicia, tanto pertinacior mens duravit.

VII. Ad hæc Præses diutina deliberatione habita, tandem protulit tractatam diù cogitatamque sententiam, dicens. Tertullus publico ore laudatur, cui honor vel pro meritis vel pro natalibus rependendus est. Editor optimus, senator insignis, imperij pariter devotus & nomini, qui & legibus simul satisfecit & cultibus, cujus imagines per omnem ur-

bem sæpius etiam ipse conspexi, liber abscedat, nullum calumniatorem metuat, nullum judicem pertimescat, dum hæc omnia sacris auribus intimentur. Sceleſtissimam verò hanc puellam offerri mihi in publico jubeo, simul ut habeat & culpa supplicium & populus exemplum.

VIII. Traditur itaque mox carnificibus devota mens Christo; & quanto sexu femineo & puellari fragilitate despicitur, tanto plus virtute Christianitatis attollitur. Stetit itaque adducta tandem. Et quamvis contra judicem oculos tenderet, animum tamen habebat ad Christum. Clamor undique populi frementis attollitur dicentis. Viva duro cremetur incendio. Illa verò intrepida, quippe quæ Dei sui nosset auxilium, cœlum intuens sic clamavit. Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, certa salus hominum, solus de solo genite, cujus dignè nemo potest naturam comprehendere aut referre virtutem, non angeli, non archangeli, non sedes, non potestates, non virtutes, non potentiæ, non Cherubin, non Seraphin, omnia enim per te facta sunt Christe, & sine te factum est nihil, qui solus patrem nosti, & quem solus pater agnoscit, Domine salvator animarum, adesto mihi, semper omnibus adfuisti. Nec enim alius est defensor. Agnoscant omnes virtutem tuam, Domine, & advertatur noceri non posse quem diligis.

IX. Ad hæc Præses per integram horam stupens, tandem quæ vocaretur inquirit. Maria respondit. Cur nomen interrogas, & de lege nihil dicis? Illa debet percontandi esse ratio quæ vocatur ad crimen. Nec enim me ream nomen facit esse, sed cultus. Sævituræ itaque interrogationi tuæ antè respondeo, Christiana sum. Præses ait. Dominus tuus te hic operitur, ut præmium confitenti aut supplicium inferat repugnanti. Elige itaque quid sequaris. Maria res-

pondit. Corporis dominus est ille, non animæ. Præses ait. Cur religionem domini, cùm sis ancilla, non sequeris? Maria respondit. Christiana sum, intellectum sapientiæ habeo, & quid sit rationis agnosco. Contemno simulacra sine sensu; honoro illum qui me fecit, non quem ipsa construxi. Præses ait. Ex qua successione hæc ad te vanitas religionis advenit? Maria respondit. A majoribus informata sic credo. Præses ait. Parentes quoque tui hujus fuere sententiæ? Maria respondit. Semper in hac religione manserunt. Præses ait. Ante Deucalionem, ut dicis, hanc credendi insaniam suscepistis. Quinimmo sacrifica, ut & te & dominum tuum exuas à culpa.

X. Maria respondit. Quid enim æqualitatis est inter cælestem dominum & famulam peccatricem? aut quem timere potest cujus nutu omnes & ipsa reguntur elementa? Quoslibet ergo cruciatus perferam, dulcissimi videntur pro amore Domini Iesu Christi, qui hic auxilium, ibi verò reddet & præmium. Ille nos per Apostolum suum Paulum contra
Rom. 8. omnium infidiantium tela firmavit dicens: *Quis nos separabit à caritate Christi, tribulatio, an angustia an persecutio, an fames, an spoliatio, an periculum, an gladius?* Hinc est robur illud invictum, hinc inextribilis animus, & mens in ipsa dolorum acerbitate sublimior, quòd & prædicta nobis sunt ista qualia patimur, & majora sunt munera quàm dolores. Cùm ergo nihil sit quod à Christo separare nos debeat, testor enim illum quem diligo me in ejus timore mansuram, & in ea confessione cruciatam terrena relinquere & ad cœlestia festinare. Præses ait. Sacrifica, si effugere tormenta festinas. Maria respondit. Supplicia quæ minaris, nec longi temporis nec gravis doloris sunt. Quæso ergo ne differas quæ moliris. Christum habeo, & ideo nihil timeo.

XI. Tunc jussu Præsidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est ut lacrymæ quoque à circumstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur. Sed crudelitas judicis adcelerari tormenta mandavit. Et ecce secunda vox populi judicium Præsidis castigantis emergit. Vociferatio namque una penè erat totius coronæ, injustè lacerari virginem crudelitate judicis, non culpa peccantis, agi contra leges omnia, nec æquitatis jura servari. Stupens verò Præses & sono tanti clamoris addictus, quippe præter humanam vocem ipsa etiam putasset tecta corruere, mox Mariam relaxari præcepit. Tunc servari eam sub custodia libera jubet. Maria verò signo Domini se munivit, & levatis ad cœlum oculis post relictum tribunal oravit ad Dominum; viditque aciem angelorum, multitudinem sanctorum, atque filium Dei sedentem ad dexteram patris. Hinc tanta subitò gratulatione perfusa est ut jam se paradisum ingressam putaret. Hi verò qui eam fugientem persequebantur, subitò stupuere virtute. Sed ubi illa se circumdatam à persequentibus vidit, lacrymans clamavit ad Dominum. Deus omnipotens, qui sermonem muto, auditum surdo dedisti, qui es venturus in gloria judicare vivos & mortuos, accipe animam meam. Amen. Quoniam persequuntur me canes multi. Ne permittas tradi ancillam tuam & lacerari manibus impiorum; sed ostendens misericordiam tuam citò, exaudi ancillam tuam, exaudi Domine Rex cælestis.

XII. Quæ dum tali oratione fungitur, & renuntians seculo, quietem mortis exoptat, petram quæ ante oculos ejus jacebat respiciens, dignum memoria spectaculum fecit. Nam saxum illud, quòd aut casus adtulerit, aut divinitas destinarit, Deo jubente patefactum, rimam perfugij qua virgo susci-

peretur ostendit, & ad instar dulcissimæ nutricis vel caræ matris motu quodam anxiam amplexans se præbuit, quasi dulci carum partum utero receptura, & mox susceptа virgine, latera antea aperta concluſit. Hæc cùm carnifices perviderent, omnia loca petræ illius perscrutati sunt, sicubi erepta subitò ex oculis præda latitaret. Ibi adhærentes exuviarum reliquias & adfixa saxo vestium frusta deprehendunt; atque incredibili stupore confusi, confestim Præsidi gesta commemorant. Ille verò partim ira, partim admiratione commotus, jussit Philocomo principali Neocorensium civitatis ut ad prædictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem numerosam secum multitudinem ducat. Statim præconis voce populus congregatur. Qui ubi primùm ad prædictum locum cum eo cui summa majoris operis fuerit adsignata pervenit, mox inicere manum lapidi tentaverunt. Statim ab oriente fulgor nimij splendoris exortus est. Nec mora, tonitruum & fragor quidam, ut sperarentur cuncta corruere. Statim terra concussa est, & nutantia omnium corruere vestigia.

XIII. Ecce autem duo equites magno fulgore radiantes à cælesti sede venientes transvolatu nimio petunt, quorum sella & fræna & omnis ornatus ad instar lampadarum cælesti igne rutilabant. Hos cùm omnis illa quæ venerat multitudo conspiceret, ita timore causa præsentis virtutis expavit ut fugiente sersu pariter atque anima in æternam mortem oculis clauderentur. Ceteri verò qui evaserant, ad prophana templi simulacra fugientes, cùm ad sceleſta ingrederentur altaria, in ipsa perfugij sui sede ceciderunt. Neccorus ad ipsam templi januam spiritum fudit. Vbi verò templum omne completum est, missus è cœlo ignis simul & populum exussit & templum. Periit itaque cum diis suis vanæ credulitatis exercitus; & quanto ibi plurima habuerunt

numina, tanto ad ignis augmentum majora incendio fomenta ſuggeſta ſunt. Imputent itaque peccatis ſuis quòd incenſi ſunt, deorum verò numero quòd diutiùs concremati. Multifariæ itaque mortis tam à percuſſis quàm ab incenſis numerus fuit duo milia ſeptingenti. Pauci verò qui evaſerant, civitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: Magnus Deus Mariæ, magnus Deus Chriſtianorum, verè hic Deus ſolus & juſtus eſt. Tunc ſtrati Eccleſiæ ſolo, Clericorum genua continentes, & præteritorum rogabant veniam, & præſens auxilium poſtulabant. Et crediderunt in eum timore perterriti milia ferme animæ, atque in noſtra religione manſerunt. Omnis itaque perſecutio poſt paſſionem ſanctæ Mariæ ad hæc miracula conquievit. Amen.

VITA ET PASSIO SANCTI Pontij martyris, auctore Valerio ejus contubernali.

Incipit prologus vitæ ac passionis sancti & beatissimi Pontij martyris.

Anno Christi 257.

QVis potest credere nisi Deo tribuente? Quis potest certamina subire nisi Domino adjuvante? Quis potest coronam accipere nisi Christo præstante? Ideoque ego indignus tanta gratia, qui cum Dei martyre & nutritus sum & studui, societatem verò ejus martyrij non merui percipere, tamen confessione ejus & labore credo mercedem me à Domino accepturum, quia omnia quæ de eo dicturus sum testificor coram Christo & angelis ejus & propriis oculis vidi & meis auribus audivi, & magnam partem cum eo, ut dixi, sustinui. Ideoque & vos quod fideliter auditis fideliter credite, ut fides vestra remunerationem percipiat cum sancto viro in resurrectione justorum. *Explicit prologus.*

Incipit passio beati Pontij martyris, secundo Idus Maij.

I. Fuit quidam senator urbis Romæ nomine Marcus, & uxor ejus nomine Iulia. Cùmque in uno conjugio perdurarent annis plurimis, & sobolem non haberent, nimio affligebantur tœdio, ita ut sine filiis deficere se crederent. Sed post annos viginti duos ex quo conjuncti sunt cùm filium excepissent, cœperunr pariter exultare & lætari. Post menses autem quinque cùm prægnans mater templa idolorum suorum cum viro suo portans dona & munera

circumiret, venit ad templum Iovis quod magnum vocabant. Quod cùm ingrederentur, fortè sacerdos velato capite infulatus ad aras stabat. Qui arreptus à dæmone, apprehendensque velamen simul & infulam, cœpit eam minutatim scindere, vocequemiserabili ejulans omne clamoribus templum complere, Hæc mulier, inquiens, eum in utero gestat qui templum hoc magnum funditus evertet, & deos ejus comminuet. Cùmque iterum atque iterum has repeteret voces, Marcus & Iulia hæc audientes, exsangues fugiunt in propriam domum; arripiensque Iulia saxum, aluum suum lateraque tundens aiebat: Vtinam non eum conciperem per quem magnum templum & numina ejus erunt evertenda. Melius est ut ego ipsa cum hoc deficiam. Cùmque dies pariendi advenisset, edidit puerum honestum sine ulla macula; quem credebant tantis suppliciis maceratum, exanimem generari. Mater autem pueri Iulia interficere parvulum nitebatur. Cui Marcus pater ejus dixit: Sine, ne interficias eum. Si Iovis voluerit, vindicet se de inimico suo. Nos autem non iniciamus in eum manus nostras. Sicque conservatus est parvulus, quem ex genere suo Pontium vocaverunt. Vnde accidit ut in templa idolorum nunquam induceretur.

II. Sed cùm ad puerilem veniisset ætatem, magnis doctoribus imbutus, omnium ferè philosophorum vel diversarum artium litteris ita pollebat ut copiam voluminum librorumque, quos bibliothecæ portare non poterant, in suo parvo corpusculo transfundens, omnia memoriter retineret. Factum est autem cùm quodam die diluculo surgens ad suum pergeret præceptorem, audivit in vigilia matutina Christianos, quibus præerat sanctus Papa Pontianus Ecclesiæ Dei sacerdos, psallentes & dicentes: *Dominus Deus noster in cœlo sursum est, in cœlo & in* Psal. 113.

terra omnia quæcunque voluit fecit. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non tractabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quod cùm audisset venerabilis puer, restitit, imoque trahens à pectore suspirium, & apud semetipsum diutissimè inquirens quæ esset ista modulatio, compunctus Spiritu sancto, erumpensque in lacrymas, cœpit flere. Statimque elevans palmas in cœlum dixit: Deus, cujus laudem isti decantant, ostende mihi notitiam tuam. Et accedens ad ostium, crebris quatiebat illud pulsibus. Cùmque de superioribus eum per fenestram respicerent, dicunt sancto Pontiano Episcopo: Ecce parvulus quidam pulsat januam. Papa autem Pontianus revelante sibi Spiritu sancto ait: Aperite ei, & sinite eum venire ad nos. Talium est enim regnum cœlorum.

III. Venerabilis autem Pontius relinquens pædagogos suos in vico, & assumens secum unum adolescentulum qui cum eo studebat nomine Valerium, ingressus est. Cùmque ascendissent in cœnaculum, & vidissent eos sancta celebrare mysteria, declinaverunt in locum quoadusque dominicum consummassent officium. Tunc venerabilis Pontius accedens ad pedes sancti Pontiani Episcopi, osculabatur eos cum lacrymis dicens: Rogo te, sanctissime pater, ut ostendas mihi carmen quod paulò antè psallentes dicebatis. *Dominus Deus noster in cœlo est. Simulachra autem gentium muta & cœca & surda sunt. Non odorant, neque palpant manibus suis.* Et quod nobis pejus est, audivi vos dicentes: *Similes illis fiant om-*

nes qui confidunt in eis. Tunc dicit ei sanctus Pontianus Episcopus. Scio fili quia Deus cor tuum illuminavit, ut eum inquiras. Ergo non tibi videntur omnia figmenta ex metallis facta, sive aurea sint vel argentea aut ærea, ex terra sumpta? Quis non intelligat lapideas statuas ex rupibus excisas, & in carrucis impositas, & à bobus tractas, & sic demum in foro esse positas? Ista non sunt dij, sed è terra orta sunt, & paulò pòst in terram revertentur. Deus autem noster, in quo speramus, in cælo est, qui non carneis oculis, sed cordis videtur obtutibus. Nam quod videt quis quid sperat? Tunc beatus Pontius respondens dixit. Domine mi pater, quis nesciat omnia ista esse sine anima & sine nutu? Nam per omnes vicos vel plateas, non dicam in foro, in templis, in capitolio, tanta multitudo inesse noscitur ut penitùs numerari non possit, & sic diversis modis instituta ut artificum reperit sapientia. Quis autem non videat in viis ea posita ferro & plumbo firmata ne vento subversa conterantur? Nam sœpe cognovimus ab hominibus ea furata & à prædonibus invasa. Et quomodo homines à malis custodire poterunt quæ ab hominibus & custodiuntur & furantur?

IV. Audiens hæc sanctus Pontianus Episcopus miratus est quòd talis ratio ex puero procederet, & tenens ejus manum, voluit eum secum sedere. Tunc beatissimus Pontius dixit. Si cum vaniloquis & inania docentibus sedere non audemus, quomodo cum homine Dei viam veritatis pro itinere erroris, lucem pro caligine demonstrante sedebo? Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Magister noster & doctor Dominus Iesus Christus talem doctrinam nobis donavit ut omnes in ipso unum simus & alter alteri quod sibi desiderat tribuat. Rursumque dixit ei. Estne tibi pater aut mater? Venerabilis Pontius dixit. Mater mea ferè biennium est ex quo mortua est;

pater verò meus supereſt ſenior & grandævus, & me unico gaudet filio. Sanctus Pontianus Epiſcopus dixit. Chriſtianus eſt, an gentilis? Beatus Pontius dixit eum peſſimum & perverſum in cultura dæmonum ſuorum eſſe ultra omnes homines. Sanctus Pontianus Epiſcopus dixit. Deus, qui cordis tui oculos nullo homine cogente illuminavit, potens eſt & patris tui perverſitatem corrigere, ut per te immortalem vitam diſcat per quem tu in hanc vitam mortalem veniſti. Rurſumque addidit. Tu autem, fili mi, adquieſce mihi, & crede Chriſto, & accipe baptiſmum regenerationis, per quem poſſis ardorem ignis æterni extinguere.

V. His & aliis quamplurimis verbis exhortans eum per trium horarum ſpatium, demonſtravit ei regnum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tunc catechizavit eum & puerum illius, & permiſit abire. Illi autem egreſſi ibant ſicut agni pleni paſcuis, exultantes & lætantes quòd invenerint ſalutem animabus ſuis. Sicque quotidie veniebant ad hominem Dei, audientes ab eo doctrinam ſalutis. Beatus verò Pontius adhuc catechumenus tanto alacriter divina aggreſſus eſt præcepta ut juſtè in eo impleretur quod ab Apoſtolo dictum eſt: *Vbi abundavit iniquitas, ſuperabundavit gratia.* Cùmque hora regrediendi adveniret, valefaciens honorificè ſancto Pontiano Epiſcopo & omnibus ſanctis qui ibi aderant, pergebat ad patrem ſuum.

VI. Cûmque veniſſet ad patrem ſuum, dicebat ei pater ejus. Percepiſti aliquid à præceptoribus tuis, fili mi? Beatus Pontius ait. Nunquam meliùs audivi à magiſtris meis quàm heſterna die vel hodie, omnibus diebus quibus in ſtudio fui. Pater autem ejus audiens hæc gaudebat, ſperans eum vanam philoſophorum audire ſectam.

VII. Beatus verò Pontius quærens opportunitatem

tem ut & patrem ſuum Chriſto Domino ſecum credere faceret, die aliqua dixit patri ſuo. Domine pater, audio à multis hominibus quia dij quos colimus inanes ſunt, ita ut nullam in ſe, ut perhibent, majeſtatem poſſideant, ſicut & nos ipſi ex parte perſpicimus. Et quidem liniamenta membrorum cuncta habent, ſed ad nullos uſus apta. Nam quandocunque quis voluerit, inducto apud ſe artifice, prout ſubſtantiam habuerit, ſibi & deos facit, unus ex auro, alius ex argento vel ære, aut ex quibuſlibet metallis. Rogo te, dic mihi ſi aliquando audiſti quòd ij qui in domo noſtra ſunt virtutem aliquam ex quo facti ſunt oſtenderint. Marcus pater ejus reſpondit: Nunquam. Beatus Pontius dixit. Ergo ut quid eos ſacrificiis & thure honoratis? Pater autem ejus indignatus contra eum, cum ingenti iracundia, ita ut gladio eum vellet percutere, dixit. Injuriam diis meis facis? Poſt paululum ſedato furore, dixit ad filium ſuum. Ergo, fili, ſine diis & ſine ſacrificio in omni urbe nos ſoli erimus? Beatus Pontius dixit patri ſuo. Multi ſunt in hac civitate qui verum ſacrificium Deo vero offerunt. Marcus pater ejus dixit. Et ubi eos reperiemus? Beatus Pontius dixit. Præcipe ut eam & adducam tibi virum qui omnia tibi lucidiùs demonſtret. Dicit ei pater ejus. Vade fili mi. Tunc beatus Pontius converſus ad Valerium adoleſcentem, dixit ei. Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi. Statimque perrexit ad ſanctum Pontianum Epiſcopum, & introduxit eum ad patrem ſuum, qui omnia ſacramenta veritatis ei demonſtravit. Dei autem miſericordia credidit Marcus beati Pontij pater, & ſimul cum ſancto Pontiano Epiſcopo & filio ſuo omnia idola manibus ſuis confringens, baptiſmi gratiam cum eodem filio vel omni domo ſua ſuſcepit.

VIII. Non poſt multum verò temporis pater beati Pontij defunctus eſt. Et tunc venerabilis puer

accepta libertate, erat enim annorum viginti, venit ad virum Dei, & narravit ei omnia quæ acta fuerant, & de patre suo. Post menses sex apprehensus à militibus beatus Pontius & in curiam perductus est, cui etiam locum patris sui nolenti & repugnanti designant. Hoc autem non sine divina providentia fiebat, quia per beatum Pontium non solùm Romana plebs, sed & ipsi Principes Christo crediturí erant. Talem verò gratiam Dominus sancto Pontio contulit ut in omni curia vel palatio ab omnibus specialiter diligeretur.

IX. In ipsis diebus sanctus Papa Pontianus glorioſa morte migravit ad Dominum. Post quem Antheros præfuit Ecclesiæ mense non ampliùs uno. Deinde Fabianus in pontificatum succedens, ita beatum Pontium ut verus pater verum filium diligebat. Sanctus autem Pontius jam perfectus in Domino, omnes facultates suas accipiens, beato Fabiano Episcopo tradidit, & eas pauperibus distribuit, maximè ad domesticos fidei.

X. Nunc autem qualiter primus omnium Imperatores Christianos fecerit, aut quomodo cum diabolo certaverit victor existens, vel palmam martyrij sumpserit, non tacebo. Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regebat imperium, fuit his Philippis amicus beatus Pontius Christianissimus & omnium divinarum litterarum doctissimus. Cùmque gratia individua in eis esset, tertio imperij eorum anno, expleto millesimo anno à conditione Romæ, cùm diis suis sacrificandum pergere vellent, dicunt beato Pontio. Eamus, & repropitiemus nobis deos magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. Quos beatus Pontius diversis excusationibus declinare nitebatur. Imperatores verò velut amicum ad sacrificandum cogebant. Beatus autem Pontius cog-

noscens à Domino datam sibi occasionem, aiebat. O piissimi Imperatores, cùm sitis à Deo Principes ordinati hominum, cur non ei qui vobis hunc honorem præstitit cervices flectitis & ipsi soli sacrificium laudis offertis? Philippus Imperator dixit. Propterea & ego magno deo Iovi sacrificium offerre desidero, qui mihi hanc tribuit potestatem. Beatus autem Pontius subridens dixit. Ne erres, Imperator. Est Deus in cœlis, qui cuncta unico verbo suo constituit, & Spiritus sancti gratia animavit. Philippus Philippi Imperatoris filius unà cum patre dixit. Qua animi intentione ista referas ignoramus. Beatus Pontius dixit. Numquid ab initio Iovis fuit? Imperator dixit. Non, quia Saturnus pater ejus antiquior illo est, qui populos Italiæ tranquilla moderatione gubernavit. Beatus Pontius dixit. Et quando Saturnus Cretæ regnabat, antequam à Iove filio de regno pelleretur, numquid Italia populos non habebat? Nonne statim ut expulsus est, sicut litteræ vestræ declarant, hospitio est receptus? Rursumque addidit. Piissimi Imperatores, ne seducamini in vanis poëtarum figmentis. Vnus est Deus in cœlis pater omnium, qui cum filio suo & Spiritu sancto omnia quæ fecit sua potestate continet.

XI. Imperator dixit. Si unus est Deus quem in cœlis esse asseris, cur & filium eum habuisse commemoras? Beatissimus Pontius dixit. Vnus est Deus, quem sœpe testatus sum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt. Postremò fecit hominem immortalem ad imaginem & similitudinem suam, & cuncta quæ in terra & quæ super terram vel deorsum morantur in aquis potestati subjecit hominis. Diabolus autem de cœlo projectus, videns in tanto honore hominem positum, invidia ductus, homini persuasit ut ingratus vel inobediens ei qui omnia illi subdidit existeret. Quo facto, immortalitate qua

indutus fuerat expoliatus, mortem per inobedientiam cum ſua omni prole ſibimet ipſi inflixit. Nam & diabolo ut ſemel hominem eliderat parum viſum eſt, ſed idola, quæ nunc deos dicitis, ipſe adinvenit, ut genus humanum in toto à creatore ſuo ſepararet. Sed pius Dominus nolens fabricam imaginis ſuæ perire, unicum verbum ſuum, per quem omnia quæ in cœlis & quæ in terra creata ſunt, ad terram de cœleſtibus thronis mittere dignatus eſt: qui carnem immaculatam pro noſtra ſalute ex virgine ſumens, venit homo ut lapſum hominem reformaret & diabolum cum ſuis miniſtris igni perpetuo deputaret. Nam cùm multa mirabilia in terris oſtenderet, quæ numquam talia viſa ſunt, ſcilicet ut cœcos à nativitate ſua illuminaret, paralyticos, qui per multorum temporum ſpatia arentibus membris corporali virtute deſtituti erant, priſtinæ reſtitueret ſanitati, leproſis putridiſſimis comeſtiſque atque fœtentibus carnibus nitorem cutis mirabiliter reſtauraret, mortuos & quatriduanum præſente omni populo ſuſcitaret, & alia multa mirabilia quorum non eſt numerus facere, (Quippe quid non reformaret qui omnia formaverat?) Iudæi verò non credentes, ſed potiùs invidentes, tradiderunt eum Pontio Pilato Præſidi, & eum qui pro ſalute eorum venerat cruci affixerunt, quem Deus ſuſcitavit tertia die à mortuis, & per dies multos poſt reſurrectionem ſuam cum hominibus converſatus eſt, mortem verò, quam diabolus hominibus intulit, moriendo occidit, & vita ſua reſurrectionem nobis donavit; ut quemadmodum ipſe poſt iſtam mortem reſurgens jam non moritur, ita & nos poſt hanc vitam parvam & miſerabilem reſurgentes, in æternum cum illo vivamus. Nam aſcendens in cœlum, iter vitæ cæleſtis monſtravit. Vnde ſi quis hanc ſalutem neglexerit, cum diabolo in æternum damnabitur. Si quis autem crediderit, cum Chriſto in cœleſtibus regnis permanebit.

XII. Cùmque his & aliis multis pro salute eorum disputaret verbis, Dei voluntate Imperatores crediderunt, & eum deprecabantur ut mysterium hujus salutis superveniente die eis pleniùs aperiret, & qualiter ignem perpetuum evadere & immortalitate cum sanctis sine fine perfrui possent. Et quidem ex illa die & deinceps sacrificia idolorum declinantes, spectacula tantùm pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri imperaverunt.

XIII. Tunc beatissimus Pontius ad Episcopum urbis Romæ nomine Fabianum, qui Ecclesiæ Dei præerat, convolavit, & omnia ei ex ordine pandit. Tunc sanctus Papa Fabianus cadens cum eo in orationem dixit. Domine Iesu Christe, gratias ago nomini tuo, qui per famulum tuum Pontium Imperatores populi Romani ad tuam notitiam perducere dignatus es. Alia verò die cùm simul ad Principes venissent, & sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consequuti sunt. Quæ tunc illi civitati lætitia fuerit, quæve exultatio repentina supervenerit, quis poterit enarrare? In initio autem templum quod magnum vocabant ex jussione Imperatorum arripientes sanctus Fabianus & beatissimus Pontius, ac confringentes omnia ejus sculptilia, simul cum templo funditus subverterunt.

XIV. Ita factum est ut omnis populus ad notitiam Domini nostri Iesu Christi cum alacritate & gaudio concurreret, & baptismatis unda perfusi Domino benedicerent. Nam ubi dæmonum templa destruebantur, ibi ilico Ecclesiæ consurgebant. Ecce quanta contulit Dominus Pontio famulo suo, ut ante omnes homines Principes totius orbis Christo adquireret, & ipse, qui secundùm seculi dignitatem Consul ad suffragia populi expetebatur, humanis spiritaliter consulens, lucem eis veritatis demonstra-

ret. Hoc autem factum est per annos quatuor quibus Philippi Christiani Imperatores Romanum populum continebant.

XV. Dominus autem volens Ecclesiam suam ut aurum purissimum probare, paleas autem & stipulas igne cremare, post Philipporum mortem permisit ut imperium susciperent Gallus & Volusianus filius ejus: qui cùm in cultura dæmonum imperarent annos duos & menses quatuor, succedunt eis truces & Ecclesiæ Dei persecutores Valerianus & Gallienus, qui mox arrepto imperio pestiferis edictis per universum orbem propositis statuerunt ut si quis Christianos apud se retineret, & non eos statim prodoret, easdem quas illis parabantur lueret pœnas. Omnes namque Ecclesiæ filij post quietem tranquillam sævissimis procellis quatiebantur. Cùmque beatus Pontius hoc comperisset, paulisper in urbe sese occuluit. Sed cùm tutissimum locum ad latebras sui perfugij fruendas minimè reperisset, maximè quia eum idolorum sacerdotes, qui sua templa funditus cernebant eversa, insequebantur, tandem urbe egressus non sine dominico præcepto qui dixit, *Et si vos persequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, & iterum, *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma*, fines Italiæ transiens, urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam.

Matth. 10.

Matth. 26.

XVI. Sed cùm perseveranter impiissimorum tyrannorum præcepta insisterent crudelia, & Christianorum nomen radicitus vellent exterminare, & Satanæ ministros per omnes provincias cum militibus præfeciissent, Claudius Præses cum Anabio assessore Galliarum partium principes deputantur. In principio autem itineris sui supradictam civitatem Cymelam ingressi, sacrificium dæmoniis reddiderunt. Et mox in foro tribunal sibi præparantes, jusserunt ut Christicolas, quoscunque reperissent,

ſuis repræſentarent obtutibus. Cùmque beatus Pontius ante tribunal perductus fuiſſet, ſedens Claudius pro tribunali cum Anabio ſub voce horriſona dixit. Adducatur Pontius. Ex officio dictum eſt. Præſto eſt. Tunc Claudius Præſes dixit. Tu es Pontius, qui urbem Romam per neſcio quam ſeductionem conturbaſti, inſuper & piorum Principum mentes abalienaſti? Beatus Pontius reſpondit. Ego neminem turbavi neque ſubverti, ſed ab errore dæmonum ad Deum verum converti. Præſes dixit. Audientes de te Domini mei Principes Valerianus & Gallienus, eò quòd nobili familia ſis ortus, præceperunt ut diis immoles. Sin autem, cum perſonis dedecoris & vilibus diverſis adficiaris pœnis. Beatus Pontius reſpondens dixit. Non immolo, quia Chriſtianus ſum. Præſes dixit. Conſule animæ tuæ, ne & tu pereas, & patrimonium tuum diſſipetur. Pontius beatiſſimus martyr dixit. Conſolator meus Chriſtus eſt. Patrimonium terrenum ſi perdidero pro Chriſto, æternum adquiram, ubi non cenſum terrenum ſed claritatem cum ſanctis angelis merebor. Claudius præſes dixit. Quid mihi per ambages verborum curſitas? Aut ſacrifica diis, aut carnes tuas diverſis pœnis faciam diſſipari. Pontius beatiſſimus martyr dixit. Iam tibi dixi quia Chriſtianus ſum, nunquam ſacrificabo dæmoniis.

XVII. Tunc Præſes juſſit eum vinctum catenis in carcerem trudi quouſque ad Imperatores de eo relationem miſiſſet, dicens. *Dominis piiſſimis atque invictiſſimis triumphatoribus ſemper Auguſtis Valeriano & Gallieno Principibus. Nos ſervi veſtri ingredientes initium Galliarum, invenimus Pontium, qui dudum urbem Romam conturbavit & multa templa deorum ſubvertit, fugientem vel inobedientem præceptis veſtris. Et quia eſt de primis in palatio ſenatoribus, fecimus eum in carcere recludi*

quoadusque vestra deliberatione censeatis quid de illa nos oporteat facere. Tunc Valerianus & Gallienus præceperunt dicentes. *Hoc jubet pietas nostra, ut si sacrificare noluerit, habeatis licentiam qualicunque vultis eum tormento interficere.*

XVIII. Tunc Claudius Præses produci eum jussit è carcere, cui & dixit. Audi Dominorum tuorum salutaria præcepta, in quibus te jusserunt aut diis cerimoniari, aut inter damnatitios diversa pati tormenta. Beatissimus Pontius respondit. Ego dominum non habeo nisi unum Dominum meum Iesum Christum, qui potens est me de his quæ mihi minaris liberare tormentis. Claudius Præses dixit. Miror te virum potentem ad tantam humilitatem temetipsum inclinare ut tuum dominum voces hominem pauperem & sine honore, quem Pilatus Præses nostri ordinis atque officij pro nescio qua accusatione dicitur interemisse, & non potiùs hos dominos vocas qui summum rei publicæ apicem moderabiliter continent? Pontius sanctus dixit. Et ego miror te hominem rationabilem factum ad tantam dementiam devenisse ut non cognoscas eum qui cœli & terræ possessor est pro tua salute pauperem non dedignatum esse, & illum qui in cœlis ab angelis honoratur sine honore audere dicere? Nam quod à Iudæis accusatus & à Pilato Præside est crucifixus, hoc voluntariè pro nostra salvatione, non ex necessitate, fecit, ut tu ipse perhibes. O si velles huic tali Deo temetipsum humiliare, statim mentem tuam ad cœlos erigeres, & cognosceres te cum diis tuis, quos dæmones esse manifestum est, in profundo tenebrarum jacere. Nam Principes tui, quos rem publicam dicis moderari, non solùm ipsi in perditionem vadent adorantes ligna & lapides, insuper & populum qui eis subjectus est secum attrahent. Vnde cognoscatis quia si in hac perfidia

permanseritis, de isto seculo opprobriosissimè exibitis, & in die judicij cum diis quos dicitis in æterna damnatione eritis.

XIX. Tunc furore repletus Præses, exclamans lictoribus ait. Præparate omnia tormenta, equuleum, ungulam, faculas, cardum, nervum, & si qua sunt alia, ut insipientia ejus manifestetur omnibus. Ministri dixerunt. Parata sunt omnia. Claudius Præses dixit. In equuleo aptatus distendatur, ut omnia tormenta per membra ejus discurrant, & tunc videamus si Deus ejus eruet eum de manu mea. Cùmque equuleo aptaretur, beatus Pontius dixit. Licèt incredulitas tua impossibilem Dominum nostrum dixerit, ego tamen in nomine Domini mei Iesu Christi credo quòd pœnæ tuæ ad nihilum redactæ nullum corpori meo dolorem incutient. Cùmque equuleo tenderetur, & ministri vectibus impositis trochleam retornarent, cum magno sonitu equuleus confractus est, ita ut in pulverem redactus non compareret, & exanimes repentino fragore, qui ibi aderant, redderentur. Sanctus verò Pontius lætus & sine ullo terrore dixit. Vel nunc incredule disce quia Deus noster potens est pios de tentatione eripere, vos autem iniquos in die judicij igni perpetuo deputare.

XX. Claudius autem Præses ultra solitum terrorem indignans conturbabatur. Tunc Anabius assessor dixit Præsidi. Sapientissime virorum, adventantibus nobis adducti sunt duo ursi ex Dalmatiæ montibus miræ magnitudinis. Præcipe ergo parari amphitheatrum, ut ab eis devoratus, non habeat sepulturam. Iussu Præsidis præparatur amphitheatrum, & beatus Pontius in arena deponitur. Statim egressi duo venatores cum taureis & nervicis secundùm consuetudinem, cùm stetissent in media arena & sancto Dei provocassent ursos, illi exeuntes de

caveis singuli utrosque venatores arripuerunt, & ita eos discerpserunt ut penitùs qui fuissent non compareret. Tunc venientes ad sanctum Pontium, non ausi fuerunt propiùs accedere aut pedes martyris osculari propter paganorum cruorem, sed paulò longiùs procumbentes, nihil sancto martyri permissi sunt læsionis inferre. Tunc clamor populi in cœlum tollitur. Gentiles omnes clamabant. Vnus est Deus Christianorum, quem Pontius colit.

XXI. Tunc demum efferatus Præses superbia, & rabidis vocibus concrepans, clamare cœpit & dicere. Nunc nunc afferte copiam lignorum & omne quod fomiti ignis augmenta præstare potest. Et si nescio quibus incantationibus, ut solet Marsorum ars serpentium mitigare iras, iste usus est, nunc videbo si igni imperare potest. Beatissimus Pontius respondens dixit. Numquid objectum criminis apud me reperisti, ut his me trucides flammis? Sed te trucidet ignis æternus, ignis inextinguibilis. Potens est Deus meus, qui tres pueros de camino ignis eruit illæsos, & me liberare. Aggregata autem multitudine lignorum, jussit sanctum Dei tyrannus vinciri manibus pedibusque catenis, & in media arena statui, multitudinem verò lignorum in circuitu ejus extrui, ignemque supponi. Cùmque factum fuisset, ignis gyrans flammis in sublime arenam atque contorquens, plusquam fastigium clusit amphitheatri; consumptisque omnibus quæ pabulo ignis fuerant præparata, ita sanctus Dei ab omni ardore apparuit illæsus ut nec saltem fimbriam vestimenti ejus læderet.

XXII. Tandemque Præses victus atque confusus dixit. Numquid omnia genera tormentorum superasti, & ideo gloriaris nunc quòd reliqua evadas tormenta? Ecce proximum venerabile Apollinis templum. Accede, & sacrifica. Beatus Pontius di-

xit. Sacrifico ego corpus meum Domino Iesu Christo, quod hactenus à pollutione idolorum immaculatum custodivi. Nam vobis & Principibus vestris citò superveniet ultio divina, quia injustè persequimini servos Christi. Licèt non tibi Dominus permisisset ut maculam corpori meo inferres, tamen applica quæcunque volueris tormenta. Tunc Præses videns constantiam ejus, callidè dixit ad eum. Et quidem nos à te oportuit judicari, sed secundùm clementiam tuam tu à nobis judicaris. Et cùm sis primus senatorum, in spe nescio qua vana confisus, & potestatem & divitias amittis. Pontius sanctus dixit. Potestas hujus seculi vel divitiæ similis est nebulæ matutinæ, quæ in oculis hominum videtur terras montesque vel maria cooperire; quam si ventus perflaverit, statim in momento temporis, quasi quæ non fuerit, penitùs evanescit. Nam gloria & honor quæ concupisco in æternum permanent.

XXIII. Tunc Iudæi qui ad spectaculum amphitheatri convenerant clamare cœperunt & dicere. Occide, occide maleficum. Beatus autem Pontius elevans manus in cœlum dixit. Gratias ago tibi Domine, quia sicut patres eorum de Christo tuo clamabant, Crucifige, crucifige, ita & isti in me eisdem insistunt vocibus. Tunc inflammatus Præses à diabolo exclamavit & dixit. Non mihi soli, sed & Principibus meis multas fecit injurias. Tunc decretum dedit dicens. Ducite eum, & in saxo qui rivulò imminet decollate, corpusque ejus deorsum mittite. Cùmque factum fuisset, sanctus ac venerabilis Pontius martyrium suum Domino consummavit, & cum palma victoriæ anima ejus cœlos petiit.

XXIV. Non multo pòst tempore completus est sermo quem sanctus Pontius prædixerat. Valerianus scilicet Imperator in captivitatem ductus à Sapore Rege Persarum, non gladio, sed ludibrio omnibus

diebus vitæ ſuæ merita pro factis percepit, ita ut quotienſcunque Rex Sapor equum conſcendere vellet, non manibus ejus, ſed incurvato dorſo & in cervice ejus pede poſito, equo membra locaret. Gallienus verò cùm Mediolanum intrare vellet, à militibus ſuis comprehenſus, gladiis eſt confoſſus. Claudius autem Præſes & Anabius aſſeſſor eadem hora qua ſanctus Pontius decollatus eſt, arrepti à dæmonibus ſuffocabantur. Nam Claudius linguam ſibi morſibus minutatim incidit. Anabij verò oculi è ſuis concavis vi doloris evulſi, pellibus tenuiſſimis per ora pendebant. Sicque factum eſt ut in momento temporis uterque expiraret. Ob hoc factus eſt timor magnus Iudæis ac gentibus & omni illi civitati, ac ſepulchrum ſancti Pontij martyris admirabili venerabantur honore.

Vide Lactant. c. 5. de perſec.

XXV. Iuvenis quidam Valerius, qui cum eo fuerat nutritus, timens corpus ejus metu gentilium auferre, per noctem in eo quo jacebat ſepelivit loco. Geſta verò martyris ab exceptoribus pecunia redimens & ſecum tollens, reperta navicula in Libyæ partes cauſa perſecutionis declinavit. Dominus autem ſuſcepit martyrem ſuum in pace, cui eſt honor, gloria, poteſtas, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit paſſio beati Pontij martyris.

VITA SANCTI EVSEBII
Presbyteri Romani.

EOdem tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat à Constantio Augusto hæretico, in eodem tantùm dogmate ut non rebaptizarent populum, sed una communione contaminarent plebem, Eusebius Presbyter urbis Romæ cœpit declarare Liberium hæreticum & amicum Constantij. Cùmque multi sancta confessione & catholica fide vitarent communionem Liberij per Eusebij Presbyteri doctrinam, occupantur Ecclesiæ à Liberio, eicitur Felix de episcopatu, subrogatur Liberius, tenetur Eusebius Presbyter, & quòd in domo sua, quam ipse construxerat, populum congregaret, & quia confortaret plebem sanctam. Tunc Constantius Imperator aggreditur cum Liberio Eusebium Presbyterum dicens. Tu solus Christianus es in urbe Roma? Eusebius Presbyter respondit: Sic confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Christus, sicut & baptizati sumus & benedictionem quam à beato Iulio suscepimus tenemus. Liberius dixit: Nos cujus fungimur vice? Nonne Iulij anterioris nostri? Eusebius Presbyter dixit: Si perseverasses in fide quam in persecutione primò tenere visus fueras. Liberius dixit: Præsente Augusto tam contumacem me existimas? Eusebius dixit: Res ipsa te docet & declarat. Imperator Constantius dixit: Et quid est inter fidem & fidem? Eusebius Presbyter respondit: Quantum ad nos peccatores, integrè tenentes sumus. Quantum ad vos, insania diaboli & invidia superstitionis vestræ, ut Felicem Episcopum, quem vos non tacuistis catholicum & Dominum Iesum Christum invocantem purum

Anno Christi 357.

sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis; qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem jussu tuo Christianis occisionem & necem præcepisti inferri, maximè Clericis & Presbyteris & Diaconibus. Tunc iratus Constantius subrogatu Liberij includit Eusebium Presbyterum in quodam cubiculo domus suæ quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, & ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen, post menses septem dormitionem accepit nonodecimo Kalendas Septembris. Cujus corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbyteri parentes ejus, & sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti martyris & Episcopi via Appia in cimiterio Calisti; ubi & titulum ejus scribentes posuerunt pro commemoratione ejus: *Eusebio homini Dei.* Eodem tempore auditum est à Constantio Imperatore eò quòd Gregorius & Orosius Presbyteri collegerunt corpus Eusebij Presbyteri, & in eadem crypta vivum præcepit includi Gregorium. Tunc Orosius Presbyter collegit semivivum beatum Gregorium noctu occultè propter Constantium Augustum, & emisso spiritu, sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebij Presbyteri. Qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit. Ab eodem die intra Ecclesias jussu Constantij Imperatoris quisquis inventus fuisset non sic confiteri vel participari sicut Liberius, indiscussus gladio puniretur. Quapropter in plateis & in vicis & in Ecclesiis sive in balneis gladio trucidabantur, persequente Constantio Christianos unà cum Liberio. Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publica damnavit Liberium facta synodo cum Episcopis viginti & octo & Presbyteris viginti & quinque; & cessavit persecutio, non tamen multum tempus, donante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

LITANIÆ VETERES ECCLESIÆ BELLOVACENSIS.

CHristus vincit.
Christus regnat. } Ter.
Christus imperat.
Exaudi Christe.
℟. Iohanni summo Pontifici & universali Papæ vita. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancta Maria. Tu illum adjuva.
Sancte Michaël. Tu illum adjuva.
Sancte Gabrihel. Tu illum adjuva.
Sancte Raphahel. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe.
Rotgerio hujus Ecclesiæ Pontifici & omni gregi sibi commisso salus & vita.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Petre. Tu illum adjuva.
Sancte Paule. Tu illum adjuva.
Sancte Andrea. Tu illum adjuva.
Sancte Simon. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe.
Rotberto serenissimo & à Deo coronato magno & pacifico Regi vita & victoria.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Stephane. Tu illum adjuva.
Sancte Dionysi. Tu illum adjuva.
Sancte Luciane. Tu illum adjuva.
Sancte Iuste. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe. Constantiæ Reginæ salus & vita.
Redemptor mundi. Tu illam adjuva.
Sancta Felicitas. Tu illam adjuva.

Sancta Perpetua. Tu illam adjuva.
Sancta Agatha. Tu illam adjuva.
Sancta Agnes. Tu illam adjuva.
Exaudi Christe. Omnibus judicibus & cuncto exercitui Christianorum vita & victoria.
Salvator mundi. Tu illos adjuva.
Sancte Silvester. Tu illos adjuva.
Sancte Gregori. Tu illos adjuva.
Sancte Leo. Tu illos adjuva.
Sancte Ambrosi. Tu illos adjuva.
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex Regum Christus vincit.
Misericordia nostra Christus vincit.
Liberatio & redemptio nostra Christus vincit.
Arma nostra invictissima Christus vincit.
Murus noster inexpugnabilis Christus vincit.
Defensio & exultatio nostra Christus vincit.
Protectio & victoria nostra Christus vincit.
Ipsi soli imperium, gloria, & potestas per immortalia secula seculorum. Amen.
Ipsi honor, laus, & jubilatio per infinita secula seculorum. Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia secula seculorum. Amen.
Christe audi nos. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Hunc diem læti ducamus. Ter.
Domnum Iohannem Apostolicum Deus conservet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Iohannes. Tu illum adjuva.
Sancte Iacobe. Tu illum adjuva.
Sancte Philippe. Tu illum adjuva.
Domnum Rotgerium Episcopum Deus conservet. Ter.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.

Sancte

Sancte Martine. Tu illum adjuva.
Sancte Remigi. Tu illum adjuva.
Sancte Medarde. Tu illum adjuva.
Domnum Rotbertum Regem Deus conservet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Corneli. Tu illum adjuva.
Sancte Laurenti. Tu illum adjuva.
Sancte Vincenti. Tu illum adjuva.
Feliciter. } Ter.
Feliciter. }
Feliciter. }
Tempora bona habeant. } Ter.
Tempora bona habeant. }
Tempora bona habeant. }
Multos annos. Amen.
Ite Missa est. Deo gratias.

GREGORII PAPÆ QVARTI

Epistola ad Episcopos & alios Dei fideles per Galliam constitutos, de dignitate & privilegiis monasterij Floriacensis.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis atque aliis Dei fidelibus per Galliam constitutis. Quoniam ex apostolica successione sollicitudinem omnibus Ecclesiis debemus impendere, sic cupimus generali consulere necessitati ut etiam quorumcunque singulares causas sine fastidio cognoscamus. Igitur cùm propter multiplices Ecclesiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem ad glorioſum deveniſſemus Imperatorem Hludovicum, inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ idem ſereniſſimus Auguſtus, & venerabilis partium veſtrarum Abbas ex cœnobio quod nominatur Floriacus in

Anno Christi 834.

Vide Theganum, cap. 42.

pago Aurelianensi, quòd idem monasterium quidam religiosus Abbas Leodebodus nomine monachis extruxerit in honorem Dei & sanctæ genitricis Mariæ necnon beati principis Apostolorum Petri, quódque revelatione divina per monachos ejusdem loci à Capuana provincia corpus illùc sancti Benedicti fuerit allatum, ibique reverenter humatum, sicut manifestissima constat historia. Nam propter stabilimentum monasticæ religionis piæ memoriæ Imperator Karolus pater ejus per præceptum suæ auctoritatis eidem loco multa contulit, & ab aliis collata testamento firmavit. Vnde postulavit idem amabilis Deo Princeps suprà memoratus præfatus Abbas ad reprimendam quorundam cupiditatem privilegium nostræ auctoritatis eidem monasterio conferri. Quapropter constituimus, cum consilio omnium qui adsunt Episcoporum, quatinus possessiones & res ejusdem monasterij mobiles sive immobiles, quæ nunc datæ sunt, vel in futurum à religiosis dabuntur, sine ulla inquietudine perpetualiter teneant atque possideant. Nullus deinceps Episcopus, Dux, Comes, Vicecomes, Vicarius, Telonearius, Actionarius, vel magna parvaque persona audeat ipsum monasterium vel res ad ipsum pertinentes inquietare, homines sine voluntate Abbatis distringere, vel quicquid fiscus exigere poterat aliquo modo præripere. Addimus etiam, ut quia venerabilis pater Benedictus monachorum legislator & dominus, dux est religionis monasticæ, sit etiam qui eidem cœnobio præfuerit primus inter Abbates Galliæ; nec aliquis de ordine sacerdotali, Archiepiscopus scilicet, Episcopus, aut Clericus, eum inquietare nec sine voluntate ipsius ad idem monasterium venire aut aliquam ordinationem facere vel Missas celebrare præsumat; ut omni tempore quieti & securi absque omni molestia vel controversia

monachi in eodem monasterio Deo deservire possint. Abbas verò qui ordinandus ibi est, cum electione fratrum, propter vitæ meritum & honestatem morum, & non propter turpia lucra seu per pecuniam eligatur, & absque ulla calumnia, à quocunque Episcopo, prout sibi placuerit, benedicatur. De sacerdotibus verò aut Diaconibus ordinandis id observetur quod in regula præcipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectionem ab eis requirat quos ordinavit, nec unquam officio dignos ordinare differat. Denique si contigerit ut Abbas accusetur de criminalibus causis, non unius Episcopi judicio determinetur sententia, sed provincialis Concilij expectetur censura. Aut si fortè maluerit appellare sedem apostolicam, res ad Romani Pontificis differatur audientiam. Et quotiescunque necessitas urget, eum venire Romam modis omnibus liceat. Solvendi & ligandi potestatem in viros & feminas sui ordinis habeat. Si verò Abbas vel monachus de eodem monasterio ad clericatus ordinem promotus fuerit, non illic habeat ulteriùs potestatem remorandi aut aliquid faciendi. Quia verò de eodem monasterio monachi exigente culpa communione priventur, ejus dioceseos diversa loca adeunt, & communionem sine aliqua reservatione percipiunt, Presbyteris districtiùs interdicere necesse est ut facere de cetero non præsumant: quia & regularis ordo dissolvitur, & perditionis ex hoc materia ministratur. Quòd si peccatis habitatorum terræ exigentibus anathema ad eos pervenerit, vel privilegium eidem monasterio indulsimus ut fratres ejusdem congregationis peragant divinum officium in omnibus absoluti. Visum quoque nobis est ut hanc licentiam eidem tribuamus, quatinus fratres qui in quibusdam cœnobiis gemunt quòd vivere regulariter nequeant, si voluerint, studio meliorandæ

Regula 5. Bened. c. 62.

vitæ, ad ipsum ducem monachorum divertere, permittatur eis tamdiu in ipso cœnobio degere, si contenti fuerint uti monastica consuetudine, quousque in suis monasteriis videatur ordo redire. Permittimus etiam ut si alicujus de ipsis fratribus onerosa conversatio fuerit, ipse potiùs cum suo detrimento discedat quàm alios inquinet. Hæc igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam eidem Abbati quàm cunctis qui in eo quo est ordine locoque succesſerint, vel quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis verò Regum, sacerdotum, judicum, atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel illa quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicita acta defleverit, à sacratissimo corpore & sanguine Domini Dei redemptoris Iesu Christi alienus sub anathematis interdictione fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per manus Theodori Notarij & Scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, & Indictione * VII.

* XII.

PRÆCEPTVM LOTHARII Regis fratris Karoli quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani Lugdunensis, & dicit quòd Caduliacum villa, quæ est in mandamento de Vireu, in pago Salmoriacensi est.

IN nomine omnipotentis Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Lotharius divina præveniente clementia Rex. Expedit regiæ celsitudini ita divinis cultibus operam dare quatenus Ecclesiarum Dei jura ac privilegia pristinis temporibus justè & rationabiliter ordinata sua protectione juxta Domini voluntatem conservet, & si qua cæca cupiditate inordinatè ablata prospexerit, quantocius pro nomine reformet; ut & sanctorum intervenientibus meritis æternæ retributionis præmium acquirat, eos etiam quibus ecclesiastica jura commissa sunt sibi devotiores reddat. Quocirca omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet ac futurorum noverit utilitas emolumento seu etiam propter devotissimam famulationem Remigij Lugdunensis Ecclesiæ reverentissimi Archiepiscopi restituimus per nostræ auctoritatis præceptum Ecclesiæ sancti Stephani Lugdunensis villas has, Cachiliacum videlicet in comitatu Salmoriacensi, & Liviam in pago Viennensi, quas pridem bonæ memoriæ Karolus glorioſus Rex germanus noster præfatæ Ecclesiæ justa ratione sua regali auctoritate reformaverat, sed nos postmodum pro quadam necessitate illas in beneficium contuleramus. Quod omnino non rectè factum fore cognoscentes, hos nostræ auctoritatis apices fieri censuimus, per quos memoratas villas præfatæ casæ Dei reformamus, quatenus nostris futurisque tem- Circa annum 865.

poribus absque cujuslibet subtractione in potestate Pontificum ejusdem Ecclesiæ permaneant, ut Deo largiente Præsules ac clerus ejusdem casæ Dei pro anima genitoris nostri ac genitricis seu fratris nostri Karoli glorioſi Regis necnon & nostra Domino attentiùs preces assiduas fundere studeant. Vt autem hæc nostræ restitutionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsa permaneat firmitatemque omnem obtineat, manu propria illam roboravimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

KAROLI III. IMP.

Præceptum pro Ecclesia Lugdunensi, datum ad deprecationem Liutardi Episcopi Vercellensis & Bernardi Marchionis.

Hæc carta, quæ est de Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, dicit quòd hæ villæ, Colonicas, Fistiliacum, Cadeliacum, quæ sunt in mandamento de Vireu, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.

Anno Christi 885. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Iesu Christi. Karolus divina ordinante providentia Imperator augustus. Si fidelium nostrorum ratis petitionibus aures nostræ pietatis accommodamus & eorum utilitatibus consulimus, imperiali celsitudini operam damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati promptiores exhibemus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet atque futuris quoniam ad deprecationem dilecti nobis Liutuardi venerabilis Episcopi & Bernardi illustrissimi Marchionis concessimus Ecclesiæ beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui venerabilis Aurelianus Archiepis-

copus præesse dinoscitur, Ecclesias cum villis omnibus ad eas pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, pro remedio animæ nostræ, conjugisque, ac prolis, longo jam tempore ab ipsa Ecclesia alienatas, videlicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti Laurentij cum beneficiolo ad illam pertinente, Genoliacum quoque villam cum portu & mercato habentem capellam & mansos inter absos & vestitos triginta tres, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, Dagniacum etiam habentem capellam & inter absos & vestitos mansos triginta, cum omnibus quæ ad eum aspiciunt. Contulimus quoque Ecclesiæ sancti Hyrenei ad stipendia Canonicorum ibi deservientium pro æterna remuneratione in Lupertiaco mansos tres, in Vibaco mansum unum, in Monte mansos duos, & in Cabaniaco mansos duos. Volumus quoque ad præfatorum fidelium nostrorum deprecationem præcepta à nostris statuta patruis, piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario atque Karolo, eorumque filiis Lothario atque Karolo Regibus, necnon & consobrino nostro Ludovico Rege, nostræ auctoritatis alio præcepto confirmare. quod & fecimus. Et hoc præcepto confirmavimus, in pago scilicet Lugdunensi Nantuacense monasterium & Saviniacense cum appendiciis suis, & in eodem pago immunitatem villæ urbanæ juxta civitatem, & Ansam villulam in usum fratrum, Acaulamum, Caliscumque, & Cortennacum, & villam Egenam, vicumque Ambariacum, atque Belliniacum, Luperciacum etiam, & Cotiacum, cum appendiciis earum & famulis utriusque sexus. In pago Viennensi villam Turnonem, & Liviam, & Lucennacum, cum integritatibus suis. In pago verò Salmoriacense & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum, Cachiliacum quoque villas, cum pertinentiis suis. In comitatu Scutiacense Morgas villam cum immunitate

& appendiciis suis. In pago verò Brionense Pisnacum villam cum omni integritate. In pago verò Augustudunense Canchacum villam cum suis appendiciis. In pago etiam Belnensi Polmarcum villam cum omni integritate sua. Et in comitatu Portuensi Flaviacum & Pocetum villas cum earum appendiciis. In pago etiam Cavillonensi Montanum villam & Vilare atque Servellam cum appendiciis suis. Volumus ergo, ut suprà diximus, quæ ibidem ab antecessoribus nostris jamdictis aut largita sunt aut reddita, seu ab aliis cujuscunque ordinis viris collata sunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, sub nostra immunitate firma & stabilia perseverent. Præcipientes ergo jubemus & jubendo præcipimus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem imperij nostri legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ extra rationem distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitùs exigere præsumat; sed liceat memorato Archiepiscopo suisque successoribus res supradictæ Ecclesiæ quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire, & pro nobis, conjuge, proleque, ac totius imperij nostri stabilitate Domini misericordiam non negligant exorare. Et ut hæc auctoritas nostræ munificentiæ semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum Karoli serenissimi Imperatoris augusti.

Amalgerius notarius ad vicem Leutardi Archicancellarij recognovit.

Data XII. Kalendas Iulij anno Christo propitio V. imperante Domino nostro serenissimo Karolo Imperatore Augusto, in Francia verò anno imperij ejus primo.

Actum Stirpiaco villa in Dei nomine, Indictione tertia.

PRÆCEPTVM LVDOVICI Regis quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani Lugdunensis, & dicit quòd Colonicas & Fistiliacum & Caduliacum villas, quæ sunt in mandamento de castro Virevo, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.

Anno Christi 892.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ludovicus divina ordinante providentia Rex. Si fidelium nostrorum sanis justisque petitionibus aurem nostræ serenitatis accommodamus, eorumque utilitatibus præstando subvenimus, regiæ dignitatis operam damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati promptiores immo ferventiores exhibemus. Itaque notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris præsentibus atque futuris quoniam deprecatione & hortatu sive consilio glorioſissimæ genitricis nostræ Hermengardis & pro sinceriſſimo Aureliani didascali nostri obsequio concessimus Ecclesiæ beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui idem venerabilis Aurelianus Archiepiscopus præesse dinoscitur, Ecclesias villasque cum omnibus ad eas pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, ut ipse beatissimus protomartyr pro nobis & pro nostris genitoribus ac avis & proavis intervenire dignetur, videlicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti

Laurentij cum beneficiolo ad ipsam pertinente, cis Arari verò abbatiam sancti Martini quæ Athanacus vocatur cum omnibus sub integritate ad ipsam abbatiam pertinentibus, Genoliacum quoque cum portu & mercato habentem capellam & mansos inter vestitos & absos XXXIII. cum omnibus ad se pertinentibus, Dagniacum etiam habentem capellam & inter absos & vestitos mansos triginta cum omnibus quæ ad eam aspiciunt. Contulimus quoque Ecclesiam sancti Hyrenei ad stipendia Canonicorum ibidem servientium pro æterna remuneratione, in Luperciaco mansos tres, in Viliaco mansum unum, in Monte mansos duos, in Cabanniaco mansos duos. Volumus quoque ad glorioſissimæ genitricis nostræ votum præcepta à nostris statuta avis & proavis, piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario, Ludovico, atque Karolo, eorumque filiis & nepotibus Regibus, necnon & consobrino nostro Ludovico, regiæ nostræ auctoritatis isto videlicet confirmare. In pago scilicet Lugdunensi Nantoadense monasterium & Saviniacense cum suis omnibus appendiciis, & in eodem pago immunitatem villæ urbanæ juxta civitatem, & Ansam villam in usus fratrum, Acausanium, Calisicum quoque, & Cortennacum, & villam Egenam, vicumque Ambariacum, atque Beliacum, Lupertiacum etiam & Cocciacum, cum earum appendiciis & familiis utriusque sexus. In pago Viennensi villam Turnonem & Liviam & Lucennacum cum integritatibus suis. In pago autem Valentiaco Saciacum villam. In pago autem Salmoriacensi & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum, Caduliacum villas, cum suis pertinentiis. In comitatu Scutiacensi Morgas villam cum immunitate & appendiciis suis. In pago verò Brionensi Pisniacum villam cum omni integritate. In pago namque Augustudunensi Candiacum villam cum suis appendi-

ciis. In pago etiam Belnensi Polmarcum villam cum integritate sua. Et in comitatu Portuensi Flaviacum & Pocetum villas cum omnibus appendiciis suis. In pago namque Cavilonensi Montaurum villam & Villare atque Scovellam cum suis appendiciis. In pago verò Bassiniacensi Ramsonarias cum suis appendiciis. Volumus ergo, ut suprà diximus, ut quæ ibidem ab antecessoribus nostris jamdictis aut largita sunt aut reddita, seu ab aliis cujuscunque ordinis viris collata sunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, sub nostra immunitate firma & stabilia perseverent. Præcipientes ergo jubemus & jubendo præcipimus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius divina voluerit pietas augeri, ad causas audiendas, aut freda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ extra rationem distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel quæ suprà memorata sunt penitùs exigere præsumat; sed liceat memorato Archiepiscopo suisque successoribus res suprà memoratæ Ecclesiæ quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire, & pro nobis ac gloriosissima genitrice & pro totius regni nostri stabilitate non negligant exorare. Vt autem hæc nostræ munificentiæ auctoritas semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Regis.

Vvarimaldus Notarius advicem Barnoini recognovit.

Data XV. Kal Aprilis anno dominicæ incarnatio-

nis DCCCXCII. & eodem Christo propitio regnante domno nostro Ludovico anno secundo in Burgundia seu Provincia, Indictione x.

Actum Lugduni civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

PRÆCEPTVM LVDOVICI Regis quod facit Ysaac Gratianopolitano Episcopo & successoribus ejus.

Anno Christi 894.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Ludovicus divina ordinante providentia Rex. Dignum est ut regalis sublimitas procerum suorum petitionibus annuat & annuendo adimpleat, quanto eos viderit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ regnique nostri, nostrorum videlicet & futurorum Regum, noverit solertia quia domina genitrix nostra Hirmingardis Regina nostram regalem expetiit clementiam super quodam fideli nostro Ysahac venerabili Episcopo, ut præceptum vel donum quod pius genitor noster Boso Rex fecerat de Ecclesiis sanctæ Mariæ seu sancti Donati confessoris eximij cum suis spiritalibus obsequiis confirmaremus. Est autem ipsa Ecclesia sita in comitatu Viennensi, in vico Iovinziaco. Cujus nos precibus annuentes unà cum Episcopis, Comitibus, seu nonnullis regiminis nostri Principibus, stabilitatis præceptum sancimus ut ipse Ysahac ejusque successores nullo contradicente in prædicta Ecclesia cum omni ejusdem loci clero teneant possideant omnes virtutes quas mater Ecclesia perpetim videtur habere in omnibus ecclesiasticis ordinibus, chrisma videlicet in Domini cœna benedicendo, pœnitentiam peccatoribus dando, eicien-

doque ex Ecclesia & suscipiendo tempore congruo, festivitates celebrando, pauperes ibi & nobiles mortuos sepeliendo. Firmamus etiam prædicto venerabili Isaac Episcopo ut omnes res suæ proprietatis quas ipse in pago Viennensi vel Lugdunensi atque in Provincia seu in quibuscunque locis regni nostri per chartarum instrumenta ei concedimus, quocunque ingenio, hereditate, donatione, concambiatione, & comparatione in supradictis locis acquisitas res habet, vel inantea Deo propitio adquirere potuerit, tam de hereditate propinquorum suorum quàmque de cunctis Christianis, Iudæis & Iudæabus, fiscalinis nostris, seu de omnibus Ecclesiarum regni nostri comitatuum commutationibus, concambiationibus, omnia supradicta per præceptum nostræ auctoritatis illi concedimus seu confirmamus hereditario jure quietè habenda. Decrevimus itaque fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum Isaac venerabili Episcopo, per quod omnes res suas illi condonamus modis omnibus regali auctoritate habendas, ita ut deinceps eas absque alicujus contradictione quieto ac pacifico possideat jure, & cuicunque voluerit derelinquat, & omnia superiùs nominata absque aliqua minoratione contradictoris possideat. Et si aliqua invidia, vi, dolo, vel concremationе ignium, chartarum instrumenta ablata fuerint, per nostræ auctoritatis præceptum cum omni integritate ei concedimus ad habendum. Et nemini contradictori suo alteram chartam ostendat, nisi hoc nostræ auctoritatis præceptum. Et sit omnibus modis protectus atque defensatus tam res illius quàm ipse, & nemo potestatis cujusquam persona ullo unquam tempore aliquam illi inferre præsumat molestiam; sed liceat ei cum omnibus suæ proprietatis rebus sub nostræ immunitatis tuitione pacificè eadem res possidere & ordinare. Si verò

aliquæ querimoniæ pro ipsis rebus adversùs eum ortæ fuerint, quæ absque gravi dispendio nequeant diffiniri, jubemus ut usque in nostram suspendantur præsentiam, quatenus ibi finitivam accipiant sententiam. Et quicunque contra hoc nostræ immunitatis præceptum aliquid contradicere vel violare præsumpserit, sciat se sicut & alias res emunctorias compositurum & emendaturum. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum absque alicujus mutilatione pleniſſimam obtineat firmitatem perennis temporibus, manu propria subter illud firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri præcepimus; & propter quorundam malorum hominum calliditates illud etiam inserere jussimus, ut si aliquis nostri facti refragator in aliquo repertus fuerit, mox pœna quam lex Theodosij præcipit, id est triginta libris auri esse multandum, atque chartario nostro substituendum, & absque ulla minoratione Missis nostris persolvendum. Signum Ludovici. Datum III. Idus Augusti anno incarnationis dominicæ DCCCXCIV. Indictione XII. anno Christo propitio regni Ludovici Regis IV. Actum Nicias castello in Dei nomine feliciter. Amen.

De consuetudine sancti Donati.

BRevis vel computatio de consuetudine quam Episcopi Gratianopolitanæ urbis Ysaac, Alcherius, Isarnus, Vmbertus habuerunt vel tenuerunt seu fecerunt in Ecclesia sancti Donati confessoris, quæ est in comitatu Viennensi sita & in vico Iovinziaco. Hi Pontifices congruo tempore in illa Ecclesia ut voluerunt ordinaverunt Clericos, dederunt pœnitentiam peccatoribus, eiciendo de Ecclesia & recipiendo, benedixerunt ibi chrisma in cœna Domini. Et in parasceven est consuetudo ut ibi

veniant viri religiosi & potentes, & justi & peccatores, audire divinum officium. Et est insuper alia consuetudo in prædicta Ecclesia vel in supradicto loco, ut in suo cimiterio nobiles & potentes, divites & pauperes, sine ulla contradictione sepeliant, & numularios id est monetarios habeant. Has consuetudines, ut diximus, in vico Iovinziaco supradicti Episcopi & Canonici sancti Donati habuerunt & tenuerunt firmiter per donum Regis & per consensum Episcoporum seu laicorum nobilium illius regionis.

FORMOSI PAPÆ

Epistola ad Bernonem Abbatem Gigniacensem de privilegiis ejusdem monasterij.

FOrmosus servus servorum Dei Bernoni religioso ac venerabili Abbati cœnobitarum sito territorio Lugdunensi, quod in honore beati Petri Apostolorum principis constructum esse dinoscitur in loco qui Gigniacus perhibetur, ac in eodem venerabili monasterio in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere & poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum pretium à conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportunè ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur properans ipse Berno venerabilis Abbas ad beatorum Apostolorum limina, nostramque adiens apostolicam præsentiam, retulisti nobis ipsum memoratum cœnobium à te tuoque consobrino nomine Laisino de propriis rebus vestris duntaxat in honore sancti Petri constructum atque dicatum

Anno Christi 896.

existere, & ut ab omnibus immutilatum servetur, per testamenti pagina, quod nobis servandum contuliſtis, eidem beato Petro cæleſtis regni clavigero nobiſque per Dei gratiam Vicario obtuliſtis ad sempiternum vobis remedium conferendum. Ideo suggeſſiſtis, noſtro apoſtolatui ut apoſtolici noſtri privilegij illud ſanctione muniremus. Quapropter quod ſtatuiſtis devotè admittentes, petitionemque veſtram ratam arbitrantes, inclinare precibus veſtris per hujus præceptionis ſeriem prædictum venerabile cœnobium cum cellis, ſeu caſis, terris, vineis, caſalibus, fundis, pratis, ſilvis, unà cum colonis & colonabus, necnon & cellulam quæ vocatur Balma, cum adjacentiis ſuis, omnia & in omnibus quæ tam à glorioſis Regibus quàm ab aliis Deum timentibus inibi data vel præcepta ſunt, vel deinceps Domino adjuvante donanda erunt, hac præſenti tertiadecima Indictione apoſtolica auctoritate confirmamus, munimus, & in perpetuum ſub jure & ditione atque poteſtate beati Petri Apoſtoli & noſtra confirmatum ſtabilimus, ita ſcilicet ut nulli homini qualibet dignitate fulcito licitum ſit aut etiam de ipſis donatoribus quamcunque vim aut aliquam oppreſſionem ibidem inferre aut res donatas vel amodo devotè donandas quoquo modo auferre. potiùs autem firmum & ab omnibus immutilatum cuſtodiatur ad jus & protectione beati Petri Apoſtolorum principis. Si autem, quod humanum eſt, Abbas prædicti cœnobij obierit, congregatio ipſius monaſterij ex ſe ipſis ſecundùm Deum & regulam beati Benedicti, quem idoneum prævi-derint, concordi voto habeat ſemper eligendi & ſecundùm morem in Abbatem ſibi præficiendi. De decimis autem queſti eſtis, eò quòd de propriis veſtris à vobis perſolvi quærantur. Quòd ſi ita ſe res habet, hoc ne fiat interdicimus; maximè cùm

ſcriptum

scriptum sit ne sacerdotes decimas dare cogantur. Quisquis autem, quod non optamus, tam ex ipsis donatoribus quàm ex aliis temerario ausu de donatis rebus vel donandis aliquid auferre præsumpserit, sive quamlibet [calumniam] eidem monasterio ipsiusve monachis ingerere tentaverit, & contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere non formidaverit, sciat se anathematis vinculis innodandum &, nisi resipuerit, à regno Dei alienandum, Qui autem verus custos & observator hujus pij nostri statuti extiterit, benedictionem & gratiam à Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Sergij Scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Novembrio, Indictione suprascripta, per manum Stephani Cancellarij sanctæ sedis apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Arnulfo à Deo coronato. Benevalete.

RODVLFI
REGIS BVRGVNDIÆ

Præceptum pro eodem monasterio Gigniacensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Rodulfus ordinante divino numere serenissimus Rex. Si servorum Dei justis postulationibus serenitatis nostræ aurem accommodaverimus, & quod piè & rationabiliter petunt, benignè & clementer concesserimus, hoc nobis profuturum in præsenti vel in futuro minimè dubitamus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum sollertiæ tam præsentium quàmque futurorum qualiter vir venerabilis Berno videlicet reverentissimus Abbas adiit nostram magnitudinem petens nos ut quendam Anno Christi 904.

locum Gigniacum, quem ipse Abbas & sui confratres tenent vel construunt regulariter, rebus proprietatis nostræ ditaremus. quod libenter fecimus, Donamus itaque pro æterna retributione ad jamdictum locum in honore beati Petri Apostoli constructum, vel ipsi Apostolorum principi Romæ subditum, res quas postulavit Abbas prædictus, hoc est, in comitatu Scutindis quandam cellam nomine Balmam, ubi fluvius Salliæ surgit, quam ipsi monachi prælibati ad fundamentum reædificaverunt, in præfato etiam comitato cellulam quampiam in qua sanctus Lauterius confessor precioſus requiescit, in ipso etiam comitato quandam villam nomine Cavanacum & Clemenciacum cum omnibus suis appendiciis quæ ad dictas villas justè & legaliter pertinere videntur, vel ad dictam villam, in rebus vel mancipiis cum omni integritate ad sæpedictum locum Gigniacum donamus & de nostro jure in jus habendum præfati Abbatis Bernoni videlicet vel successorum ejus qui ipsum locum dominaturi sunt sub instituta regula solenni more transferimus, nulli ipsis jamdictis monachis contradicente, sed quietè hoc possideant in perpetuum. Vt autem hujus nostri præcepti auctoritas firmiùs credatur & ab omnibus inviolabiliter semper observetur, & in Dei nomine totius firmitatis obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & anuli nostri signum subtus in ea mandavimus affigi.

Signum Domni Rodulfi piissimi Regis.

Data IV. Idus Decembris anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCCIV. Indictione * VIII. * VI. regnante Domno Rodulfo Rege anno XVI.

Actum Novavilla in Dei nomine feliciter. Amen.

CONCORDIA DE ECCLESIA *sancti Clementis Credonensis inter monachos sancti Albini Andegavensis & Vindocinenses, facta apud Carnotum anno Christi* MLXXII.

NOtum sit omnibus tam futuris quàm præ- An. 1072.
sentibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus quòd Orricus sanctæ Trinitatis Ecclesiæ Abba de Vindocino, atque Otbrannus sancti Albini Andegavensis Abba, Carnotum pariter venerunt ante præsentiam Cardinalis Romani, Domini videlicet Geraldi Ostiensis Episcopi, ut ibi justè terminaretur contentio quam inter se diù habuerant de Ecclesia Credonensi sancti Clementis, quam uterque ad suum monasterium jure pertinere conabatur astruere. Quæ dissensio cùm nec ibi finiri potuisset, præfatum Cardinalem pro eadem causa Parisius secuti sunt; ut saltem in Concilio quod ibi determinatum erat, finem consequeretur prædicta contentio. Sed cùm nihilo magis ibi promovissent, Carnotum pariter cum Domno Arraldo ipsius sedis Episcopo redeuntes, ipso mediatore ad hanc concordiam de prædicta causa tandem venerunt ut Otbrannus Abba sancti Albini Andegavensis ducentas libras denariorum Andegavensium terminis constitutis ab Orrico sanctæ Trinitatis Abbate reciperet pro dimittenda calúmnia quam habebat in Ecclesia sancti Clementis Credonensi. Factum est autem hoc ex consensu omnium quos secum habebant, tam laicorum, quàm monachorum; eo tamen tenore, ut si infra terminos constitutos pecuniæ persolvendæ Abbatum alteruter decederet, Ecclesia tamen Vindocinensis

sanctæ Trinitatis prædictam pecuniam persolveret Ecclesiæ sancti Albini Andegavensis ; ea tamen conditionis lege, ut prædictus Abbas Otbrannus hoc ipsum in capitulo sancti Albini ex assensu fratrum omnium ac totius familiæ ratum faceret. Quod ut firmum & inconvulsum maneret, litterarum memoriæ tradi voluerunt ; & in capitulo Carnotensis Ecclesiæ, ne quando lis sopita revivisceret, unanimiter confirmaverunt.

S. Adraldi Episcopi. Signum Otbranni Abbatis. S. Ingelranni Decani &c. S. Orrici Abbatis &c. Anno ab incarnatione Domini MLXXII.

In ipsa synodo fecerunt primò monachi sancti Sergij, vel monachus Adelardus, clamorem de Campiniaco adversùs Abbatem S. Albini.

NARRATIO QVOMODO cùm eadem controversia postea recruduisset inter eosdem monachos, Vrbanus II. Papa novæ inter eos concordiæ auctor fuit.

An. 1094. ECclesiam sancti Clementis Credonensis castri cum omnibus appendiciis suis ecclesiasticis possedere quietam monachi beati Albini ampliùs quàm triginta annis in pace. Eam Goffridus Martellus Andecavorum Comes, patenti eis sublatam violentia, monachis dedit Vindocinensis monasterij, non tamen sine calumnia monachorum sancti Albini. Cùmque pro hac re inter hos illosque monachos jugis perseveraret discordia, tentatis priùs frustra pluribus synodorum conciliorumque judiciis, apostolica tandem vocatione Vrbani Papæ jubentur præsentari, facturi ad invicem ex ejus decreto canonica jura. Au-

dierat enim jam secundò de hac re Papa prædictus monachorum sancti Albini clamorem ; quem ad ejus aures detulerat Milo quidam eorum commonachus, missus ad hoc jam semel & iterum ab Abbate & ceteris fratribus ejus. Deliberatum itaque est ab utriusque congregationis monachis ut electi seniores duo tresve hinc & inde apostolicis destinarentur conspectibus : qui ei partis utriusque causas tali patefacerent conditione, ut quicquid ex ea re præsentibus illis apostolica firmaret auctoritas, hoc firmum & inviolabile utriusque monasterij defenderet posteritas. Eo tempore Abbas sancti Albini Girardus vehementi laborans infirmitate, equitare non poterat. Sed & Bernonem Vindocinensis monasterij Abbatem anni jam declinantes in senium ab omni labore excusabant. Electi sunt ergo ad hanc legationem, de monachis beati Albini, Girardus Prior, Stephanus quoque, & Milo, famulique eorum. De Vindocinensibus quoque electi sunt Frotmundus Prior, & Ingelbaldus, famulique eorum. Qui profecti pariter, pariter se Papæ obtutibus obtulerunt, pariter & causas suas manifestaverunt. Ille diligens in utramque partem, prout oportuit, examinator, post multas hujus illiusque partis retractationes, pacem tandem & concordiam inter utrosque, utrorumque libera voluntate, composuit. Et pacis quidem ejus sive concordiæ pactum Priores ambo, & monachi qui cum eis erant, datis propriis fiduciis in manu Papæ firmaverunt. Sed & idem Papa ad firmitatis cumulum, pactum eorum propriis confirmavit sigillis & litteris, quarum exemplum hic adnotatum sequitur.

VRBANVS Episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiis * Girardo Abbati sancti Albini Andecavensis & Bernoni Abbati sanctæ

* *Malè Sirmond.* Goffrido

Trinitatis Vindocinensis salutem & apostolicam benedictionem. Anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo tertio, pontificatus nostri quinto, Indictione prima, cùm essem in provincia Calabriæ apud monasterium sanctæ Mariæ quod dicitur de Matina, monachi sancti Albini, Girardus Prior, Milo, Stephanus, adversùs monachos sanctæ Trinitatis de Vindocino, Frotmundum Priorem, Ingelbaudum Hostiarium, qui præsentes aderant, conquesti sunt quòd Vindocinenses fratres Ecclesiam sancti Clementis Credonensis, quæ à monachis sancti Albini justè secundùm illorum temporum consuetudinem adquisita ac per tringinta annos quietè & sine interruptione possessa, violenter ablatam injustè detinerent. Qui cùm suis instrumentis & rationibus causam suam defendere niterentur, primo die proclamationis res diù & multùm ventilata, nullo potuit fine terminari. Secunda verò die similiter multùm discussa, ad nullum tamen est finem deducta. Die autem tertia, duodecimo scilicet Kalendas Decembris, residentibus nobis in Anglone civitate Apuliæ, præsidentibus religiosis & venerabilibus tam Episcopis quàm sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus sive Diaconibus, astantibus etiam nobilibus Romanis & Comitibus Apuliæ glorioſissimis Boamonte & Guillelmo, re iterum diù & multùm inquisita, tandem inspirante Deo lucidiùs eluxit in quam potiùs partem justitia declinaret. Cùm enim utraque pars suis nobis allegationibus obviarent, & hinc pactionem Abbatum, confirmationem Pontificum Romanæ Ecclesiæ Legatorum, illinc verò legitimum introitum & canonicam triginta annorum possessionem nobis opponerent, nos, qui omnium fidelium causas æqua lance pensare debemus, utrique utilitati providentes, ipsam litem concordiæ convenientis æquitate decidere maluimus. Omnes

igitur qui nobiscum aderant hanc sententiam collaudantes, consentientibus prædictis utriusque cœnobij fratribus in manus nostras fidem pollicendo firmantibus, concordia & pax inter eos hoc modo posita est, ut scilicet Vindocinenses monachi de his tribus Ecclesiis, aut Ecclesiam Manitilium, vel sancti Saturnini, sive sancti Iohannis super Ligerim, unam quam congregatio tota sanctæ Trinitatis elegerit, cum omnibus quæ ad eandem Ecclesiam tam mobilibus quàm immobilibus interiùs exteriùsque ad præsens pertinent, infra dies triginta postquam domum redierint, monasterio sancti Albini in perpetuum tradant. Fratres itaque sancti Albini omnem litem omnemque calumniam ex causa hac in manus nostras & Vindocinensium fratrum refutaverunt. Vindocinenses verò unam supradictarum Ecclesiarum in manus nostras reddiderunt, & per nos eosdem monachos investierunt. Præsenti igitur auctoritate fraternitatem vestram admonemus & præcipimus ut hoc pactum à nobis intentione pacis & quietis dispositum & statutum omni tempore deinceps ratum & inconvulsum teneatis & observetis. Quæcunque autem pars hanc nostræ decisionis sententiam non susceperit vel transgredi præsumpserit, tam canonum severitati subjaceat quàm legitimæ compositionis pœnam, id est auri centum librarum, sustineat, & à causa penitùs cadat. Data Tarenti VIII. Kalendas Decembris.

Postquàm autem reversi sunt Priores & qui cum eis missi fuerant, recitatæ sunt litteræ istæ tam in Vindocinensi quàm in sancti Albini Capitulo, in præsentia Abbatum & monachorum, concedentibus universis pacem illam & concordiam quam Papæ poscebat sententia. Tradideruntque Vindocinensis monasterij fratres monachis sancti Albini Ec-

cleſiam ſancti Iohannis quæ eſt ſuper Ligerim, cum tota ejus agrorum & vinearum poſſeſſione, in nomine ſupradictæ concordiæ. Quæ ut pleniùs firmaretur, miſſi ſunt à monachis ſuis Frotmundus Prior, Ingelbaldus Hoſpitalarius, Herbertus de Booleto in Capitulum ſancti Albini; ibique in omnium audientia conceſſa eſt ex utraque parte pax ſupradicta. Sed & de monachis S. Albini miſſi ſunt in Vindocinenſe Capitulum Girardus Prior, Hugo Manſellus, Stephanus quoque, & Archembaldus; ibique Abbas Berno tandem ſe concedere teſtatus eſt concordiam; ſic ceteris conſentientibus, ut ne unus quidem adverſaretur. Ad quod audiendum adhibiti ſunt ſeculares teſtes. Ex parte ſancti Albini, Girardus, Firmatus, Popardus, Samazoellus, famuli monachorum qui miſſi fuerant. Ex Vindocinenſi parte, Anſeius carpentarius, Gualterius carpentarius, Vvalterius ſutor, Durandus de Andecava, Herbertus Bloius, Odo Modiolus, Rainaldus de Andecava, Guarinus hoſpitarius, Albertus Boverius, Bernerius ſecretarius, Rainaldus piſtor.

ALIA NARRATIO DE EADEM controverſia, & de judicio Amati Archiepiſcopi Burdegalenſis apoſtolicæ ſedis Legati.

An. 1096. VRbanus Romanus Pontifex miſſis litteris mandavit Amato Legato ſuo, Rodulpho Turonenſi Archiepiſcopo, Goffrido Andecavenſi Epiſcopo, ut litem quæ eſt inter ſancti Albini & ſanctæ Trinitatis Vindocinenſis monachos de Eccleſia ſancti Clementis Credonenſis, vice ſua juſto judicio deciderent. Amatus itaque acceptis litteris ſupradicto Archiepiſcopo & Epiſcopo mandavit quatinus

ad hanc causam determinandam Sanctonas ire unà cum sancti Albini & sanctæ Trinitatis Vindocinensis monachis non differrent. Quod Comes Andecavensis audiens, suadentibus sanctæ Trinitatis Vindocinensis monachis cum interminatione destructionis totius monasterij sui sancti Albini Abbati Sanctonas ire vetuit, mandans Amato quatinus in terram suam, sicut ipsemet Amatus per supradictos monachos ab eodem Comite quæsierat, Miribellum vel Losdunum fiducialiter veniret, diffiniturus hanc tantam causam ibi unà cum Archiepiscopo Turonensi & Episcopo Andecavensi, sicut Apostolicus mandaverat, qui ob itineris difficultatem Sanctonas ire non poterant, cùm & ipse huic placito interesse cuperet. Amatus autem prætentis occasionibus venire noluit; sed hoc placitum absque prædictorum Pontificum invitatione & consensu Burdegalam transtulit. Abbas itaque sancti Albini, licèt graviter infirmus, ad hoc placitum contra vetitum Comitis Andecavensis pergens, à Pictaviensis Comitis Præposito, Rotberto nomine, apud sanctum Iohannem Angeliacensem captus, & reverti compulsus est; exquisitis antea manicis omnibus pro pecuniæ ablatione, si qua fortasse reperiretur. Qua non inventa, cùm Abbas & monachi suæ captionis & reversionis causam quærerent, Præpositus reddere noluit, interminando addens quia si ulteriùs tentarent procedere, & captionem & detrimentum rerum suarum maximum incurrerent. Adjunxit etiam ut ad Comitem pergerent, & graviùs quàm ipse eos ceperat, circaverat, reverti compulciverat, super se proclamarent. Missis igitur legalis sanctum Maxentium ad Comitem Girardo Priore suo & Helinanno altero monacho, qui de illatis injuriis quererentur, & fiduciam ac conductum Comitis quærerent, ipse Abbas cum ceteris eo die fortè ad

quandam obedientiam sanctæ Mariæ Dolensis reversus est, ibi illos, quoadusque redirent, operiens. Redeuntes itaque legati dixerunt Comitem sui captionem & universa quæ facta fuerant supradicto Præposito jussisse. Nam cùm apud eum de sui Abbatis captione & ceteris injuriis quererentur, respondit Comes se nolle illos per suam terram transire euntes ad hoc placitum in quo Ecclesiam sancti Clementis Credonensis monachis Vindocinensibus auferre niterentur, cùm & abbatia sanctæ Trinitatis sua esset, & in sua terra obedientias multas haberet. Cùmque fiduciæ transeundi per terram suam, & ducendi ad hoc placitum quoscunque vellent, quam audientibus Helia Cenomannensi Comite, Herberto Toarcensi Comite, Hugone de Liciniaco, illis Pictavis dederat, recordarentur, respondit se hoc recognoscere, & idcirco si aliquid amiserant reddere, transire autem illos nullo modo sinere. Interminando addidit etiam quia si Amatus de hoc placito se ita intromitteret ut aliquo modo Vindocinenses monachi sancti Clementis Ecclesiam amitterent, proculdubio nec suus Episcopus nec suus monachus esset. Vnde conici potest quòd Comes monachorum Vindocinensium precibus vel pretio Abbatem cum suis & capi fecerit & reverti compulerit. Hoc Abbas audiens, ipse quidem cum ceteris monachis & laicis hujus placiti conscIis & suæ rectitudinis testibus ad proprium monasterium reversus est; quatuor autem monachos, qui de prædictis injuriis quererentur, diversis viis misit. Qui per diverticula euntes latenter, diffugiendo per vias silvosas, cum maximo labore Burdegalam pervenerunt: ubi cùm de Vindocinensibus monachis, quorum hortatu Comes eorum Abbatem, sicut conjecturis veris probatum est, capi fecerat, quererentur, nullam prorsùs obtinuere justitiam. Nam cùm

se hujus captionis fuisse conscios omnes impudenter negarent, Mauritius sancti Florentij monachus & Cellararius his verbis eorum impudentiam redarguit, dicens. Prior sancti Clementis Credonensis apud sanctum Maxentium, uti tunc Comes aderat, quæsivit à me si sancti Albini Abbas ad placitum suum iret. Cùmque ego respondissem illum jam in itinere esse, dixit se tales habere amicos qui, si possent, illum disturbarent; de qua disturbatione, si contingeret, se magnum gaudium habiturum. Propter quæ verba prædixi Domno Guillelmo Abbati nostro, sicut & contigit, sancti Albini Abbatem proculdubio in hoc itinere disturbandum. Cùmque omnes machinamenta ejus perciperent, & ipse adhuc impudentiùs se ita dixisse negaret, inquisitus ab Amato quid inde dixerit, nescio quid mussitando protulit, se quasi satisfacturum inde promittens, si ipse præciperet. Amatus autem totum impune dimisit. Deinde sancti Albini monachi de sanctæ Trinitatis Vindocinensis monachis conquesti sunt, eò quòd sancti Clementis Credonensis Ecclesiam injustè invasissent & violenter tenerent, quam ipsi ex dono Suhardi vetuli & ejus filiorum Guarini & Suardi concessione per annos multos possederant, officinis, vineis, signis, libris, & aliis ornamentis ornaverant, & usque ad sanctæ Trinitatis Vindocinensis fundationem & Gaufridi Martelli Comitis tempus, qui vi sua & sine ratione aliqua illam sancto Albino abstulit & sanctæ Trinitati donavit, pacificè tenuerant. Ad quæ Vindocinenses monachi nihil contradicentes, responderunt multas querelas inter se & sancti Albini monachos de hac Ecclesia fuisse, sed Otbrannum sancti Albini Abbatem, ducentis denariorum libris ab Orrico sanctæ Trinitatis Abbate acceptis, concordiam inde feciſſe. Cùmque hanc concordiam per Giraldi Ostiensis Episcopi

manum factam esse dicerent, restitit Haimarus sancti Albini famulus, qui fuerat Otbranni Abbatis Camerarius, probare paratus quòd Giraldus Ostiensis Episcopus hanc concordiam neque fecerat, neque cùm facta Carnoti fuit aderat. Cùm verò hujus concordiæ cirographum non haberent, quandam aliam cartam legi fecerunt; in qua continebatur quòd secundùm Otbranni Abbatis promissum, totum sancti Albini Capitulum hanc concordiam concesserat. Quod sancti Albini monachi audientes, veris testimoniis falsum esse ostenderunt. Stephanus enim sancti Albini monachus, qui tunc magister scholarum fuerat, dixit se unum fuisse de calumniatoribus, Berardum, Motbertum, Clementem sancti Albini secretarium, Andream rubeum, & alios plures nominans, ipsos etiam Vindocinenses in testimonium hujus calumniæ invocabat, addens quia si aliquis eorum hoc negare tentaret, ipse approbaret. Ad quæ omnia cùm Vindocinenses monachi nihil omnino resisterent, sancti Albini monachi judicium flagitaverunt utrum Abbas, quadam parte Capituli contradicente, possessionem monasterij vendere possit. Amatus itaque secedens cum Episcopis & Abbatibus, & diù hæc omnia revolvens, tandem judicavit concordiam quam Otbrannus & Orricus adeo religiosi Abbates cum quadam parte Capituli sancti Albini, quamvis altera contradicente, fecerant, non posse dissolvi. Cùmque sancti Albini monachi à singulis Episcopis, Agennensi & Nannetensi videlicet, Abbatibus verò sanctæ Mariæ Dolensis & sancti Iohannis Angeliacensis, Clericis autem Petro Decano, Achelmo Archidiacono Burdigalensibus, quos ipse Amatus ad judicium hoc faciendum secum advocaverat, quærerent utrum hoc judicium facerent vel consentirent, nemo eorum vel affirmavit vel negavit, præter sancti Iohannis Angeliacensis Abba-

tem, qui nec facere nec consentire huic judicio coram omnibus professus est. Deinde sancti Albini monachi hoc judicium palam omnibus calumniati sunt injustum esse & falsum, & contra sanctorum canonum decreta prolatum proclamantes; popoſceruntque ut vel ipse Amatus data sententia canonica hoc judicium corroboraret, vel ipsi canonicis sententiis id refutando improbarent. Ad quæ Amatus & ceteri hujus injusti judicij conscij nullum omnino dedere responsum; pluribus monachis, Clericis, laicis apertè dicentibus hoc injustum videri judicium. Huic placito interfuerunt Simon Agennensis Episcopus, Benedictus Namnetensis Episcopus, Auldebertus Dolensis Abbas, Ausculfus Angeliacensis Abbas, Guillelmus Abbas sancti Florentij, & de monachis ejus, Mauritius, Oliverius, Radulfus, Haimo. De monachis Vindocinensibus, Frotmundus Prior, Radulfus, Daniel, Gaufridus, Adelelmus. De monachis sancti Albini, Girardus Prior, Helinannus, Stephanus, Milo. De famulis eorum, Haimarus Malpetit, David, Lucas, Ingelgerius. De Clericis, Leodegarius Archidiaconus Pictavensis, Radulfus Archidiaconus Namnetensis, Achelmus Archidiaconus Burdegalensis, Vvillelmus Apulus, Guillelmus Salmurensis Archipresbyter, Petrus Decanus Burdegalensis, Petrus de Subisa.

PASCHALIS II. PAPÆ epistola ad Archembaldum Abbatem sancti Albini Andegavensis, qua confirmat judicium Vrbani II. de concordia inita inter monachos sancti Albini & Vindocinenses.

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Arcimbaldo Abbati monasterij sancti Albini quod apud Andegavim situm est salutem & apostolicam benedictionem. Ex prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Vrbani secundi Papæ litteris intelleximus quòd ante conspectum ejus à monachis sancti Albini adversùs Vindocinenses quæstio facta fuerat super sancti Clementis Ecclesia Credonensi. Tum ex beneplacito ejusdem Pontificis deliberatum fuit ut Vindocinenses fratres pro recompensatione supradictæ Ecclesiæ aliam sancti Albini monachis Ecclesiam traderent. Vnde factum est ut Vindocinenses eisdem monachis Ecclesiam sancti Iohannis super Ligerim darent. quod utriusque congregationis favore consensuque firmatum est. Nostro autem tempore Ioffridus Vindocinensis Abbas super eadem Ecclesia sancti Iohannis Arcimbaldum sancti Albini Abbatem sollicitare studuit. Vnde nos ab eo efflagitati, Arcimbaldum ipsum nostris ad causam litteris evocavimus. Ceterùm post terminum à nobis statutum, cùm ipsi alio sibi tempore secundum vel tertium terminum statuissent, sicut nobis eorum litteris significatum est, Arcimbaldo semper ad profectionem parato, sicut ex ejus legatione percepimus, Vindocinensis Abbas non solùm non venit, sed nec excusationes rationabiles allegavit. Nos igitur simulationes & dissimulationes hujusmodi perpen-

Vide Goffrid. lib. 1. epist. 8.

dentes, juxta postulationem venerabilis fratris nostri Rainaldi Andegavensis Episcopi quieti vestræ in posterum super hoc negotio duximus providendum. Præsentis igitur decreti pagina convenientiam illam quæ per supradicti prædecessoris nostri deliberationem constituta est firmam perpetuò permanere decernimus, omnimodis prohibentes ne super illa sancti Iohannis Ecclesia ulteriùs sancti Albini monasterium Vindocinensis Abbas inquietare præsumat. Quod si præsumpserit, inquietatio ipsa vires nullas obtineat.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Data Beneventi per manum Iohannis Diaconi Bibliothecarij VIII. Kal. Iunij, Indictione VIII. incarnationis dominicæ anno MCXV.

CHARTA DE CONTROVERSIA & de bello quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope Peregrinam.

TEmpore quo Girardus Abbas monasterio sancti Albini præerat, quidam homo, Girandus de Blancofurno dictus, & Hubertus filius ejus, cum reliqua parentela sua, in quandam terram sancti Albini calumniam miserunt quæ dicitur Croiacus, & est juxta Peregrinam. Hoc idem se fecisse dicebant temporibus aliorum Abbatum. Et cùm Abba Giraudus calumniam eorum sedare nequivisset, habuit placitum cum eis apud Peregrinam; in quo hujusmodi narrationem fecit Giraudus. Matri meæ duæ sorores fuerunt: quarum una, cui nomen erat Amelina, sicut mulier lasciva, cujusdam servi sancti Al- Circa an. 1096.

bini, cui nomen erat Otgerius, concubina devenit. Quo facto, parentes ejus cœperunt mortem Otgerio minitari, nisi eam duceret in uxorem; sed cùm minas eorum sperneret, & hoc de anno in annum facere differret, dederunt ei terram supradictam cum Amelina in matrimonium; & ob hoc fecit eam sibi uxorem. Modò verò, quia nullus est de genere Amelinæ aut Otgerij qui terram illam habeat, reclamamus eam; quia de nobis movit, & ad nos reverti debet. Finita itaque ista narratione, venit in medium quædam mulier bonum testimonium habens, quæ istam narrationem ostendit esse falsam, dicens. Terra de qua sermo est, sancti Albini erat antequam Otgerius Amelinam duxisset in uxorem; nec eam Otgerius accepit in matrimonium cum Amelina. Hoc quod dico vidi, & inde testis sum. Sed cùm Giraudus verbis ejus fortiter resisteret, monachi verba mulieris vera esse cognoscentes, ceperunt bellum contra Giraudum & Hubertum. Determinato itaque loco ubi bellum fieret, curia scilicet sancti Petri Burgulienſis, convenerunt utrinque, Raherius scilicet cum suis, qui erat dominus Giraudi & Huberti, & Girardus Abbas sancti Albini cum suis. Iuratis igitur ut fieri solet sacramentis, campiones invicem pugnare cœperunt. Et cùm aliquandiu pugna durasset, videntes Giraudus & Hubertus quòd campion suus non bene se haberet, dimiserunt calumniam, & terram, pro qua bellum erat, solidam & quietam monachis clamaverunt. Devenit autem Giraudus ibi frater Abbatis sancti Albini & monachorum. Dedit etiam illi Abbas Burgulienſis beneficium monasterij sui, pro amore Girardi Abbatis & ejus monachorum. Custodes belli & testes dimissæ calumniæ sunt isti. Abbas Batoricus, cum monachis & burgensibus suis, Marbodus Archidiaconus, & quidam ejus Clericus nomine Hubertus,

Achariat

Atharias filius Vitalis parchaminarij, Haimericus de Berneziaco, Rainaldus Vicarius, Rainaldus Porcellus, Alerius Præpositus de Lavigais; de hominibus sancti Albini, Aldulfus Præpositus, Haimmarus Malspetit, Vvalterius Bornus, Rotbertus de Trevin, Arnaldus Brion, Firmatus, & alij plures, quorum nomina longum est hic scribere; de parte Giraudi, Hubertus filius ejus, Odo de Iantret, Hildinus de Reliaco, Adraldus de Balgentiaco, Goscelinus li Canpions.

PRIVILEGIVM VRBANI Papæ II. de Ecclesia Gratianopolitana.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo fratri Hugoni Gratianopolitano Episcopo ejusque legitimis successoribus in perpetuum. Potestatem ligandi atque solvendi in cælis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Ipsi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Domino auctore præstatur, cùm ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua Petre. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licèt indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Tuis igitur, dilectissime in Christo frater Hugo Gratianopolitane Episcope, justis petitionibus annuen-

tes, tibi tuisque legitimis successoribus Gratianopolitanum episcopatum regendum, disponendum, & jure perpetuo possidendum præsentis decreti pagina confirmamus, salva in omnibus Romanæ Ecclesiæ auctoritate. Constituimus ergo ne ulli omnino hominum qualibet subreptionis astutia liceat vestri episcopatus possessiones invadere, minuere, vel auferre, aut episcopatus vestri decimas sine vestra concessione subripere aut subreptas tenere, neque vestri juris Ecclesias per manum laicam obtinere; sed omnia quæ justè hactenus vestra possedit Ecclesia, sive in futurum Domino adjuvante justè atque canonicè poterit adipisci, in tua tuorumque successorum manu integra semper & illibata permaneant. Præterea Ecclesiam sancti Donati in archiepiscopatu Viennensi sitam, quam à tyrannica potestate auctoritate episcopali adjuvante Domino extorsisti, tibi tuisque successoribus regendam, disponendam, ac jure perpetuo possidendam hujus auctoritate privilegij confirmamus, constituentes ne ulli successorum tuorum liceat eandem Ecclesiam alicui personæ vel Ecclesiæ gratis pretiove concedere, sed semper incommutabiliter cum omnibus ad ipsam pertinentibus in Gratianopolitani Episcopi potestate & possessione permaneat. Quia verò perversa quorundam præsumptio inolevit ut defunctis Episcopis res ecclesiasticæ pervadantur, auctoritate apostolica prohibemus ut cùm vitæ tuæ tuorumve successorum terminus contigerit, Ecclesiæ vestræ res & possessiones diripere nemo præsumat, sed cuncta libera & inconcussa in Canonicorum potestate persistant, illi ex integro conservanda qui eis canonicè Episcopus ordinabitur. Portò sanctorum canonum decreta ubique inviolabiliter conservari cupientes, constituimus atque censemus ut interdictos à vobis aut excommunicatos in communionem recipere aut mortuos sepulturæ tradere

nemo præsumat. Vestra sanè, carissime frater, intentio erit gregi commisso curam vigilanter impendere & Romanæ Ecclesiæ decreta inviolabiliter observare; quatenus multiplicato laborum fructu, ad vitam valeatis perpetuam pervenire. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, aut judex, aut persona quælibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus nostri privilegij paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertióve commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, à Christi Ecclesia eum auctoritate potestatis apostolicæ segregamus. Conservantibus autem pax à Deo, misericordia præsentibus ac futuris seculis conservetur. Amen, Amen, Amen. Scriptum per manum Gregorij Scriniarij atque Notarij sacri palatij. Datum Romæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis millesimo x c i. Indictione XIII. pontificatus domni Vrbani Papæ II. anno III. die Kalend. Aprilis.

EPISTOLA VRBANI II. PAPÆ ad Petrum Præpositum & Canonicos Ecclesiæ Ruthenensis.

VRbanus Episcopus servus servorum Dei Petro Præposito & ejus fratribus in Ecclesia Ruthenensi canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, ô filij carissimi, per divinam gratiam aspirati, mores ve- An. 1093.

stros sub regularis vitæ disciplina coërcere & communiter secundùm sanctorum patrum institutionem omnipotenti Domino deservire proposuistis, nos votis vestris paterno congratulamur affectu. Vnde etiam petitioni vestræ benignitate debita impertimur assensum. Vitæ namque canonicæ ordinem, quem professi estis, præsentis privilegij auctoritate firmamus; & ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine Præpositi vel congregationis licentia de claustro discedere liceat, interdicimus. Quòd si discesserit, & commonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus facultas sit ejusmodi ubilibet à suis officiis interdicere; interdictum verò nullus Episcoporum Abbatumve suscipiat, quandiu scilicet illic canonici ordinis tenor Domino præstante viguerit. Vobis itaque vestrisque successoribus in eadem religione permansuris ea omnia perpetuò possidenda sancimus quæ in præsentiarum pro communis victus sustentatione possidere videmini, Ecclesiam videlicet sancti Salvatoris de Veirieiras, & Ecclesiam sancti Petri de Colnac, & Ecclesiam sancti Geraldi de Salas, universas præterea paratas sive symbolas, quas synodos vocant, tam Ecclesiarum jam dictarum quàm ex ceteris Ecclesiis quas Ruthenensis Ecclesiæ Antistites, Petrus quondam Berengarij, Poncius Stephani, Raimundus Frotardi, & Ademarus, qui in præsentiarum eidem Ruthenensi Ecclesiæ præsidet, vobis in sumptus vestium concesserunt. Præposituram quoque dignariam Ruthenensis parrochiæ, archidiaconiam, oblationes quoque vestræ matricis Ecclesiæ, quas dono præfati Ademari confratris nostri & coëpiscopi possidetis, vestræ communitatis usibus confirmamus, & quodcunque deinceps vos aut successores vestri concessione Pontificum aut liberalitate Principum vel oblatione fidelium justè atque

canonicè poteritis adipiſci. Vt autem omnipotenti Deo quietiùs deſervire & canonici ordinis diſciplinam diſtrictiùs obſervare poſſitis, cimiterium vobis apud matrem Eccleſiam, ubi communiter vivitis, juxta præfati fratris noſtri Ademari veſtri Epiſcopi petitionem habere concedimus, in quo fratrum veſtrorum ſive parrochianorum, quibus viventibus myſteria divina miniſtratis, deficientium corpora tumulentur. Si qua ſanè eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertióve commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Petri Notarij regionarij ſacri palatij. Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Iohannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis II. Idus Maij, Indictione VII. incarnationis dominicæ anno MXCIX. pontificatus autem Domini Vrbani Papæ ſecundi duodecimo.

PASCHALIS II. PAPÆ *epistola ad Clericos Ecclesiæ Parisiensis, qua eis commendat eorum Episcopum Galonem.*

Anno 1105. PAschalis Episcopus servus servorum dilectis filiis Parisiensis Ecclesiæ Clericis salutem & apostolicam benedictionem. Et nobis & vobis gaudendum est, quia post multa quæ vestræ Ecclesiæ contigerunt adversa, Dei vos misericordia respexit. Personam siquidem idoneam & sacris canonibus congruentem ad vestræ Ecclesiæ gubernationem sua vobis benignitate concessit. Ipsum igitur ad vos redeuntem litterarum commendatione prosequimur, rogantes ut eum plena affectione diligatis, plena humilitate veneremini. Confidimus enim eum disciplinæ ecclesiasticæ futurum esse custodem & salutis vestræ sollicitum provisorem. Huic sedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœlestem. Hunc ad recuperenda Ecclesiæ bona, quæ prædecessorum illius tempore tam in personis quàm in prædiis distracta dicuntur, communibus adjuvate præsidiis. Ad quam causam annuente Domino strenuè peragendam nostræ auctoritatis ei vicem concessimus; quatenus si Episcopi, aut quorum parrochiani bona ipsa diripiunt, aut quorum in parrochiis bona eadem habentur, aut nolunt aut desides sunt Ecclesiæ vestræ justitiam facere, ipse vel interdicendi vel excommunicandi eos, nisi satisfecerint, habeat facultatem. Illud sanè quòd apud quosdam Clericorum fieri audivimus, ut videlicet majores præbendarij à minoribus hominia suscipiant, & hunc cohibendum præcipimus, & litteris præsentibus ne fiat ulteriùs interdicimus. In hujusmodi siquidem conciliatione & notatur ambitio, & gravius vide-

tur Ecclesiæ scandalum generari. De cœnobio sancti Eligij quid agendum sit, ejus provisioni commisimus. Dicitur enim & loco importunissimo situm, & inhabitantium desidia tam infamiæ quàm ærumnæ vehementer expositum. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis.

Vir clarissimus Lucas Dacherius edidit in tomo III. Spicilegij pag. 126. litteras Paschalis II. ad Daimbertum Archiepiscopum Senonensem, quibus ei commendat Episcopum Parisiensem noviter à se consecratum. Putavit ille intelligenda hæc esse de Fulcone. Verùm ex epistolis 144. & 146. Ivonis Episcopi Carnotensis, tum etiam ex ea Paschalis epistola quam nos heic edidimus, in qua agitur de monasterio sancti Eligij, manifestum est & illam Dacherij & nostram explicandas esse de Galone Episcopo Parisiensi.

PASCHALIS II. EPISTOLA de monasterio Semichensi in Hungaria, ad Hugonem Abbatem monasterij sancti Ægidij in Septimania.

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Hugoni Abbati monasterij sancti Ægidij quod in valle Flaviana situm est ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Latislavus siquidem bonæ memoriæ Hungarorum Rex ad honorem Dei & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in memoriam sancti confessoris Ægidij Semichensem fundavit Ecclesiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriæ prædecessoris vestri monasterio beati Ægidij, cui auctore Deo præsides, obtulit; ubi & ejus corpus venerabile requiescit. An. 1106.

Hanc nimirum oblationem pro animarum salute perpetratam nos largiente Deo apostolicæ sedis auctoritate firmamus, cui vestrum Flavianæ vallis cœnobium ab eodem sancto Ægidio in * salarium datum agnoscitur. Igitur supradicti Regis deliberationem præsenti decreto sancimus, ut quicunque Semichensis Abbas fuerit, Abbati monasterij vestri, quod in valle Flaviana à sancto Ægidio constructum diximus, obedientiam profiteatur & perseveranter observet, negotia quæ monasterio acciderint, Regis consilio terminentur, & nullus præter Regem super res Ecclesiæ judicare præsumat. Porrò monasterij Ecclesia cum atrio suo ea semper libertate potiatur ut illic refugientes nullum personarum sive rerum præjudicium patiantur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia quæ ab eodem Latislavo Rege vel aliis fidelibus de jure proprio data sunt, aut in futurum Domino largiente illic dari contigerit, firma semper & integra conserventur, salva canonica reverentia diocesani Episcopi, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito vel Semichensem cellam à vestri monasterij subjectione subtrahere, vel eandem cellam bonis suis temerè privare tentaverit, secundò tertiòve commonitus si non satisfactione congrua præsumptionem illicitam emendare curaverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu alienus existat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem hæc statuta servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

* alodium

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Bruno Signinus Episcopus.
Ego Landulfus Cardinalis Presbyter.

Datum Parmæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij quarto nonas Novembris, Indictione quinta decima, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ octavo.

LVDOVICI VI. FRANCORVM Regis præceptum de libertate testandi & bellandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis.

LVdovicus Dei gratia Francorum Rex omnibus Christi fidelibus. Cùm juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio Ecclesiarum defensioni & honori plurimùm vacare debeat, operæ pretium est eos quibus tanta permissa est à Deo potestas, earum tranquillitati & paci attentiori sollicitudinis cura providere & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, Ecclesias & earum res quodam honoris privilegio decorare, ut in bonis actibus & regium morem exerceant, & supernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes quia sanctæ Parisiensis Ecclesiæ conventus nostræ serenitatis præsentiam adierit, conquerendo ostendens & ostendendo conquerens quatinus servi præfatæ Ecclesiæ secularibus personis tanto contemptui habebantur quòd in forensibus & civilibus causis vel placitis adversùs liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia secularibus servis ferè in nullo præferebantur; unde

An. 1109. Simileslitteræ pro Ecclesia Carnot. extant in tomo XIII. Spicileg. Dacher. pag. 309.

res ecclesiastica, ob tanti scilicet dedecoris opprobrium, non solummodò vilescebat, sed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita verò Ecclesiæ querela, motus tam ratione quàm dilectione, necessarium duxi à Parisiensi Ecclesia nobis quidem inter alias familiarissima tantum scandalum omnino removere & regiam sedem regio beneficio sublimare. Ego igitur Ludovicus Dei clementia Francorum Rex, communi quidem Episcoporum ac procerum nostrorum consilio & assensu, regiæ auctoritatis decreto instituo & decerno ut servi sanctæ Parisiensis Ecclesiæ, illi scilicet qui propriè ad Canonicos pertinent, adversùs omnes homines tam liberos quàm servos in omnibus causis, placitis, & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam, & nemo unquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare præsumat calumniam. Hac autem ratione licentiam testificandi ea quæ viderint & audierint eis concedimus quòd si aliquis liber homo in eadem causa de falso testimonio illos contradicere & comprobare voluerit, aut suam comprobationem duello perfeciat, aut eorum sacramentum sine ulla contradictione recipiens, illorum testimonio acquiescat. Quòd si aliquis temeraria præsumptione illorum testimonium in aliquo refutaverit aut calumniaverit, non solùm regiæ auctoritatis & publicæ institutionis reus existat, sed querelam negotij sui vel placiti irrecuperabiliter amittat, ita scilicet ut præsumptuosus calumniator de querela sua, si quærat ulteriùs, non audiatur, & si aliquid ab eo quæratur, alterius querelæ reus & convictus omnino habeatur. Aliud etiam statuimus, ut prædictus calumniator, nisi de tanta calumniæ culpa Parisiensi Ecclesiæ satisfecerit, excommunicationis mucrone feriatur, & ad testimonium faciendum interea non

admittatur. Vt autem hoc noſtræ inſtitutionis edictum perpetuæ firmitatis privilegio muniatur, præſentem chartam fieri præcepimus, quæ noſtræ auctoritatis effectum poſterorum memoriæ tradat, & totius retractationis occaſionem in perpetuum excludat. Ad hæc etiam in teſtimonium veritatis nomina Epiſcoporum, Comitum, ac procerum noſtrorum, qui huic chartæ aſſenſum præbuerunt, inſcribi juſtum decrevimus; & ad extremum, ſigillo noſtræ imaginis ipſam chartam ſignavimus, & charactere noſtri nominis corroboravimus. Aſtantibus de palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Anſelli de Garlanda tunc temporis Dapiferi noſtri. Signum Hugonis cognomine ſtrabonis, tunc temporis Conſtabularij noſtri. Signum Guidonis filij Guidonis de Turre, tunc temporis Buticularij noſtri. Signum Guidonis Camerarij noſtri. Signum Galonis Pariſienſis Epiſcopi. Signum Ivonis Carnotenſis Epiſcopi. Signum Iohannis Aurelianenſis Epiſcopi. Signum Manaſſe Meldenſis Epiſcopi. Signum Odonis Comitis de Corbolio. Signum Matthæi Comitis de Bellomonte. Signum Ludovici Regis. Actum publicè Pariſius regio palatio anno ab incarnatione Domini MCIX. Indictione I. anno regni noſtri primo. Stephanus Cancellarius relegendo ſubſcripſit.

PASCHALIS II. PAPÆ epistola qua pondus apostolicæ auctoritatis addit superioribus Ludovici litteris.

An. 1113. PAschalis Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Galoni & Capitulo Parisiensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Sicut ex relatione vestra & exlitteris regiis intelleximus, Parisiensis Ecclesia magnum hactenus rerum suarum patiebatur incommodum, pro eo quòd ipsius Ecclesiæ famuli, qui apud vos servi vulgò impropriè nuncupantur, in forensibus & civilibus causis vel placitis adversùs liberos homines nullatenus admitterentur in testimonium. Cui rei dilectus filius noster Ludovicus Francorum Rex pro utilitate ecclesiasticæ in consulendum arbitratus est ut Episcoporum ac procerum consilio & assensu institueret Parisiensis Ecclesiæ famulos in omnibus causis, placitis, & negotiis adversùs omnes homines tam liberos quàm servos liberam & perfectam habere testificandi & bellandi licentiam, ita ut nemo eorum testimonio pro ecclesiasticæ servitutis occasione calumniam inferat. Nos itaque petitionem vestram rationabilem perpendentes, id ipsum pro ecclesiasticæ utilitatis & justitiæ intuitu decreti nostri assertione firmamus. Neque enim æquum est ecclesiasticam familiam iisdem conditionibus coërceri quibus servi secularium hominum coërcentur. Sicut igitur prænominatus Francorum Rex regia benignitate instituit, ita nos Ecclesiæ vestræ familiam, quæ sub Episcopi seu Canonicorum jure consistit, hac nostræ auctoritatis concessione donamus ut in forensibus & civilibus causis vel placitis adversùs quaslibet seculares personas in

testimonium efficaciter admittatur, nec propter ecclesiasticæ clientelæ obnoxietatem, si alia non impediunt, eorum testimonium refutetur.

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Datum Beneventi per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij IX. Kalendas Februarij, Indictione sexta, incarnationis dominicæ anno * MCXIV. pontificatus autem Domni Paschalis secundi Papæ anno XIV. * MCXIII.

EIVSDEM PASCHALIS epistola ad Iohannem Priorem Ecclesiæ beati Petri de Valeriis in Septimania.

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Iohanni Priori Ecclesiæ beati Petri de Valeriis ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maximè quæ sedi eidem tamquam jure proprio subjectæ sunt, quieti auxiliante Domino providere. Eapropter, fili carissime Iohannes, petitionibus tuis non immeritò duximus annuendum, ut Ecclesiam sancti Petri de Valeriis, cui per nostram institutionem Deo auctore præsides, apostolicæ sedis privilegio muniremus. Is siquidem locus, licèt incultus ac solitarius, cùm ex traditione veteri beati Petri nomine haberetur insignis, à possessoribus loci, dominis videlicet Rainardo Amati & filiis ejus Bernardo & Ermengaudo, per manus Framaldi apostolicæ Ecclesiæ Presbyteri in jus ac possessionem sedis apostolicæ traditus est, ac deinceps multorum fidelium collationibus ampliatus. Ipsum itaque lo- Anno 1114.

cum ab omnium mortalium potestate, invasione, oppressione, ac gravamine liberum semper manere decernimus, sicut in præsenti octava Indictione sic finibus ambitur, scilicet ab ipso colle super Guaidam inde super Montem Rotundum, & super initium vallis leporariæ, inde ad alodium de Bochet, usque ad ipsum Portellum, inde ad Pettusatas & a Guaitam, & super Embriciatas, & super campum Ardonis & super Malam Celatam usque ad mare. Quicquid itaque infra hos fines continetur, cultum sive incultum, sive pascua, piscariæ, stagna, salinæ, cum decimis & primiciis seu aliis pertinentiis suis, totum integrum ac illibatum in usus præfatæ Ecclesiæ beati Petri ac servorum Dei ibidem degentium conservetur. Quicquid præterea in præsenti octava Indictione eadem Ecclesia legitimè possidet, vel in futurum largiente Deo, concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè atque canonicè poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Laicos sanè seu Clericos seculariter viventes ad conversionem susscipere nullius Episcopi vel Præpositi contradictio vos inhibeat. Sepulturam verò ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Ad hæc adicimus ut nulli Episcoporum facultas sit locum ipsum interdictioni vel excommunicationi subicere vel aliquos ab ejus officiis & oblationibus prohibere, ut fratres iidem Romanæ libertatis gratia potientes omnipotentis Dei servitiis licentiùs vacare prævaleant. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes Clericorum qui ad sacros sunt ordines promovendi, ab Episcopo in cujus dioceſi estis accipietis; si quidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis ha-

buerit, & si ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem & ab eo consecrationum sacramenta suscipere; qui apostolicæ sedis fultus auctoritate quæ postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temeratiis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Ad indicium autem perceptæ à Romana Ecclesia libertatis solidos quinque denariorum Lucensium quot annis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet secularisve persona, hanc nostræ combitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij quarto nonas Decembris, Indictione octava, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo decimo quarto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ decimo sexto.

CALLISTI II. PAPÆ *epistola ad Berengarium Abbatem monasterij Crassensis in Septimania.*

Anno 1119.

CAlixtus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Berengario Crassensis monasterij Abbati salutem & apostolicam benedictionem. Et justitiæ ratio & rationis ordo nos admonet & compellit Ecclesiarum destitutioni paterna sollicitudine providere, illarum maximè quæ specialiter ad sedem videntur apostolicam pertinere. Siquidem beati Petri de Valeriis Ecclesia, quæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ juris est, interiùs exteriùsque attrita & tam in spiritualibus quam etiam in temporalibus plurimùm diminuta est. Eapropter nos eidem loco affectione debita providentes, tibi, dilecte in Christo fili Berengari Abbas, tuisque successoribus sub censu annuo duorum aureorum regendum disponendumque committimus cum omnibus ad ipsum pertinentibus & cum omni libertate atque immunitate quam ei Dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa per privilegij sui paginam concessisse dinoscitur, quandiu videlicet vos apostolicæ sedis communionem & gratiam habueritis & in monasterio vestro monastici ordinis disciplina Domino præstante viguerit. Confidimus enim de omnipotentis Dei misericordia & religione vestra quia per industriam vestram locus ille in religionis statum reductus & in temporalibus etiam debeat per Dei gratiam augmentari. Vestra igitur interest & in Romanæ deinceps Ecclesiæ obedientia & servitio devotiùs & benixiùs permanere & de loci ipsius incremento ita sollicitudinem gerere ut largiente Deo hac semper habeamini

habeamini gratia digniores. Si qua sanè persona temerè, quod absit, nostræ huic commissioni obviare tentaverit, honoris & officij sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Ego Calixtus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Iohannes Presbyter Cardinalis de Titulo sancti Grisogoni.

Ego Petrus Diaconus Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani.

Datum apud sanctum Theodardum per manum Grisogoni sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij XIII. Kalendas Augusti, Indictione XII. dominicæ incarnationis anno MCXIX. pontificatus autem Domini Calixti secundi Papæ anno primo.

EIVSDEM EPISTOLA *ad illustrem feminam Iussolinam & filios ejus, ejusdem argumenti cum superiore.*

CAlixtus Episcopus servus servorum Dei dilectæ filiæ Iussolinæ illustri feminæ & filiis ejus Petro Sicardi & Rainardo de Perignano salutem & apostolicam benedictionem. Gratias omnipotenti Deo & nobilitati vestræ referimus quòd beati Petri de Valeriis Ecclesiam, quæ Romanæ Ecclesiæ juris est, tamquam boni patroni & juvistis hactenus & fovistis. Rogamus autem ut id ipsum deinceps meliùs per Dei gratiam faciatis. Nos enim destructioni ejusdem loci affectione debita condolentes, eum dilecto filio nostro Berengario Crassensi Abbati & successoribus ejus regendum disponendumque commisimus cum omnibus honoribus & possessionibus suis Anno 1119.

& cum omni libertate & immunitate, ſicut in Domini prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Paſchalis Papæ privilegio continetur. Confidimus enim de omnipotentis Dei miſericordia quia per ejus induſtriam locus idem tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus etiam poterit reſtaurari. Iterum ergo dilectionem veſtram rogamus, & vobis in peccatorum veſtrorum remiſſionem injungimus, ut ſecundùm datam divinitus facultatem prædictam Eccleſiam juvare ampliùs & ſuſtentare curetis. Si quis autem adversùs hanc commiſſionem noſtram agere tentaverit, vos eundem locum protectionis veſtræ auxilio defendatis. Omnipotens Dominus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli precibus vos, quæ ei placita ſunt operantes, ab omnibus peccatis abſolvat, & ad vitam perducat æternam. Amen. Datum apud ſanctum Teudardum XIII. Kalendas Auguſti, Indictione XII.

EIVSDEM CALLISTI BVLLA de privilegiis monaſterij ſanctæ Mariæ Ioſaphat in diœceſi Carnotenſi.

Anno 1119.

CAlixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Girardo Abbati monaſterij ſanctæ Mariæ Ioſaphat juxta Leugas in Carnotenſi videlicet parrochia ſiti, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Proinde nos, dilecte in Chriſto fili Giralde Abbas, tam tuis quàm venerabilis fratris noſtri Gaufridi Carnotenſis Epiſcopi petitionibus annuentes, beatæ Mariæ monaſterium, cui Deo auctore præſides, in apoſtolicæ

sedis tutelam excipimus, & contra pravorum hominum nequitiam auctoritatis nostræ privilegio communimus. Statuimus enim ut quæcunque bona, quascunque possessiones idem cœnobium in præsenti legitimè possidet, sive in futurum largiente Deo justè ac canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illabata permaneant. Ecclesiam scilicet sancti Martini de Operatorio, & Ecclesiam sancti Arnulfi, cum decimis & terra quam dedit Goslenus de Leugis. Nulli ergo omnino hominum liceat idem monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva nimirum Carnotensis Episcopi canonica reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Calixtus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Remis per manum Grisogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij, Kal. Novembris, Indictione XII. incarnationis dominicæ anno MCXIX. pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ anno primo.

EIVSDEM EPISTOLA ad Marbodum Episcopum Redonensem.

An. 1120. CAlixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Marbodo Redonensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Prudentiæ tuæ gratias agimus quòd datam super Abbatem sancti Melanij & monachos pro contumacia sua excommunicationis sententiam firmiter hactenus observasti. Rogamus autem & præcipimus ut & deinceps id ipsum facias, donec Canonicis secundùm mandatum nostrum plenariè revestitis, Abbas ipse cum monachis & cum Canonicorum testificatione ad nos veniat, & de contemptu nostro Ecclesiæ judicio satisfaciat. Data Viennæ Nonis Februarij.

EIVSDEM CALLISTI PAPÆ epistola ad Girbertum Episcopum & Canonicos Parisienses.

An. 1123. CAlixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Girberto Episcopo & Canonicis Parisiensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ administrationis debito provocamur suam Ecclesiis dignitatem & justitiam conservare. Quapropter vestram matricem beatæ Mariæ Ecclesiam in suæ dignitatis statu volumus per Dei gratiam permanere. Pro præsentis scripti stabilitate statuimus ut omnes & Clerici & Abbates ad sedem Parisiensem pertinentes tibi, carissime frater Girberte Episcope, & successoribus tuis debitam obedientiam & reverentiam semper exhibeant. Illud

etiam juxta sanctorum canonum censuram decernimus, ut si aliquis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus ad episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est privetur Ecclesiæ canonica.

Datum Laterani V. Kalendas Aprilis, Indictione prima.

OLLEGARII ARCHIEPISCOPI Tarraconensis epistola ad Raimundum Episcopum Ausonensem suffraganeum suum, qua ejus consultationi respondet.

OLlegarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus venerabili fratri Raimundo Ausonensi Episcopo salutem. De juvene illo super quo me consuluistis ut vobis consulerem, qui puer puerum ludens ludentem impedivit ad casum quòd caput frangeretur, hoc nobis respondendum videtur. Quoniam ille vulneratus postmodum, ut fertis, convaluit, & post dies non multos in langorem recidens, defunctus est, rem quidem dubiam certa determinare sententia minimè possumus. Ambiguum namque videtur utrum ex occasione vulneris, aut ex incuria, aut ex alio aliquo, ut assolet, accidenti recidivus eum langor oppresserit. Verùm quoniam beati Augustini & aliorum doctorum consilia nos edoceant talia incerta in meliorem semper partem interpretari debere, de confidentia Dei, cujus misericordia melior est super vitas, præsumentes, hunc bonæ indolis juvenem laudamus in Ecclesia Dei ad minores gradus posse provehi. Si verò laudabilis vita & honesta morum conversatio cum ætate proficiens ipsum canonico tempore acceptabilem com- Circa an. 112.

mendaverit, ſacros nihilominus gradus mediante Dei gratia ſortiri poterit.

Ollegarius Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Raimundus Dei gratia Auſonenſis Epiſcopus.

Similes puerorum ludentium hiſtorias vide apud Gratianum diſt. 50. cap. 37. Clerico. *in prima collectione Decretalium Innocentij III. compoſita à Raynerio monacho Pompoſiano tit. 34. & in tertia collectione cap. 5. De homicidio.*

INNOCENTII II. PAPÆ epiſtola ad Vlgerium Epiſcopum Andegavenſem, de confirmatione poſſeſſionum & privilegiorum Eccleſiæ Andegavenſis.

Anno 1131. INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Vlgerio Andegavenſi Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum. In eminenti apoſtolicæ ſedis ſpecula diſponente Domino conſtituti, ex injuncto nobis à Deo apoſtolatus officio religioſos viros debemus diligere & eorum loca ſanctæ Romanæ Eccleſiæ munimine defenſare. Æquum etenim ac rationabile eſt ut quos erga beatum Petrum & nos ipſos in opportunitatibus fideles & devotos eſſe cognoſcimus, eos & à pravorum hominum nequitia tueamur & in ſuis petitionibus clementer exaudire curemus. Proinde, venerabilis frater Vlgeri Epiſcope, vir ſiquidem prudens ac religionis amator, tuis juſtis poſtulationibus aſſenſum præbentes, Andegavenſem Eccleſiam, cui Deo auctore præeſſe dinoſceris, præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes ut quæcunque poſſeſſiones quæcunque bona in præſentiarum ad eandem Eccleſiam juſtè & canonicè pertine-

re noſcuntur, aut in futurum largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis auxiliante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis nominibus annotanda ſubjunximus. Eccleſiam videlicet beati Iohannis Baptiſtæ quæ in Andegavis civitatis ſuburbio ſita eſt, quam nimirum illuſtris vir Gaufridus Comes junior tibi reddidit, ut videlicet tam tu quàm ſucceſſores tui jus pleniſſimum dominij & Abbatis ſtatuendi in ea Canonicos, & tam in præbendis quàm in aliis omnibus rebus ad ipſam pertinentibus diſponendi facultatem liberam habeatis. Prohibemus autem ne quis præbendam aut decanatum ipſius Eccleſiæ, uſque dum perſona de medio ſublata fuerit, donet alicui vel promittat. Deteſtabiles verò illas & homicidij reas expectationes & ſucceſſiones damnamus, nec quælibet perſona tale donum vel promiſſum ſuſcipere vel Capitulum concedere audeat. Hoc quoque penitùs admonemus, ne quiſquam laicus jus aliquod in eadem Eccleſia vel in aliqua ipſius Eccleſiæ præbenda præſumat expetere vel aliquid reddituum ejus expetere. Porrò Eccleſias & villas Chureij & Solonæ cum omnibus ſuis appendiciis, quemadmodum à nobili viro Roberto de Buſenciaco tibi & Eccleſiæ tuæ ſunt traditæ ac conceſſæ, apoſtolica auctoritate firmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat prædictam Eccleſiam temerè perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita ſi non ſatisfactione congrua emendave-

rit, poteſtatis honoriſque dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini redemptoris Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatinus fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS. Datum Remis per manum Haymirici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij IV. Kal. Novembris, Indictione X. incarnationis dominicæ anno MCXXXI. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ ſecundi anno ſecundo.

VLGERII EPISCOPI ANDEgavenſis relatio ad Innocentium II. Papam pro monaſterio Rotenſi adversùs monachos Vindocinenſes.

VNice Pater orbis & Domine. Caritas & pietas non impellunt ut reſpondeamus pro Iohanne paupere & pro loco ſuo pauperrimo, quos Vindocinenſis Abbas & monachi aptitudine ſuæ affinitatis & mole facultatum ſuarum, quas ipſi habent nimias, moliuntur ſuffocare, Domine mi Papa Innocenti. Cùm pauper iſte tandem ad nos defeſſis alis pervenerit, nullum præmiſit, nullum ſecum adduxit, nullum qui ſequeretur ex condicto expectat vel expectavit. Solus eſt, impotens & pauper eſt. Solus à multis impetitur; impotens à potentibus, pauper à divitibus circumdatur. Anxiatus eſt in eo ſpiritus ejus. Ideo ſuccurrere ei deſidero; quia non

est liberi nec Christiani hominis, non subvenire oppresso. Iste quidem servus vester & fidelis pro posse suo, Canonicus est regularis Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bosco, quæ inter sanctas habetur sanctissima, sed inter pauperes cognoscitur esse pauperrima. Hinc, inquam, pauper filius ejus, pro paupere matre statim pugnaturus, orat & supplicat pedibus majestatis vestræ, & nos cum illo & pro illo oramus & supplicamus quatinus aures capitis vestri & cordis dignemini convertere ad responsa suæ defensionis. Neque enim est nobis animus serenitatem & reverentiam vestræ gravitatis otiosis sermonibus detinere. Tullio & Tullianis sit sua rhetorica. Sed puram veritatem, quæ eum liberabit, & ea tantùm quæ sibi ad hoc negotium sint necessaria, simpliciter & succinctè vobis & curiæ vestræ præsenti proposuimus intimare.

II. Nobilis quidam de nostratibus ædificavit duas Ecclesias, unam in abbatiam regularium Canonicorum, qui ex tunc in ea usque modò devotissimè Deo deservierunt; alteram verò in Capellam & in oratorium sibi & suæ propriæ familiæ construxit. Et hanc ipsam inter ædificandum dicitur, & recognoscitur ab adversario, illi regulari Ecclesiæ, de qua antè diximus, contulisse. Hæc autem Capella nihil omnino de reditu juris parrochialis possidebat. Sed permittentibus illis regularibus Canonicis quos jam commemoravimus, ille idem Dominus Capellanos suos, quos feodatos habebat & habuerat jam antea multo tempore, assignavit ei, ut inibi more canonico celebrarent divinum officium in honorem Dei & piissimi Nicolai: quorum possessiones erant in censivis, in agricturis, in vendis forensibus, in furnis, in molendinis, & in his quæ fuerant excerpta de dominicatura & de mensa ipsius Domini; quæ licenter posset dedisse alicui suorum Militi sive clienti, si placuisset, aut

Vide infrà pag. 214.

mimo, aut histrioni, si leviter agere voluisset.

Postmodum verò filius filij illius intelligens illam regularem Ecclesiam plus nimis indigere, quia sita est in terra sterili, in locis paluſtribus atque silvestribus, unde ipsa Ecclesia de Bosco nominatur, ad perficiendum hoc quod suus anteceſſor inceperat animum intendit, & ad supplementum inopiæ victus & vestitus pauperum fratrum, Capellam quam sæpe replicamus cum tota capellania jam multotiens nominatæ abbatiæ dedit. Verùm ut hoc suum desiderium recto itinere incederet & debito ordine cederet, quicquid dominationis, quicquid poteſtatis in eam habuit, totum id penitùs refutavit & posuit in manu Domini mei Rainaldi venerabilis antè Andegavensis Episcopi & modò Remensis Archiepiscopi, affectuosè depoſcens quatinus hoc suum depositum illi regulari monasterio quod multotiens revoluimus tam redderet quàm donaret.

III. Sanè Dominus meus ille Episcopus, valde congratulatus antè de tanto incremento illius indigentis Ecclesiæ, sicut suscepit de manu illius nobilis, sic investivit illam pauperem abbatiolam de ista Capella in manibus Albini Abbatis, tradendo ei claves illius Capellæ, tradendo ei cordas signorum ejus, necnon & chartam constitutionis ejusdem, insuper & libros, & si qua sunt alia. Hoc autem conceſſerunt Capellani servitio ipsius Capellæ attitulati, & se ipsos & suas capellanias, sive mavis dicere præbendas, in manu Abbatis & dispositione ejus reddiderunt. Hoc conceſſit Archipresbyter loci illius Rainaldus, & noster Decanus Normannus, & nostrum Capitulum, quorum illa Capella censualis erat. Et hoc conceſſi ego Vlgerius, qui eo tempore indignus administrabam officium archidiaconatus, hac conditione, ut numerus servientium non diminueretur.

Vide infrà pag. 212.

IV. Et ut hoc totum opus perfectiſſimam consum-

mationem sortiretur, ipsum Abbatem Albinum destinavit idem Dominus meus Episcopus ad Dominum nostrum Papam benedictum Paschalem, orans & supplicans ei ut dexteram dignationis suæ huic eleemosynæ imponeret, & hanc Capellam illi abbatiæ, de qua nobis est sermo, daret & concederet & apostolica auctoritate confirmaret. Qui de more suæ benignitatis tam dignis petitionibus, tam justis precibus inclinatus, rogata concessit, & per apostolica scripta, quæ gratissima nobis in medium attulimus, & vobis, videte videte illa, ostendimus & offerimus, hanc Capellam illi abbatiæ confirmavit, & Albinum & socios ejus satis & super satis lætos, lætissima sit anima ejus, ad propria remisit.

Vide infrà pag. 213.

V. Ex illa autem die Abbas sanctæ Mariæ de Bosco tenuit illam Capellam, non ut in suam, sed verè suam, & habuit & obtinuit plenissimum jus in ea Abbatis & domini, cantando in ea privatim & publicè pro velle suo, cantando in festis & in profestis diebus; & obeunte vel abeunte aliquo de Capellanis illius Capellæ, Abbas in loco vacuo & jure suo substituit quem elegit, secularem quem voluit, & regularem quem placuit. Tenuit autem illa abbatia & possedit hanc Capellam, ut de antiqua donatione taceamus, in temporibus Domini nostri Papæ Paschalis, quoad ipse supervixit, & in diebus Domini nostri Papæ Calixti nobilissimi, & in diebus dulcissimi Domini mei Papæ Honorij, & in diebus vestris Innocenti reverendissime.

VI. Vsque ad hoc momentum urbani & periti oratores non detrahebant nobis, eò quòd auditis adversariorum argumentis, statim non in ea involavimus, & ad succidenda ea non festinavimus. Per hanc enim viam rei gestæ narrationis liberiùs & compendiosiùs pedetentim ad illa accedemus, & ea ipsa maximè in quibus adversarij plus confidunt, inuti-

lia & futilia esse ostendemus, & ariete rationis diruemus, aut quasi quid habent vigoris & jurium magis ex nostra parte quàm ex parte adversariorum stare probabimus.

VII. Abbas Vindocinensis intendit in abbatiam sanctæ Mariæ de Bosco & in hanc pauperem filiam ejus hoc modo. Injustè tenetis capellam sancti Nicolai de Credone, & injustè nobis aufertis eam. Iohannis est depulsio. Nec eam vobis auferimus, aut injustè eam tenemus. Nostra enim est ratione juris & longitudine quietæ possessionis. Abbas Vindocinensis ad probationem partis suæ adduxit quòd Rainaldus Remensis Archiepiscopus, qui antè erat Andegavensis Episcopus, & Gilbertus Turonensis Archiepiscopus, adhibitis sibi Ildeberto Cenomanensi Episcopo & aliis sapientibus, adjudicaverunt Ecclesiæ Vindocinensi investituram Capellæ sancti Nicolai, & quòd Papa Calixtus necnon Dominus noster Innocentius & Petrus Leonis in tempore suæ legationis idipsum confirmaverant. Insuper astruit Abbas Vindocinensis quòd Gaufridum suum antecessorem Rainaldus dominus noster Andegavensis Episcopus de illa Capella investierat judicio, & judicij & investituræ testes literas sigillatas ei fecerat, & quòd illa Capella infra parrochiam sancti Clementis, quæ sua est, facta sit.

VIII. Iohannes hic omnia hæc infirmat. Illud quod judicium vel adjudicationem vocatis, si inoffensa majestate Domini mei Remensis Archiepiscopi potest dici, non fuit nec debet dici judicium, sed potius præjudicium sive peregrinum judicium; aut justum judicium non fuit, quia non fuit factum apud eum quem debuit, nec per eos quos debuit, nec eo modo quo debuit, nec eo loco, nec eo tempore, neque circa hos circa quos decuit. Apud eum apud quem debuit non fuit factum. Apud Papam duntaxat

debuit judicari, non apud quemcunque alium, de re ista quam magnificandus Paschalis Papa dederat, quam concesserat, quam litteris & sigillo suæ auctoritatis confirmaverat. Per illos per quos debuit non fuit factum : quia in primis per Papam, & post ipsum, per Cardinales suos, & per eos quos admisisset, & non per alios, debuit fieri. Vnde nec per Turonensem Archiepiscopum nec per Cenomannensem Episcopum debuit fieri. Insuper autem adhuc dicunt Turonensem Archiepiscopum adjudicasse monachis illam infamem investituram, immo inversuram. Respondemus causam non advenisse ad ipsum Archiepiscopum, nec delatam fuisse ad ipsum, sed ipsum venisse ad causam hortatu & ducatu Vindocinensis Abbatis, qui de festo sancti Mauricij infecto ipsum Archiepiscopum extraxit, & Andegavi sumptibus à Turoni abduxit, & ut suum causidicum pridie quàm causa tractaretur, & quantocunque tempore antè Andegavi fuit, eum Abbas procuravit, & ab hospitio Abbatis ad causam cum Abbate venit, & à causa ad hospitium Abbatis cum Abbate rediit. Tunc temporis quicquid scivit & potuit ad opus Abbatis Vindocinensis, & fecit & potuit. Et ideo nobis suspectus fuit. Eo modo quo debuit factum non fuit : quia festum sancti Bartholomæi transierat quando Episcopus diem ad agendum, videlicet crastinum ab instante tunc festo, præfixit. Illi autem quos Episcopus vocabat ad causam, causati sunt brevitatem hujus termini & duritiam Credonensis domini, qui eis sæpius sua auferebat, & aliquando Canonicum à se captum nisi redemptum abire non permittebat. Dictum etiam fuit ab illis quòd illa Capella, pro qua ad causam vocabantur, abbatiæ de Bosco erat. Ad causam equidem venirent die constituto ; sed causam non ingrederentur, nisi prius judicaretur si causæ illæ sufficientes essent ad

impetrandum sibi salvum terminum & commodiorem. In illo termino cùm utraque pars convenisset, & Abbas Vindocinensis quæreret judicium de jamdicta Capella, respondit pars adversa se causam illam non ingredi, nisi priùs sit judicatum si causæ superiùs dictæ sufficientes essent, ne eo die ratione possent cogi ad placitandum, sicut & in positione istius termini ipsi determinaverant. Insuper non fuerunt vocati secundò nec tertiò. Eo loco quo debuit factum non fuit: quia nec ante Papam. Nec in loco jussionis factum fuit: quia illi Clerici qui impetebantur, inducias sex mensium ad agendum de vita sua, scilicet de præbendis suis, de usufructu quarum in servitio Dei vivere debebant, & servitio quarum ordinati erant, obtinere non potuerunt. Circa illos circa quos decuit factum non fuit: quia circa Abbatem & circa Canonicos regulares sanctæ Mariæ de Boscofactum non fuit, quorum tantùm erat & proprietas & possessio sæpissime jam præfatæ Capellæ datæ & confirmatæ per Andegavensem Episcopum, per Archidiaconum, per Archipresbyterum, per Decanum & Capitulum sancti Mauricij, per Capellanos illius Capellæ quæ nobis est in ore, & ad cumulum, per Dominum nostrum Papam magnificum & mirificum Paschalem, cujus auctoritas supergreditur & excedit longè omnes donationes & confirmationes aliorum. Vnde nos confisi de summi judicis misericordia & vestra, similiter de Dei & nostra & horum pauperum justitia, confidenter dicimus, quandoquidem isti regulares Canonici non fuerunt vocati ad causam nec judicati, illud quod hic judicium nominatur, circa hos circa quos decuit factum non fuit, nec istos regulares debere damnari, nec propter hoc à causa præcipitari, etiamsi illi seculares Capellani, cùm ipsi essent Vicarij prædictorum regularium & officiales eorum & ..... &

instrumentum, pro culpa sua & pro defectu suo à causa exciderunt. Immo nos affirmare credimus quòd si argumenta adversarij efficacia essent, ad removendos seculares Capellanos valerent, regularibus autem non obessent, sed prodessent, cùm secularium depositio regularium esset admissio, & cùm regularium ipsorum sit, & non alterius personæ, in locum ipsius Capellæ vacuum intrare, & vel sibi retinere, vel alij quem eligent dare.

IX. Ad hoc quod dicunt adversarij, Dominum Angavensem Episcopum investituram fecisse Gaufrido Vindocinensi Abbati de Capella post hoc judicium, respondemus quòd investitura ex tali judicio non est approbanda, & nos desiderare & desiderando orare apostolicam dignitatem & ejus sanctæ curiæ auctoritatem ut judicent utrum investitura apud talem, & per tales, tali modo, tali loco, tali tempore, circa tales, facta & judicata, investitura debeat esse vel dici, vel inversura, cùm à Papa & à curia ejus nulla nisi canonica fuerit sic admittenda nec pro investitura habenda, & cùm illud quod vocant investituram, in logis tantùm & vocalis esset, non realis, neque materialis, & magis præceps & festinata quàm excogitata.

X. Ad hoc autem quod adversarij dicunt, Rainaldum Episcopum Andegavensem investiviſſe Gaufridum Abbatem Vindocinensem de Capella per clavem ipsius Capellæ, respondemus quòd huic argumento, immo arguto & arguendo mendacio, obviat, & quòd multis Clericis & plurimis laicis patet Albericum sacerdotem in memorata clave extracta de baltheo & sua propria insuper & viginti libris promissis Abbati Vindocinensi redemisse filium suum Paganum monachum ab intolerabili jugo Vindocinensis monasterij, & eum redemptum reddidisse abbatiæ sancti Albini.

XI. Quòd autem dicunt Andegavensem Episcopum feciſſe chartam eis in teſtimonium judicij & inveſtituræ, magis videtur eis officere quàm proficere, quia non fuit compoſita per eum qui antè erat magiſter ſcholarum; cùm in Andegavenſi Eccleſia nulla charta de rebus ad Andegavenſem pertinentibus ſoleat recipi, niſi à magiſtro ſcholarum dictata & laudata fuerit. Addimus quòd charta illa non contineret priores noſtræ Eccleſiæ: quibus quæcunque charta caret, non tantùm perdit auctoritatem, ſed etiam meretur calumniam.

XII. Contra hoc quòd aſſerunt Dominum Calixtum Papam & vos & Dominum Petrum Leonis confirmaſſe tale judicium & talem inveſtituram, non est mirum ſi iſta confirmaviſtis, qui nullum ſuper hoc ratiocinantem audiebatis. Verùm Romana Eccleſia illius diſcretionis ſemper debet eſſe ut ſi aliquis ab ea falſitatem inducendo, vel veritatem tacendo, alicujus rei confirmationem injuſtam obtinuerit, agnita veritate, tali occaſione nulli rem ſuam debet auferre. Dominus Gaufridus Abbas, qui multùm prudens & multùm litteratus & multùm eloquens fuit, ſatis oſtendit quòd in his rationibus non multùm confidebat, nec multùm urgebant, qui Turonis, ubi vos & Abbas & nos vobiſcum eramus, de Capella iſta nullum clamorem protulit; ſimiliter nec in celeberrimo Remenſi Concilio, ubi Archiepiſcopus Remenſis fuit, cui iſti innituntur, & ubi nos vobiſcum fuimus, ſuper hoc quòd iſti clamant, clamorem ſive querelam ad aurem ſanctitatis veſtræ detulit. Ad ultimum, iſti regulares, qui modò poſſident, parati ſunt comprobare Capellam illam jam à triginta annis vel à quadraginta fuiſſe datam Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Boſco, ſine reclamatione legitima ſibi facta.

Vide infrà pag. 216.

XIII. Nunc autem, Reverendiſſime Pater, pervolate partem

partem adversariorum & nostram, & conferte auctores auctoribus, assensores assensoribus, modos modis, loca locis, tempora temporibus, impetitores impetitis, & quod etiam per nos non rogati faceretis, rectè judicantes, sœpissime jam commemoratæ abbatiæ de Bosco hoc suum satis parvum solatium adjudicate. Quòd si apud vestram sublimitatem oratio nostræ parvitatis nullius fuerit, commoveant viscera vestra paupertas hujus fratris & Ecclesiæ suæ pauperis humilitas: quia vos estis sustentator pauperum, & pater orphanorum, & advocatus eorum. Vos estis judex judicum terræ. Sententia vestra definit universas. Acceptio personarum non fuit apud Christum, nec debet esse apud vos Vicarium ejus. Vestrum est bene posita confirmare. Amodo sollicitudinem causæ pauperis istius & fratrum suorum in sinum clementiæ vestræ projicio. Amodo curam hujus pauperis Iohannis & aliorum fratrum suorum habeatis. Quia, Domine, tibi derelictus est pauper. Orphanorum, non dicam eris, sed sis adjutor.

Innocentij II. Papæ epistola ad Robertum Abbatem sanctæ Mariæ de Rota in diœcesi Andegavensi.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Roberto Abbati sanctæ Mariæ de Rota ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religiosis desideriis facilem præbere debemus assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Quocirca, dilecte in Domino fili Roberte Abbas, venerabilis fratris nostri Vlgerij Andegavensis Episcopi, religiosi utique, prudentis, ac discreti viri, certisque experimentis in catholica fide probati, postulationibus annuentes, Ecclesiam An. 1136.

beatæ Mariæ de Boſco, cui Deo auctore præeſſe dinoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, eamque præſentis privilegij pagina communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo canonicus, qui ſecundùm beati Auguſtini regulam ibidem eſt Deo propitio inſtitutus, in eodem loco perpetuis temporibus inviolabiliter conſervetur. Quæcunque præterea bona, quaſcunque poſſeſſiones eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, quæcunque etiam in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis largiente Domino poterit adipiſci, firma ſibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata ſerventur; in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda. Eccleſiam videlicet ſanctæ Mariæ de Liureio, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Camazeio cum Capellis ſuis, ſcilicet ſancti Petri & ſancti Leonardi, Eccleſiam ſancti Salvatoris, Eccleſiam ſancti Germani de Daona, Eccleſiam ſancti Petri de Vaus, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Abriſel, Eccleſiam ſancti Bomiri de Fonte cooperto, Eccleſiam ſancti Petri de Bremio, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Roalderia, Eccleſiam ſancti Germani, Eccleſiam ſanctæ Mariæ Villæportus, Eccleſiam ſancti Petri de Chanceio, Capellam ſanctæ Mariæ de Portu Sononia, Capellam ſanctæ Mariæ de Peſton, Capellam ſancti Iohannis de Longo-Alneto, Capellam ſanctæ crucis de Cancellis, Capellam ſanctæ Mariæ Magdalenæ Breliengaudi, Capellam ſancti Lamberti, Capellam ſancti Dionyſij de Molendini Blochet. Concedimus etiam vobis dationem trium præbendarum in Eccleſia ſancti Nicolai Credonenſis tribus honeſtis Clericis; qui nimirum, poſt ſuſceptum à vobis beneficium, Andecavenſi Epiſcopo, remota exactionis moleſtia, præſententur. Defuncto quoque aliquo eorum, quælibet earundem

præbendarum in manu vestra malo ſtudio minimè teneatur, ſed abſque fruſtratoria dilatione à vobis honeſto Clerico præbeatur. Et quoniam idem locus frequentationi religioſorum virorum incongruus eſſe cognoſcitur, vobis ibidem habitare non liceat; ſed potiùs, ſicut ſtatutum eſt, in eodem loco ſex Canonici ſtatuantur. Menſura verò olei quæ eidem Eccleſiæ à vobis annualiter præſtabatur, ulteriùs non detur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas ſit veſtram Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum pro quorum ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus profutura. Salva ſiquidem Andecavenſis Epiſcopi debita juſtitia & reverentia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona, hujus noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, excommunicationi ſubjaceat. Conſervantes autem eidem loco quæ ſua ſunt, omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus gratiam conſequantur. Amen, Amen, Amen. Benevalete.

Ego Innocentius catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Guillelmus Prænestinus Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergij & Bacchi ſubſcripſi.

Ego Vlgerius dictus Andecavenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Guido Cardinalis ſancti Adriani ſubſcripſi.

Ego Vaſallus Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij ſubſcripſi.

Ego Griſogonus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu ſubſcripſi.

Ego Litifredus Presbyter Cardinalis Tit. Vestinæ subscripsi.
Ego Lucas Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum Iohannis & Pauli subscripsi.
Ego Guido indignus sacerdos.
Ego Gregorius Cardinalis Presbyter Tituli sanctæ Priscæ subscripsi.

Data Pisis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij VIII. Kalendas Februarij, Indictione XIII. incarnationis dominicæ anno MCXXXVI. pontificatus Domni Innocentij Papæ II. anno sexto.

Visum est hoc loco addere chartam de primo dono Ecclesiæ sancti Nicolai de Credone, & bullam Paschalis II. qua eandem monasterio Rotensi confirmat, quòd utriusque scripti mentio suprà pag. 201. fiat in relatione Vlgerij Episcopi Andegavensis. Addidimus etiam chartam qua ejusdem monasterij initia continentur, & eam quæ agit de confirmatione ab Vrbano II. facta in Concilio Turonensi. Hinc enim explicabuntur quæ de primordiis hujus Ecclesiæ & de judicio Turonensi dicuntur pag. 201. & 208.

De primo dono Ecclesiæ sancti Nicolai de Credone.

Ego Albinus Abbas & Conventus sanctæ Mariæ de Rota munimine & testimonio hujus paginæ notum coætaneis nostris & omnibus successuris esse curavimus Hugonem de Credone Capellam sancti Nicolai, quæ est in Credonensi oppido, cum pertinentiis ejus in manu Raginaldi Andecavensis Episcopi ad hoc posuisse ut ipse Rainaldus eam cum ipsis pertinentiis Ecclesiæ nostræ & nobis donaret in perpetuum habendam, & ipsum Rainaldum nobis eam & Ecclesiæ nostræ dedisse. Sanè id concessit Vlgerius, qui tunc erat Archidiaconus, & Rainaldus Archipresbyter. Concesserunt etiam Clerici præfatæ

Ecclesiæ, Albericus, Theobaudus, Rainaldus, Guarinus, Teobaudus, Guillelmus, Calepinus, Petrus. Ipsum firmatum fuit in Capitulo sancti Mauritij Andegavensis, consedentibus & concedentibus quorum nomina subscripta sunt. Normannus Decanus Andecavensis audivit & concessit. Richardus, Normannus Archidiaconus, Grafio, Guibertus, Guillelmus, Obertus, Haimericus, Vlgerius, & alij. Hoc donum & hanc concessionem fecit stabilius & firmius auctoritas Paschalis Papæ, qui litteris & sigillo suo Ecclesiæ de Bosco ei deservientibus fratribus & deservituris cum suis pertinentiis possidendam constituit.

Privilegium de eodem dono sancti Nicolai.

PAschalis Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Albino Abbati & Canonicis sanctæ Mariæ de Bosco salutem & apostolicam benedictionem. Quia vos ad videndum Deum vacare cognovimus, nos juxta petitionem vestram quieti vestræ benigniùs providemus. Eapropter Capellam illam beati Nicolai quam in castello Credonis per manum Rainaldi Andecavensis Episcopi suscepistis, nos vobis per decreti præsentis paginam confirmamus, quam videlicet idem Rainaldus Episcopus de Hugonis Credonensis potestate receperat. Sicut ergo ab eo vobis concessa & tradita est, ita vobis in perpetuum quietam & integram cum omnibus appendiciis suis manere censemus. salvo nimirum censu annuo solidorum decem, qui matrici Ecclesiæ beati Mauritij persolvendi sunt. Vniversa enim prædia & dona quæ supradicti Hugonis avus Rainaldus eidem Capellæ de suo jure obtulit & scripti assertione contradidit, quæque ab ipsius Rainaldi filio Mauritio collata sunt, quieta vobis & integra in perpetuum manere sanci- An. 1117.

mus. Data Beneventi 11. Non. Aprilis, Indictione decima.

Fundatio Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Rota.

DVm divina pietas quotidie nos admonet dicens, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, idcirco ego Raginaldus Roberti Burgundi filius pro Dei omnipotentis amore, & pro retributione animæ meæ, ut pius Dominus eripere me dignetur à perpetua morte, pro anima patris ac matris necnon & uxoris meæ, quoddam boscum meum Credonensi castro proximum ad ædificandam ibi Ecclesiam beatæ & gloriosæ virginis Mariæ de jure meo in jus Canonicorum sub beati Augustini regula in eadem Ecclesia degentium perpetuò transfundo ità solidum & à consuetudinibus omnibus exceptum qualiter à Fulcone Andegavensi Comite juniori solidum & quietum illud usque in præsentem diem tenui & teneo; ea siquidem conditione ut nullus alius ordo intra præfatam Ecclesiam aut in præsenti aut in futuro præter Canonicorum canonicè illic habitantium admittatur. Vt autem hoc donum meum inviolabilem obtineat firmitatem, notum facio præsentibus & posteris meis hanc investitionem Andegavis factam esse supradictæ Ecclesiæ & ejusdem loci fratribus in camera & in domni Gaufridi Episcopi præsentia, videnté & concedente Mauricio & Henrico & Roberto filiis meis. Et ut hæc donatio rata & inviolabilis perpetuò subsistat, manu propria subterscripsi. Data Andegavis 111. Idus Febroarij, in crastino dedicationis basilicæ beati Nicolai.

In nomine Domini, ego Hugo Lugdunensis Archiepiscopus subscripsi.

Signum Raginaldi Credonensis.

Ego Gaufridus Andegavensis Episcopus rogatus concessi.

Signum Amati. Ego Amatus gratia Dei Burdegalensis Archiepiscopus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus laudo & confirmo.

Signum Ivonis Carnotensis Episcopi.

Signum Hoelli sanctæ Cenomanensis Ecclesiæ Episcopi.

Ego Gualterus gratia Dei Albanensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Signum Guarneri Archidiaconi.

Concessit etiam Raginaldus Credonensis & Mauritius filius ejus supradictæ Ecclesiæ & loci fratribus quidquid de fevo suo in quocunque loco ampliùs emerint, seu quicquid eidem Ecclesiæ attribuetur de rebus ad suum dominium pertinentibus, teste Matthæo Suhardi filio & Radulpho de Pochoneria hominibus suis. Datum anno Domini MLXXXXIII.

Facta igitur hac concessione à Raginaldo Credonensi, firmata est hæc charta in superiori camera Gaufridi Andegavensis Episcopi junioris per impositionem manus Vrbani II. Papæ & per beati Petri auctoritatem pridie Idus Febroarij in primo anno ordinationis Gaufridi junioris Episcopi, in nono ordinationis Vrbani prædicti Papæ, ipso Gaufrido juniori Episcopo vidente & laudante, laudante Episcopo Signensi, Teuthione, Alberto, Rangerio Cardinalibus videntibus & laudantibus. Affuerunt etiam de Clericis Papæ, Emorrandus de Seissuns, Milo sancti Albini monachus. De Clericis Andegavensis Episcopi, Vvillelmus de sancto Laudo, Goffridus Vvidonis filius. De Clericis in præfata Ecclesia sub regula degentibus, Robertus & Quintinus, & duo Hervei, & alij duo.

Signum Aldeberti Primatis Bituricensis.

Ego Vvido gratia Dei Viennenſium Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Geraldus Morinorum Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Renerij Canonici Malleonenſis.

Ego Rangerius Cardinalis ſubſcripſi.

Signum Fulconis Andegavenſis Comitis.

His audientibus, Clarembaldo de Rupeforti, & Hieronymo fratre ejus, & Goffrido Fulcredo, & Hugone de Poceio.

Hæc ſecunda ſanctio facta eſt Turonenſi Concilio, Apoſtolico viro Miſſam devotiſſimè celebrante, XII. Kalendas Aprilis, luna exiſtente XXII. anno MXCVI. incarnati verbi, Philippo Rege Francorum imperium tenente.

Signum magiſtri Mainegaudi.

Signum Guillelmi electi de Claromonte.

Signum Raginaldi Andegavenſis junioris Epiſcopi.

Signum Radulphi Archiepiſcopi Turonenſis.

ACTA CONCORDIÆ INITÆ inter Canonicos Ruthenenſes & Monachos Maſſilienſes ſuper Eccleſia ſancti Amantij & ſepultura civium Ruthenenſium.

Anno 1140. SVper alteratione quæ inter Canonicos Ruthenenſes & monachos Maſſilienſes pro Eccleſia ſancti Amantij & ſepultura civium Ruthenenſium jamdiu ventilata fuerat, hujuſmodi concordia communi aſſenſu utriuſque partis interveniſſe dinoſcitur. In primis præfati monachi poſſidentes Eccleſiam beati Amantij, cujus Eccleſiæ poſſeſſio confirmata eſt & jam in præſenti epiſcopali donatione facta communi aſſenſu Clericorum Ruthenenſium, ipſi quidem monachi debent perſolvere pro eadem

Ecclesia Canonicis Ruthenensibus in festivitate Apostolorum Petri & Pauli annuum censum viginti solidorum Ruthenensium, salva nimirum in eadem Ecclesia Ruthenensis Episcopi debita reverentia. Pactum est etiam inter Petrum venerabilem Abbatem Massilienſem & Clericos Ruthenenses coram Episcopo ut omnium Ecclesiarum pertinentium ad alodium beati Amantij, quæ acquisitæ fuerunt ab anno incarnationis Domini millesimo centesimo vigesimo, vel deinceps acquiri poterunt, habeant Massilienses medietatem, alteram verò medietatem Canonici Ruthenenses; excepta Ecclesia sancti Austremonij, pro qua prædicti monachi debent dare annuatim Ecclesiæ Ruthenensi duas libras albi incensi donec præfati Clerici Boadonensem Ecclesiam possint acquirere, vel aliam æquivalentem, nisi ea poterit acquiri. Præterea Ruthenensi Episcopo præsente unà cum Hugone Comite concorditer actum est inter prætaxatos monachos & Clericos ut iidem Canonici haberent liberam facultatem sepeliendi circa matrem Ecclesiam Episcopos & Archidiaconos necnon etiam universos quicunque canonico habitu suscepto vitam finirent, ita tamen sub distinctione, ut si aliquis in extremitate vitæ canonicum habitum postularet, ipsi Canonici per proprium nuntium conveniant Capellanum sancti Amantij, vel eo absente quemlibet Clericorum ejusdem Ecclesiæ, quatinus aliquis eorum ad hoc infirmum adiret, ut eo præsente canonicum habitum susciperet. Si verò, legatione audita, aliquis eorum illuc ire differret, haberent iidem Canonici liberam facultatem imponendi canonicum habitum infirmo & eum mortuum sepelire; ita nimirum ut Ecclesia beati Amantij obtineat debitum beneficium, secundùm voluntates infirmorum, omnium quidem qui in infirmitate canonicum habitum susceperint; conversos quoque qui dimissa

proprietate ad eos venirent, necnon etiam mulieres Deo devotas post promissionem castitatis & obedientiæ relicta proprietate, simili modo sepulturæ traderent. Alios autem universos in cimiterio ejusdem beati Amantij sepeliendos esse non dubitatur. Præterea sciendum est quòd his quæ per Massilienses sive per Canonicos Ruthenenses ab apostolica sede impetrata fuerant, quibus huic instrumento derogari posset, favore hujus transactionis ab utraque parte penitùs renuntiatum est.

Ego Bernardus hoc instrumentum scripsi xv. Kal. Madij, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo.

S. Domini Ademarij Episcopi. Ego Petrus Abbas Massilienſis subscripsi. S. Guillelmi Prioris de canonica. Ego Guillelmus Prior sancti Leontij. Ego Guillelmus Archidiaconus. Ego Hugo Archidiaconus subscripsi. Ego Deusdedit Prior sancti Amantij. Ego Vvillelmus Præpositus subscripsi. Ego Guillelmus Prior Amiliavensis subscripsi. Ego Petrus de Montoliu subscripsi. Ego B. de Belcastel subscripsi.

Bulla Lucij II. Papæ confirmantis superiorem transactionem.

Anno 1144. LVcius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Massilienſi Abbati ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Æquum & rationabile esse dinoscitur ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & à pravorum hominum nequitia tueamur & ipsarum quieti atque utilitati auxiliante Domino salubriter providere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino fili Petre Abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesias quas canonicè possidetis, videlicet Ecclesiam sancti Amantij, quæ in Ruthe-

nensi suburbio sita esse dinoscitur, & Ecclesiam sancti Austremonij de Sales, cum Capellis & omnibus adipsas Ecclesias pertinentibus, sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, atque tibi tuisque successoribus & per te Massilienſi monasterio præsentis privilegij pagina confirmamus. Præterea conventionem quæ inter te & venerabilem fratrem nostrum bonæ memoriæ Ademarum ejusdem urbis Episcopum & Canonicos utriusque partis voluntate atque convenientia rationabiliter facta est & scripto firmata, auctoritate apostolica roboramus & futuris temporibus ratam & inconvulsam perpetuò manere decernimus. Sed nec alicui liceat in præfatam Ecclesiam sancti Amantij interdicti sententiam promulgare quandiu tu vel successores tui aut fratres tui à sede apostolica evocati de objectis sibi querelis justitiam facere ac recipere coram Romano Pontifice fuerint parati. Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat te vel successores tuos super iis infestare aut vobis exinde aliquam contrarietatem vel molestiam inferre. Si qua verò ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundò tertiòve commonita si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus & nostram gratiam consequantur. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Baronis Capellani & scriptoris IIII. Kal. April. Indictione VII. incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, pontificatus verò Domini Lucij secundi Papæ primo.

ALPHONSI REGIS PORTV. galliæ epistola ad Lucium II. Papam, qua regnum suum Romanæ Ecclesiæ tributarium constituit.

Proclamatus Rex an. 1139. *Marian. lib.* 10. c. 17.

LVcio secundo A. Rex Portugalensis. Claves regni cœlorum beato Petro à Domino nostro Iesu Christo concessas esse cognoscens, ipsum patronum & advocatum apud Deum omnipotentem habere disposui; ut & in vita præsenti opem illius & consilium in meis oportunitatibus sentiam, & ad præmia felicitatis æternæ ipsius suffragantibus meritis valeam pervenire. Quocirca ego Adefonsus Dei gratia Portugalensis Rex per manum Domini G. Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati Domino & Patri meo Papæ Innocentio hominium feci, & terram quoque meam beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ offero sub annuo censu quatuor unciarum auri, ea videlicet conditione & tenore, ut omnes qui terram meam post decessum meum tenuerint, eundem censum annuatim beato Petro solvant, & ego, tamquam proprius Miles beati Petri & Romani Pontificis, tam in me ipso quàm in terra mea vel in iis etiam quæ ad dignitatem & honorem meæ terræ ac etiam defensionem & solatium apostolicæ sedis habeam, & nullam potestatem alicujus ecclesiastici secularisve dominij, nisi tantùm apostolicæ sedis vel à latere ipsius missi, unquam in terra mea recipiam. Facta oblationis & fortitudinis charta Idus Decembris æra MCLXXX. Ego supradictus Adefonsus Portugalensis Rex hanc cartam fieri jussi, & libenti animo coram idoneis testibus propria manu confirmo. Ego Iohannes Bracharensis Episcopus confir-

Vide Innoc. III. lib. 1. epist. 99. 441. 448. 447. lib. 14. epist. 59. lib. 15. epist. 24.

mo. Ego B. Colimbrienſis Epiſcopus confirmo. Et ego Petrus Portugalenſis Epiſcopus confirmo.

Lucij II. Papæ reſponſoria.

LVcius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio A. illuſtri Portugalenſi Duci ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Devotionem tuam, dilecte in Domino fili, maximè congaudemus, quòd temetipſum de illis ovibus recognoſcens quas Dominus noſter Ieſus Chriſtus beati Petri cuſtodiæ commendavit, cùm ad expugnationem paganorum intentus, multiſque negotiis ſecularibus occupatus, Apoſtolorum limina viſitare non poſſes, per manum dilecti filij noſtri G. Diaconi Cardinalis tunc in partibus illis apoſtolicæ ſedis Legati prædeceſſori noſtro felicis recordationis Papæ Innocentio hominium laudabili devotione feciſti, & terram tibi à Deo commiſſam beato Petro Apoſtolorum principi obtuliſti, atque perſonam tuam & terram ipſam ipſius patrocinio humiliter commiſiſti, poſtmodum verò tam per litteras tuas quàm per venerabilem fratrem noſtrum I. Bracharenſem Archiepiſcopum nobis etiam promiſiſti ut tam tu quàm hæredes tui de terra ipſa quatuor uncias auri annis ſingulis Romano Pontifici perſolvatis. Nos itaque, qui, licèt indigni, beati Petri loco reſidere conſpicimur, tam te quàm filios tuos & ſucceſſores veſtros intra heredes ipſius Apoſtolorum principis ipſo adjuvante ſuſcipimus, ut in ejus benedictione & protectione tam animarum quàm corporum maneatis, per quam ab hoſtium viſibilium & inviſibilium expugnatione defenſi, ad cœleſtia regna pervenire largiente Domino valeatis. Datum Laterani Kalendis Maij.

EVGENII III. EPISTOLA
ad Petrum Regensem & Bertrandum Forojulienſem Epiſcopos.

An. 1145. EVgenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus P. Regenſi & B. Forojulienſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Bariolenſis Eccleſia beati Petri juris exiſtit, & ad ejus proprietatem & defenſionem ſpecialiter pertinet. Vnde nobis eſt injuncta neceſſitas ipſam & alias ſibi pertinentes diligere & fovere, & nullam eis injuriam vel moleſtiam irrogare. Quocirca per apoſtolica vobis ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus nullas novas exactiones, neque receptiones, vel paſtus, vel alia inconſueta in Eccleſiis quas in veſtris epiſcopatibus poſſidet imponatis, nec ab eorum Preſbyteris exigatis; ſed eas in ea libertate liberè dimittatis in qua prædeceſſorum veſtrorum Augerij videlicet & Berengarij temporibus extitiſſe noſcuntur. Preſbyteros autem ſive Clericos vobis ſubditos, qui excommunicatos in cimiterio ſcienter ſepeliunt, tamdiu à ſuſceptis ordinibus ſuſpendimus donec de tam gravi præſumptione ſatisfacturi noſtro ſe conſpectui repræſentent. Vos autem tamen noſtram ſuſpenſionem eis annuncietis, & obſervari firmiter faciatis. Datum Viterbij v. I. Kal. Novembris.

BVLLA ADRIANI IV. PAPÆ *qua confirmat ordinationem factam de Ecclesiis sanctæ Genovefæ, salvis jure & rationabilibus consuetudinibus quas Episcopus Parisiensis habebat in eisdem.*

ADrianus Episcopus servorum Dei venerabili fratri Theobaldo Parisiensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quòd Ecclesias beatæ Genovefæ prædecessor noster felicis memoriæ Papa Eugenius per regulares Canonicos ordinari præcepit, sicut ex litteris ejus agnovimus, non ad hoc fecit, neque id intellexit, ut tu vel successores tui aliquid de jure tuo, quod in eisdem Ecclesiis habuisse dinosceris, deberes amittere, aut justitiam Ecclesiæ tuæ auferri crederet vel minui, sed ut ipsæ Ecclesiæ potiùs ab honestis & religiosis viris quàm à lascivis & enormiter conversantibus servirentur. Nos igitur quod ipse super hoc statuit auctoritate sedis apostolicæ confirmantes, omnia jura & rationabiles consuetudines quas in prædictis Ecclesiis prædecessores tui hactenus habuisse noscuntur, tibi tuisque successoribus sine ulla diminutione volumus conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum XVII. Kalendas Ianuarij. AN. 1155.

EIVSDEM ADRIANI epistola ad Berengarium Archiepiscopum Narbonensem, Artaldum Episcopum Helenensem, & Barones per Helenensem episcopatum constitutos, adversùs Gaufredum Comitem Ruscinonensem.

Circa an. 1156.

ADrianus Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Berengario Narbonensi Archiepiscopo & apostolicæ sedis Legato, & Artaldo Helenensi Episcopo, & universis Baronibus per Helenensem episcopatum constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Quæ à prædecessoribus nostris rationabiliter sunt statuta, nullius temeritate volumus perturbari, sed inconvulsa et mandamus & illæsa ab omnibus observari. Prædecessor autem noster felicis memoriæ Papa Eugenius Comitem Gaufredum & eam quam tenet adulteram excommunicationis vinculo innodavit, pro eo videlicet quòd legitima uxore dimissa, non est veritus adulteram sibi matrimonio copulare. Et quia, ut nobis dicitur, pertinaciter adhuc in sua iniquitate perdurat, eandem sententiam ratam habentes, mandamus eam ab omnibus inviolabiliter observari, statuentes ut eidem Comiti nunquam sit liberum, legitima etiam uxore defuncta, eam sibi matrimonio copulare quam non est dubium manifesto adulterio polluisse. Filios autem quos ex adultera in adulterio procreavit, qui spurij à jure censentur, decernimus perpetuò paterna hereditate carere; nec eis liceat ullo tempore aliquid hereditatis ipsius Comitis jure successionis petere vel habere. Si verò ab eis hoc fuerit aliquando attentatum, excommunicationis vinculo se noverint innodandos.

31. q. 1. c. 3. *Illud verò.*

LITTERÆ

LITTERÆ ERMENGAVDI Comitis Vrgellensis, quibus abdicat consuetudinem, quam ab antecessoribus suis habebat, capiendi bona mobilia & immobilia Episcoporum Vrgellensium defunctorum.

IN nomine omnipotentis Patris & incarnati Verbi filij ejus & ab utroque procedentis Spiritus sancti. Pateat cunctis præsentibus atque futuris qualiter ego Ermengaudus Dei dispositione Comes Vrgelli pro remedio animæ meæ omniumque parentum meorum dimitto atque evacuo & sine aliquo retentu penitùs persolvo Domino Deo & almæ genitrici ejus Mariæ sedis Vrgelli horribilem illam & malè consuetam rapinam quam post decessum Episcoporum sedis Vrgelli injustè exercere consueverant prædecessores mei in omni honore episcopali; tali scilicet modo, quòd ego nec aliquis Comes post me non habeamus licentiam nec potestatem ex hac hora in antea diripiendi sive invadendi bona Vrgellensium Episcoporum mobilia sive immobilia, quandocunque vel ubicunque prædictæ sedis Pontifices moriantur; sed post obitum eorum salva & libera atque quieta remaneant omnia sua præfatæ Ecclesiæ almæ genitricis Dei Mariæ sedis Vrgelli sine aliqua inquietatione Vrgellensium Comitum vel hominum suorum. Veruntamen quia post decessum Episcoporum episcopalia castra sive villa prædictæ sedis pro securitate & defensione honoris beatæ Mariæ usque ad diem futuræ electionis in manu Vrgellensium Comitum permanere consueverunt, nihil ibi Comes Vrgellensis vel homines sui accipiant nisi ea tantùm quæ ad custodienda prædicta castra bona fide sine Anno 1162.

malo ingenio secundùm providentiam Canonicorum prædictæ sedis sufficienti modo necessaria fuerint. Prædicta autem castra quæ in manu Comitis post obitum Episcoporum custodienda permanere solita sunt, hæc sunt, castrum Savaugiæ, & castrum de Gissona, & castrum de Torrefracta, & villa sedis, & castrum de Montferrer. Ex ipsa verò die qua præfata castra in manu Comitis esse incipient, de redditibus & censibus & explectis quæ de ipsis castris exierint, prænominata castra custodiantur. Dono etiam ad operam beatæ Mariæ centum morabetinos per unumquemque annum de ipsa mea paria de Hispania, quandiu ipsa paria perdurabit. Si interim de ipsis Clericis prædictæ sedis quisquam fortè obierit, res ipsius defuncti securæ semper permaneant sine direptione vel diminutione, quam ei Comes vel homines sui aliquo modo facere non præsumant. Insuper & ob remissionem peccatorum meorum meorumque parentum omnia quæ juris beatæ Mariæ esse noscuntur, eidem matri meæ Vrgellensi Ecclesiæ in perpetuum habenda concedo, laudo, atque confirmo. Si quis contra hanc chartam ad disrumpendum, non valeat vindicare quod requirit, sed in quadruplum Ecclesiæ beatæ Mariæ componat, & postea scriptura præsens firma & stabilis permaneat omni tempore. Acta charta secundo Idus Ianuarij anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo.

EPISTOLÆ DVÆ ALEXANDRI III. Papæ pro Guinardo Comite Ruscinonensi.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro G. Comiti de Rossilione salutem & apostolicam benedictionem. Nobiles & illustres personæ quanto se beato Petro & nobis majori devotione subjiciunt, tanto eas Romana Ecclesia arctiori consuevit caritate diligere & in justitiis & honoribus suis propensiùs confovere. Eapropter tuæ devotionis obtentu, & dilecti filij nobilis viri Trencavel avunculi tui precibus inclinati, terram quæ te hereditario jure contingit, nulla tibi quæstione ab adultera vel ejus filio facta, tibi auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli unquam viro vel feminæ liceat tibi paternam hereditatem contra justitiam auferre vel illicitè perturbare. Si quis autem hoc temerè attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Montempessulanum XIV. Kal. Septembris. Anno 1165.

ALIA.

ALexander Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Pontio Narbonensi & Hug. Tarraconensi Archiepiscopis, Helenensi quoque & Gerundensi Episcopis, salutem & apostolicam benedictionem. Suggestum nobis est & certa quasi relatione monstratum quòd pater nobilis viri G. Comitis de Rossilione, legitima uxore dimissa, sibi

aliam per adulterium copulavit. Vnde tam ipſe quàm ejus adultera anathematis meruerunt vinculis innodari; &, ſicut credimus, anteceſſor noſter bonæ memoriæ Eugenius Papa prohibuit ne filij qui ex adultera ſuſciperentur, in paternam ſuccederent hereditatem. Ceterùm quoniam ſecundùm legum ſtatuta filius eſt quem legitimæ nuptiæ demonſtrant, nec filius ſed ſpurius dicitur qui de adulterio naſcitur, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus ne illi jure ſucceſſionis vel adultera aliquid de ſupraſcripta hereditate ratione donationis propter nuptias ſibi vindicent, diſtrictiùs prohibeatis, & hoc fieri nullatenus permittatis, & ſi quis eidem G. ſuper hoc injuriam vel moleſtiam inferre præſumpſerit, cùm ad vos inde querela pervenerit, debitam de eo & plenam juſtitiam faciatis. Datum apud Montempeſſulanum XIV. Kal. Septembris.

HENRICI ARCHIEPISCOPI Remenſis epiſtola increpatoria ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ in cauſa Drogonis Cancellarij Noviomenſis.

Anno 1170. REverendis in Chriſto Patribus Epiſcopis & Cardinalibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filiis Henricus Remorum dictus Archiepiſcopus ſalutem & reverentiam. Non ſine admiratione multa & animi concuſſione recenſeo quòd apud vos nec gratiam meretur obſequium, nec amor viciſſitudinem, nec humilitas adjumentum. Si vos in ſummo rerum cardine divina miſeratio collocavit, non ſibi contraria ſed voluntati ſuæ ſimilia quærit à ſuis profeſſoribus exerceri. Ipſe qui dicit, *Ego diligentes me diligo*, à

servo suo dictum recipit: *Tu autem Domine sabaoth omnia cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Si vestræ condescendit abjectioni divina dignatio, si dilectionis, tranquillitatis, & reverentiæ munus æterna majestas exhibet hominum servituti, quid homo debet referare homini, qui non utique servus sed conservus est sub imperio conditoris? Adorari se prohibet angelus ab Apostolo; nec attendit conditionem carnis, sed superiùs dominantis arbitrium; nec honorem suscipiens Apostolus tumescit, nec erubescit angelus hominem revereri, qui genus humanum noverat Domini sui sanguine reparatum. Locum ejus tenetis. Vices agere debetis, & figuram similitudinis imitari. Si vobis, non necessitatis articulo, sed divinæ vocis imperio subservimus, num debemus gratiam promereri? Cultoribus suis refert Deus gratiam pro gratia, & dilectores suos multiplici suffragio consolatur. Nos pro servitio reportamus offensam, pro beneficiis jurgia, dissensiones pro pace, pro dilectione molestiam. Quod fovemus opprimitis, quod adversamur assumitis. Et sic in vacuum cedit nostra devotio, quam vobis constanter tempore necessitatis exhibuimus, non verbo, neque lingua, sed opere & veritate. Dat omnibus affluenter divina bonitas, & nulli improperat. Nec nos obsequia nostra vobis ad improperium replicamus; sed de fructu operum nostrorum volumus justa vicissitudine satiari. Sat est dictum sapientibus. Quicquid enorme est complanat secura correctio. Agite igitur quod debetis. Et si quid sumus in oculis vestris, si quid possumus apud vos, si quid de vobis bene meruimus, sentiat vestræ dilectionis efficaciam dilectus & familiaris noster Drogo Noviomensis Cancellarius, quem Dominus Papa, sicut placuit, non, sicut credimus, ut decuit, duro sententiæ suæ destituere videtur elogio;

cujus moleſtia nos non immeritò tangit, & angit erubeſcentia quam ſine præjacenti culpa creditur ſuſtinere.

EIVSDEM EPISTOLA AD *Alexandrum III. de eodem argumento.*

REverendo in Chriſto patri & Domino Alexandro Dei gratia ſummo Pontifici Henricus Remorum dictus Archiepiſcopus ſalutem & reverentiam. Nullus eſt homini juſtior dolor quàm beneficij ſui perdere diligentiam; nec debitoris animum gravior poteſt incurſare moleſtia quàm cùm pro gratiæ merito titulus reportetur offenſæ. Miror, & mirari ſatis non ſufficit animus meus, quid occaſionis intervenit, quid accedit meriti mei, quid operis intercedit, ut Moyſi manus ſentiam graves, & affectum patris non qualem merui repræſentet effectus. Quod enim fovere deſidero veſtra decolorat auctoritas; & quibus de rigore juſtitiæ adverſor, veſtra benevolentia ſublevat in profectum. Audiunt inimici mei & veſtri opus veſtrum & rancorem meum; & lætantur quoniam vos feciſtis. Non eſt affectus filialis apud animum patris occultare quod doleat, ſed de planta triſtitiæ fructum quærere gaudiorum. Duo feciſtis opera quæ miror, nec minùs vicem veſtram quàm meam doleo in illis. Inutilitatem, ne dicam graviùs, Atrebatenſis illius promoveris in publicum. in quo & Eccleſia illa turbatur, confunditur juſtitiæ rigor, Eccleſiæ prædia diſſipantur. Noviomenſis Eccleſiæ Cancellarium, virum, ut credo, honeſtatis & religionis amatorem, & meum familiarem, non citatum, non auditum, non convictum canonicè, nec de propria confeſſione reum, à gradu ſuo, ſicut accepi, removere intenditis; cui

plurimùm apud vos ſancti Pontificis meritum & conſtitutio debuit ſuffragari, qui tantum in eo fidei ſpeique repoſuit ut ei cum perſonatu curam animarum ſine ſcrupulo conſcientiæ commendaret. In quo ſtupor apprehendit omnes, & aures tinniunt audientium, cùm tam diverſa meritorum reportent ſtipendia inutilitas auxilium & religio dejectionem. Eſt aliud præterea quo graviùs uritur & urgetur animus meus, quòd non ſereno vultu ſcripta mea recipitis, nec apud vos finem ſortiuntur acceptum. De regularibus autem Clericis cùm teneat communis uſus Eccleſiæ ut Archidiaconi vices agant in epiſcopatibus, vel parrochiales curas obtineant, de prædicto fratre noſtro Noviomenſi Cancellario non ſine gravi cordis ſcrupulo ſuſtineo quòd eum ſic arbitrij veſtri ſententia debeat prædamnare; maximè cùm preces meas pro eo ſuſceperitis, & commendationem dignam gratia ſine gratia remitti non meruerim. Hoc præterea vobis adnuntio, quicquid alij dixerint, quòd in ejus promotione & communis conſenſus Canonicorum affuit, & nullam audivi ſonuiſſe contradictionem.

Vide Bullam Alexandri III. apud Iacobũ le Vaſſeur in Annalibus Eccleſiæ Noviom. pag. 897.

ALEXANDRI III. PAPÆ epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Remenſem, qua ſuperioribus litteris reſpondet.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Henrico Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm ſignificaſſes nobis quòd nec litteras nec nuntios tuos benigniori oculo reſpiceremus, nec preces tuas ſuper negotio Atrebatenſis Epiſcopi vellemus admittere, ſatis mirati ſumus qua de cauſa turbatio iſta in animo tuo provenerit, & quibus argumentis gra-

An. 1170.

tiam & dilectionem noſtram circa te refriguiſſe conicere potuiſti. Non enim ita immemores ſumus magnificæ devotionis & utiliſſimi obſequij quod nobis & Eccleſiæ Romanæ in neceſſitatis articulo prompto animo impendiſti ut non te ſicut cariſſimum fratrem noſtrum & firmiſſimam columnam Eccleſiæ ſinceriſſimo diligamus caritatis affectu, & tam nuntios quàm litteras tuas liberali ſemper animo videamus, & gratanter pro te velimus efficere quicquid cum Deo & juſtitia & honeſtate noſtra poſſimus & pro aliquo fratrum noſtrorum eſſemus facturi; nec recolimus nos unquam tuis precibus obviaſſe, quas ſalva forma juſtitiæ & honeſtate noſtra potuimus exaudire. Immo plerunque præter officij noſtri debitum tuæ curavimus fraternitati deferre & ſatisfacere voluntati. Quapropter hæc in animum tuum non deſcendant; ſed omnem hujuſmodi ſollicitudinem & anxietatem deponas. Et ſi quando petitionibus tuis non ad votum annuimus, non voluntati noſtræ, ſed potiùs meritis negotiorum aſcribas. Deſiderium namque, ſicut diximus, & voluntatem habemus ea quæ cordi ſunt tibi gratanti animo exequi & votis tuis, in quibus expedit, benignum ſemper & promptum favorem præbere. Tu verò, ſicut vir diſcretus & prudens, in omnibus agendis tuis cautè & providè ambules, ſuffraganeos Eccleſiæ tuæ benignè & manſuetè pertractes, & de Eccleſiis beati Petri propriis, quæ in tua provincia conſtitutæ ſunt, non tamquam de tuis diſponas, ſed eas in ſua libertate relinquas. De cetero ſuper negotio dilectæ in Chriſto filiæ noſtræ nobilis mulieris Conſtantiæ ſororis tuæ uxoris Comitis Toloſanenſis venerabilibus fratribus noſtris Sueſſionenſi, Ambianenſi, & Laudunenſi Epiſcopis conſideratione fraternitatis tuæ efficaciter ſcripſimus prout novimus expedire. Verùm quia, ſicut accepimus, in inſtrumento dotalitij

sui testes conscripti sunt, ipsos auctoritate nostra & tua moneas & inducas ut amore justitiæ testimonium perhibeant veritati. Sicut enim periculosum est iniquum falsumve proferre, ita quoque bonum est veritati testimonium perhibere. Ad hæc, dilectum filium nostrum magistrum Paganum tibi devotum admodum & fidelem providentiæ tuæ propensiùs commendamus, rogantes ut ei benefacias & habeas multipliciter commendatum, quem scis pro suo negotio tanto tempore apud nos moram feciſſe. Negotium enim pro quo eum misisti citò satis & compendiosè expedivimus. Datum Beneventi v I. Kal. Septembris.

EIVSDEM ALEXANDRI *epistola ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Parisiensis, de residentia Canonicorum forinsecorum.*

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis B. Decano & Capitulo Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ ad incrementum Ecclesiarum & venustatis spectant decorem, juxta officij nostri debitum studiosiùs prosequi volumus, & iis promptam curam & diligentiam adhibere optamus quæ ad vestrum & Ecclesiæ vestræ cognoscimus pertinere profectum. Ex litteris autem quas nobis devotio vestra transmisit evidenter accepimus quòd quia quidam vestrum alienis insistentes negotiis, rarò Ecclesiæ vestræ sui præsentiam exhibebant, & ceteri eandem licentiam absentandi se velint habere, communi consilio illos Canonicorum vestrorum forinsecos ordinastis qui per medietatem anni in Ecclesiæ vestræ servitio assidui non fuerint, An. 1170.

ita tamen quòd circa quatuor marcas argenti de præbenda sua annuatim recipiant, eis exceptis qui in servitio nostro vel Regis Francorum permanserint, & hoc sub anathematis interpositione firmastis. Videnos paci, quieti, & utilitati vestræ, sicut diximus, paterna meditatione providere volentes, præscriptam institutionem, sicut à majori & saniori parte Capituli facta est, ratam & firmam habemus, & ne quorumlibet valeat præsumptione mutari, eam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tusculani 11. Idus Decembris.

NICOLAI MONACHI Clarevallensis epistola ad Henricum Comitem Campaniæ.

Circa an. 1170.

SEreniſſimo Principi & cariſſimo Domino ſuo Henrico Comiti Trecenſi frater Nicolaus vita peccator, habitu monachus, à ſalute ſalutem. Philoſophus dicit: *Ego tunc humanarum rerum ſtatum arbitror eſſe felicem cùm aut Philoſophos principari aut Principes philoſophari contigerit.* Viva ſententia, nec modò hominis ore formata, ſed Dei. Quid eſt enim homo ſine litteris niſi ſepulcrum animæ rationalis viventis & ſepultæ? Litteræ viæ ſunt ad honeſtatem, & honeſtas fructus eſt litterarum. Et licèt ſenſus litteras, non litteræ ſenſum inveniant, ornat tamen & ordinat inventio inventorem, tamquam de

pulcro patre pulcrior filius eluceſcens. Vetus enim proverbium eſt, & ore veterum celebrata ſententia: Quantum à beluis homines, tantum diſtant à laicis litterati. Hæ primùm à Deo inventæ & ſcriptæ digito pro ſingulari munere datæ ſunt & commendatæ mortalibus. Per has præſens eſt quod præteritum fuit. Hæ quicquid uſquam vel unquam geſtum eſt recolligunt in ſe ipſis. Ad quid tamen eas effero niſi ut te efferam, cui datum eſt in Philoſopho Principem, in Principe Philoſophum retinere? Proinde felicia dixerim tempora noſtra, quæ tuo principatu principaliter ſunt inſignita, per quem ditantur Clerici, dotantur Eccleſiæ pariter & ornantur. Non invideant milites, quia & illis morem geris. Non tamen unus ſed tamquam unicus inter Principes terræ; largiſſima manus tua, & cui non ſit ſimilis in filiis hominum, de poſſeſſionibus ſuis & pauperibus diffundit & divitibus, ut dives adſtringatur fortiùs & pauper meliùs ſuſtentetur. Porrò pecuniam ſicut paleam reputas, quæ ferè indifferenter ſpargitur & univerſis. Nihil tibi & illi; quæ cùm ad te venerit, non abſcondentem invenit, ſed fundentem. Plerunque & antequam veniat collata eſt & collocata, ut ſe libentiùs emitti judicet quam admitti. Miror tamen quomodo ſufficiat & non deficiat dextera tua, niſi quòd ſcriptum eſt: Difficile eſt ut divitem animum poſſibilitas deſerat, & abundantia ſequatur hominem mente mendicum. Sic inter litteratorium & equeſtrem ordinem reſidens utrumque magnificas, magnificus & munificus ad utrumque. Non eſt inventus ſimilis tibi in hac dote naturæ, ſicut præſentes narrant, narrabunt poſteri, & nati natorum & qui naſcentur ab illis. Dedit autem tibi ad hoc Dominus intellectum & linguam eruditam, ut tantæ nobilitatis ſanguis & eloquio & ingenio præfulgeret. Nec hoc dico quaſi adulatorio ſermone velim illu-

strare rerum tuarum splendorem, sed ut te incitem & invitem ad opus sanctum dignum benedictione. Nosti enim nihil esse verius verbo veritatis, quæ dicit. Omni petenti te tribue. & : Beatius est dare quàm accipere. Nosti etiam quia nihil quæro à te nisi te & gratiam tuam, & quia nec importunus unquam volui esse nec ingratus. Et quid? Ab ineunte ætate mea placui magnis & summis Principibus hujus mundi. Sed tibi singulariter ex dominio naturæ debeo quicquid sum, & ex officio amicitiæ quicquid possum. Dicit autem sapiens: Principibus placuisse viris non ultima laus est. Si Principibus, quanto magis illi Principi qui jure primatus omnes in me Principes antecedit? Et quia novi excellentiam tuam studiis liberalibus, præsertim eloquentiæ, omni opere operam dare, mitto sublimitati tuæ quasdam epistolas quas Dominum Papam & Cancellarium aliosque personatos viros intra hoc biennium memini aliquanto studiosiùs dedicasse; ut scias quia si plus haberem, plus mitterem; sicut de peccatrice muliere virginis filius protestatur: Quod habuit & fecit. Non quòd in me vel ex me aliquid sentiam quod debeat approbari. sed quia sic afficior erga nobilitatem tuam ut ineptias meas apud te plus retegere quàm tegere velim. Parce etiam affectui, qui juxta philosophiam nec Regibus obtemperat, & cui leges imperare non possunt. Rex Regum & Dominus dominantium sic te dominari concedat in dominatione terrena ut non priveris æterna, cùm surrexerit Dominus percutere virga oris sui, & reddet unicuique juxta opera sua.

EIVSDEM EPISTOLA ad Vvillelmum Archiepiscopum Remensem.

SVo Domino Remensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato Nicolaus suus quod suus. Confiteor tibi, Pater, quia peccavi in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus, nisi tua dignatio reducat indignum. Indignus est enim qui beneficium non advertit, sed avertit faciem suam à benefactore suo, indignus pariter & ingratus. Ingratitudo ventus urens, siccans misericordiæ fontem, absorbens flumina gratiarum. Talis ego, & talia quæ paravi. Tuille Remensis cujus remigio navis Gallicanæ Ecclesiæ procellosissima loca secura persulcat. Recepisti me infra sacrarium tuæ familiaritatis; quæ ad recipiendum rara est, ad retinendum constantissima. Non facilè se indulget nisi cui se noverit indulgendum. & hoc morosiori deliberatione. Scriptum est enim: Semper est nobilis familiaritas pernicioſa, & post longam deliberationem & turpis. Dum autem quis receptus fuerit, non est deceptus, factus acceptus illi apud quem in hac parte non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Non habet apud te susurro locum; detractor non apparet, sciens quia subitò adspici sit deprehendi. Rex qui amat verba susurri, ait sapiens, omnes ministros habet impios. Nemo tibi ministrat in ministerio isto, cùm præclari & magni viri his diebus credulitatis vitio fascinentur, non attendentes aut non curantes quod scriptum est: Qui citò credit, levis est corde. A tanto & tali tantillus & talis & taliter susceptus sum ut me mihi surriperet in benedictionibus suis. Ego autem quid feci? Multi dies evoluti sunt quòd nec vidi eum nec scripsi ei, cùm & muta caritas repræsentet spe- Circa an. 1170.

ciem non amantis, & conſpectus habeat aliquid vivæ voluptatis quam mortui apices nequeunt experiri. Excuſabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ eſt inter Remenſem urbem & Arremarenſem Eccleſiam. Sed iter breve eſt & via plana, & plena in circuitu multitudine amicorum meorum. Dicam quia negotioſus fui, ut quatuor dierum ſpatio me ipſum mihi ipſi furari non poſſem. Nimirum homo magnus occupatus eſt in magnis. Sed quis hoc dixerit? Apud profectò inſtrumentum formica plauſtrum trahens. Adiciam quia licentiam veniendi habere non potui, cùm vadam & veniam, eam & redeam tota die. Hæc dicerem ſi ita eſſem ſub poteſtate conſtitutus ut mei ipſius poteſtatem habere non poſſem. Sublatum eſt omne patrocinium excuſandi ad excuſandas excuſationes in peccatis. Non eſt niſi ut veniam petam, & accedam ad pedes ejus qui novit parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Quem humilis agnum, ſublimis invenit elephantem, apponet ut complacitior ſit adhuc. Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Cùm viderit ſervum ſuum, miſerebitur ejus; quoniam multus eſt ad ignoſcendum, cùm ad cognoſcendum peccatum meum ultroneum videat & paratum. Hæc, Domine Pater, locutus ſum ut ſentias, quia etſi tu ita non ſentis, ego tamen ita ſentio in me ipſo. Inter jocunda enim mea, Domine venerabilis, nihil mihi tua dilectione jocundius aut æquè jocundum. Tanto enim de illa lætior ſum quanto & certior ſum quòd non deeſſet mihi in oportunitatibus in tribulatione. Sit beneplacitum ante te ut relitteres mihi quando Remis poſt octavas Paſchæ tuam potero reverentiam invenire, & videam mihi deſideratam faciem tuam.

ACTA CONCORDIÆ INITÆ inter Auscitanam & Cæsarauguſtanam Eccleſias occaſione Eccleſiæ Alagonenſis.

NOvit Dominus refugium, & in tempore iracundiæ inter ..... factus eſt reconciliator. Notum ſit ergo omnibus hominibus quòd Auſcitana Eccleſia frequenti & aſſidua querela Cæſarauguſtanam pulſavit Eccleſiam ſuper Eccleſia de Alagon, quam ex donativo A. illuſtris Regis Aragonenſis & confirmatione venerandæ memoriæ Papæ Innocentij & ſucceſſorum ejus ſe canonicè debere habere fiducialiter aſſerebat. E contrario verò Cæſarauguſtana Eccleſia conſtanter aſſeverabat ſe prædictam poſſidere Eccleſiam ex donativo ejuſdem venerabilis & victorioſi Regit Aragonenſis A. & venerabilis Regis Renimiri & confirmatione ſanctiſſimi Papæ Eugenij & ſucceſſorum ejus. Demum plurimis hinc inde habitis altercationibus, cùm prædicta controverſia debito calculo non poſſet terminari, arbitrio virorum prudentum ſopita eſt altercatio ſupradicta. Siquidem G. Auſcitanæ ſedis venerabilis Archiepiſcopus & ejuſdem Eccleſiæ conventus pari voto & concordi aſſenſu ſe ſuppoſuerunt arbitrio S. reverendi Oſcenſis Epiſcopi & B. venerandi Olorenſis Epiſcopi & magiſtri Richardi Tarrazonenſis Epiſcopi & G. Cæſarauguſtani Archidiaconi & G. Sancij Auſcienſis Archidiaconi & B. viri religioſi Generenſis monachi. Iſti autem viri religioſi prædicti pariter arbitrati ſunt, habito utriuſque partis aſſenſu, quòd facta permutatione in compenſatione Eccleſiæ de Alagon haberet Auſcitana Eccleſia à Cæſarauguſtana Eccleſiam de Pedrola & Eccleſiam Anno 1124

de Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis in perpetuum possidendis, cum omni jure parrochiali, salvo jure diocesiano, videlicet quarta & cæna, obedientia & correctione Clericorum, cura animarum, & vocatione ad synodum, consecratione Ecclesiarum, & confirmatione chrismandorum, & jure archidiaconali, quæ sibi retinuit in perpetuum Cæsarauguſtanus Episcopus. Ordinante verò divina gratia hæc amicabilis compositio unanimiter utrique placuit, & instrumentum præsentis transactionis alphabeto divisum fieri mandavit, & à Metropolitano Tarragonensi & à Domino Papa confirmari rogavit. Ego G. Auscitanus Archiepiscopus voluntate & assensu totius Capituli Auscitani renuntio per me & successores meos universo juri quod Auscitana Ecclesia cujuscunque donativo vel confirmatione habebat vel habere videbatur in Ecclesia de Alagon, & in commutatione secundùm arbitrium prædictum suscipio Ecclesias de Pedrola & Azoec cum omnibus terminis & pertinentiis suis, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Et ego P. Cæsarauguſtanus Episcopus voluntate & assensu Cæsarauguſtani Capituli propter hanc renuntiationem & pacem inter nostram & vestram Ecclesiam sectandam dono Auscitanæ Ecclesiæ & vobis G. Archiepiscopo & successoribus vestris & in perpetuum habendas trado per me & successores meos Ecclesias de Pedrola & Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis, salvo, ut suprà dictum est, jure diocesiano & archidiaconali, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXXII. & æra MCCXX. in mense Novembri, VII. Kal. Decembris, in Iacha, regnante Rege Ildefonso in Aragonia & in Barchinona & in Provincia, & Domino Berengario Archiepiscopo

copo in Tarracona, Episcopo S. in Oscha, Episcopo P. in Cæsarauguſta. Petrus Dei gratia Cæsarauguſtanus Episcopus ſubſcripſi. Berengarius Dei gratia Tarraconenſis Archiepiſcopus. Ego Geraldus Auſcitanus Archiepiſcopus hoc tranſactionis inſtrumentum ſigno meo confirmo & propria manu corroboro. Ego G. Auſcitanus Archidiaconus ſubſcribo, & hoc ſignum facio. Ego Petrus Prior &c. & hoc ſignum facio. Ego Stephanus Oſcenſis Episcopus ſubſcribo, & hoc ſignum facio. Ego Bernardus Olorenſis Episcopus ſubſcribo, & hoc ſignum facio &c. Ego Raimundus hanc cartam ſcripſi, & hoc ſignum facio.

CÆLESTINI III. PAPÆ epiſtola ad Capitulum Narbonenſe, qua confirmat tranſlationem Berengarij Epiſcopi Ilerdenſis ad metropolim Narbonenſem.

Anno 1191. *Vide Innoc. III. lib. 10. epiſt. 68.*

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Capitulo Narbonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quòd Epiſcoporum mutationes utilitatis vel neceſſitatis cauſa poſſint auctoritate apoſtolica licitè fieri tam canonum ſtatuta quàm antiqua ſanctorum patrum exempla manifeſtiùs proteſtantur. Etenim beatus Petrus, magiſter noſter & princeps, de Antiochia Romam tranſlatus eſt, ut ibi magis proficeret. Euſebius quoque Alexandriam, Felix Epheſum pro eadem cauſa fuit hujus almæ ſedis auctoritate tranſlatus. Hac itaque ratione conſiderationis & aliarum plurium mutationum exemplis inducti, nimirum reſpicientes ad utilitatem Narbonenſis Eccleſiæ & neceſſitatem temporis, quo in veſtris partibus hæreſum & ſectarum

ſtudia diverſa guerrarumque conflictus ſolito ampliùs invaluiſſe dicuntur, inſpecta etiam idoneitate perſonæ in quam laudabiliter conveniſtis, licèt ab initio contradictores aliqui obſtitiſſent, de communi tamen fratrum conſilio electionem quam de venerabili fratre noſtro Berengario Epiſcopo Ilerdenſi feciſtis ratam habemus, & auctoritate apoſtolica confirmantes, ipſum vobis concedimus in paſtorem. Mandamus itaque vobis atque præcipimus quatenus deinceps ei debitum honorem & obedientiam tamquam ſpirituali patri veſtro appellatione remota tam hilariter quàm humiliter impendatis, & ita erga eum vos exhibere curetis ut & ipſe, ſicut pater ſollicitus, de regimine veſtro debeat commendari, & vos tanquam devotos filios de obedientia eidem exhibita digna laudum prædicatio proſequatur. Credimus ſiquidem & ſperamus quòd qui in abbatia & epiſcopatu ſe geſſit utiliter & honeſtè, in archiepiſcopatu opitulante Domino ea poterit operari quæ & in temporalibus Eccleſiæ veſtræ proficient & in ſpiritualibus correctionem atque melioracionem divina cooperante virtute præſtabunt. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XI. Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA I. EPISCOPI Lyddenſis ad magiſtrum Michaëlem Decanum Eccleſiæ Pariſienſis & electum Patriarcham Hieroſolymitanum.

An. 1194. DOmino & amico ſuo cariſſimo Dei gratia Hieroſolymitanæ ſedis electo venerabili Pariſienſi Decano magiſtro Michaëli I. ejuſdem permiſſione Lyddenſis Eccleſiæ miniſter humilis in Spiritu ſan-

ctorecta sapere & de ejus semper consolatione gaudere. Vt verbis utamur beati Hieronymi, stultum est docere quod noverit ille quem doceas. Veruntamen familiare est sapienti tolerare nescientem. Confidentiùs & securiùs vobis scribimus quò sermonem nos habere cum sapiente & discreto minimè ambigimus. Sustinete igitur modicum quid insipientiæ nostræ; sed & supportate nos. Sic enim decet prudentiam vestram doctam & instructam ab illo qui docet hominem scientiam. Bonas, optime Doctor, finivias vestras & studia vestra præcordialiter desiderantes hortamur vos cum Apostolo ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Novit siquidem discretio vestra scientiæ & intelligentiæ lumine divinitus irradiata quoniam secundùm veritatis sententiam cui plus committitur, plus ab eo exigitur, & quoniam servus sciens voluntatem domini & non faciens digna plagis vapulabit multis. & secundùm illud Iacobi: Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi. & secundùm beatum Gregorium: Augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. & ubi majus est donum scientiæ, ibi majus est periculum culpæ. Quanto igitur obligatiorem vos esse conspicitis in reddenda commissi vobis talenti ratione, quanto judicem districtiorem scitis & austeriorem in ejusdem exactione, tanto cautiùs & circumspectiùs attendere tenemini & videre vocationem qua superna providente clementia & eadem misericorditer disponente concorditer orientalis Ecclesia vos vocavit tamquam luminare majus in pastorem & magistrum suum, cujus doctrinæ radiis sedentes in tenebris & umbra mortis illuminentur, & tamquam exemplar virtutum, quo perversi corrigantur & aversi reformentur. Si enim vocanti vos Domino & dicenti, Amice ascende superiùs ut luceat lux tua coram hominibus & videant opera tua bona, in auditu auris obedire

volueritis, & ei in via virtutis suæ obedire contempseritis, cùm vobis exemplum dederit ut quemadmodum ipse fecit ita & vos faciatis, timendum admodum vobis erit ne cum illis de quibus dicitur, Dejecisti eos dum allevarentur, incipiatis cum rubore novissimum locum tenere, & qui hactenus geminæ scientia efficacissimè claruistis, morum elegantia & virtutum eminentia laudabiliter enituistis, instrumenta virtutum vobis à superno largitore collata, si eis ad gloriam & honorem ipsius & terræ sanctæ, quam pro vestra omniumque salute proprio cruore misericorditer consecravit, exaltatione uti neglexeritis, vobis tamquam ingrato subtrahantur, & à peregrè profecto in exactione lucri duro & austero, cùm in plenilunio rationem cum servis positurus redierit, vobis tamquam servo inutili, pigro, & laborem pro ipso subire nolenti dicatur: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et tunc erit vobis confusio, dedecus, & ignominia coram simul discumbentibus. Dum igitur, optime Doctor, tempus habetis, bonum ad omnes operari non desistatis, maximè autem ad eos qui vos inspirante Deo, tamquam oves errantes non habentes pascua, tam ardenter & affectuosè, expetunt habere in pastorem & Episcopum animarum suarum: quorum desideriis & petitionibus deesse, quibus auxilium & consilium in hac necessitate subtrahere, illius est offensam incurrere qui cùm in forma Dei esset, propter nos & propter nostram salutem semetipsum exinanivit formam servi accipiens, egenus & pauper effectus adeo ut non haberet ubi caput reclinaret, cùm vulpes foveas haberent & volucres cœli nidos. Videat itaque, vates egregie, discretio vestra quàm periculosum, quàm juri sit contrarium, quàm indecens, quàm indignum, in terra illa paupertatem pro illo vereri sustinere in qua dives in omnibus dominus majestatis

& conditor universitatis, in cujus ditione cuncta sunt posita, pro nobis egere dignatus est & mendicare, in qua venit non ministrari sed ministrare & animam suam redemptionem dare pro multis, in qua causa nostræ reparationis tot indigna pertulit, opprobrium hominum & abjectio plebis factus, & ad ultimum morte turpissima condemnatus. Christo igitur pro nobis in carne passo, pro nobis in cruce clavis confixo, Doctor amandissime, compatiamur: quoniam si compatimur, & conregnabimus. Valete, & nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quid autem super his animi geratis, vestrarum occursu litterarum desideramus & instanter petimus edoceri.

Chronicon Alberici ad annum 1194. *Magister Michael Decanus Parisiensis, vir theologus & religiosus, in Patriarcham Hierosolymorum est electus; sed antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis Archiepiscopus.*

LITTERÆ CAPITVLI Remensis ad Abbatem Claravallensem, qui est in Episcopum electus.

BOnorum omnium elargitor, qui fidelium actus in suæ beneplacito voluntatis disponit, actiones & voluntates nostras ita reddidit uniformes quòd post felicis memoriæ Vvillelmi Archiepiscopi Remensis vos in patrem elegimus & pastorem. Vnde gaudet Ecclesia, sereniſſimus Rex Francorum plurimùm conlætatur, & plebs universa congaudet, quòd Claravallensis Abbas obtinet sedem Remensem, qui virtutum claritudine metropolitanam faciet Eccle- An. 1204.

fiam refulgere. Veſtram igitur ſanctitatem confidentiùs exoramus quatenus electionem recipere dignemini, nobis terminum aliquem præfigentes in quo pro nobis venire honorabiliter debeamus.

Reſponſiva electi electioni renuntiantis.

Licèt fueritis in eligendo concordes, in electionis tamen ſerie oberraſtis, cùm illum duxiſtis ad ſecularia revocare qui jam poſtpoſito Marthæ miniſterio, appetit cœleſtia contemplari. Ne igitur in vanum ulteriùs laboretis, vobis tenore præſentium innoteſcat quòd electioni penitùs renuntio, nec unquam alicujus honorem ſuſcipiam præſulatus.

Litteræ iterum Capituli ad eundem.

Eccleſia Remenſis fracto archiepiſcopali temone ſine remige naufragatur. Et iccirco vos elegimus in Archipræſulem & paſtorem, quoniam in alio nequimus eſſe concordes. Vnde miramur quòd electioni tam concorditer factæ renuntiare duxiſtis, non attendentes quòd beatiſſimi Nicolaus & Martinus conſervando regulæ monaſticæ diſciplinam in pontificalibus cathedris reſederunt, in quibus multa caritatis opera exercentes, ſignis & miraculis coruſcarunt, & hodie ipſorum merita noſcuntur in domo Domini relucere. Paternitati veſtræ igitur confidentiùs ſupplicamus ut votis noſtris clementer annuere dignemini & electioni factæ dilatione poſtpoſita conſentire. Alioquin per ſummum Pontificem cogemini ſubire archiepiſcopale onus quod ab ſubiciles & humiles perſuaſiones fidelium ſuſcipere denegatis.

Reſponſiva electi contradicentis.

Cùm nuper inter Claravallenſis ordinis fratres in pace ſolita permanerem, fratrum regimini ex aſ-

sumpto administrationis immo servitutis officio superintendens, insufficientiæ meæ vestris litteris intimastis quòd me in Archiepiscopum elegeratis; cujus electioni renuntiavi penitùs, prout meis litteris potuistis evidentiùs intueri. Sed postmodum ex parte universitatis vestræ fuerunt mihi litteræ apportatæ in quibus continebatur quòd me per summum Pontificem cogeretis. In quo plurimùm fui secundùm vestrum hominem conturbatus; quia non decet ordinem monachalem in archiepiscopali cathedra residere, & maximè cùm juxta nominis interpretationem monachus unus tristis dicatur, & monasterium statio unius. Non esset igitur mutatio dexteræ excelsi, sed fieret ordo retrogradus & ingressibilis ad mundana. Ceterùm qui monachus in urbe, vel qui debet agere solitarius inter plebeias catervas, diceretur quidem à multis: Non dimisit seculum ut transitoria fugeret & caduca, & iterum velut canis immundissimus revertitur ad vomitum, & qui consueverat legumina sumere cum actionibus gratiarum, nunc mella fastidit & cibaria delicata, super palafredum rotans undique phaleratum, inebriando se vino, in quo est luxuria, loco aquæ simplicis quam sumi prædicat regula monachalis. Nec tenet similitudo quam de beatissimis Nicolao & Martino proponitis: quia tunc non habebant castella & arces Ecclesiæ cathedrales, nec incedebant Pontifices loricati. Sed nunc propter superabundantiam temporalium rerum flamma, ferro, cæde possessiones Ecclesiarum Prælati defendunt, quas deberent pauperibus erogare. Quapropter electioni renuntiavi & iteratò renuntio, cupiens sedere ad pedes Domini cum Maria, quicquid Dominus Papa referat; qui licèt ligandi & solvendi habeat potestatem, non tamen debet nec valet sanctum spiritum prohibere.

MANDATA VELLETRENSIBVS, Coranis, & Sarminitanis data ab Hugolino Episcopo Ostiensi pro conservanda pace cum Nimphanis & Sitinis.

Circa annum 1207.

DOminus Hugolinus Ostiensis & Velletrensis Episcopus pro facienda & conservanda pace fecit mandata quæ inferiùs continentur Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis ex una parte, Nimphanis, Sitinis, & Iordano procuratori Sanguinei castellani Aquæ putridæ ex altera.

In nomine patris & filii & spiritus sancti. Amen. Ego Hugolinus Ostiensis & Velletrensis Episcopus præcipio vobis Velletrensibus, Coranis, & Sarminitanis ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa ut reddatis veram, puram, & perpetuam pacem Nimphanis, Sitinis, Sanguineo, fratribus & nepotibus suis, & hominibus Aquæ putridæ, & securitatem personis & rebus eorum, ita quòd nullam de cetero guerram, discordiam, vel controversiam faciatis pro omnibus captionibus & captivis, incendiis, discordiis, & rapinis, damnis & offensionibus universis datis vobis vel aliquibus de parte vestra à Nimphanis, Sitinis, Sanguineo & hominibus Aquæ putridæ, vel aliquibus de parte eorum.

Item præcipio vobis Nimphanis & Sitinis & tibi Iordano procuratori Sanguinei castellani Aquæ putridæ ex parte Domini Papæ & mea ex debito præstiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejussionis promissa, ut reddatis veram, puram, plenam, & perpetuam pacem Velletrensibus,

Coranis, & Sarminitanis, & ſecuritatem perſonis eorum, ita quòd nullam de cetero guerram, diſcordiam, vel controverſiam faciatis pro omnibus captionibus & captivis, incendiis, diſcordiis, & rapinis, damnis & offenſionibus univerſis datis vobis vel aliquibus de parte veſtra à Velletrenſibus, Coranis, Sarminitanis, vel aliquibus de parte eorum.

Item præcipio vobis Velletrenſibus ex parte Domini Papæ & mea ex debito præſtiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejuſſionis promiſſa ut ſervetis de cetero inviolabiliter pacem Nimphanis ſecundùm formam datam olim à me, quæ in inſtrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrenſium & Berardi ſcriniarij Nimphani, exceptis omnibus capitulis in quibus de mandato meo à Nimphanis eſt vobis Velletrenſibus ſatisfactum; hoc adjecto, ut ſi quando neceſſitate cogente equitaveritis contra eos, tribus diebus antè ipſis denuntiare curetis. Et tunc ſi equitaveritis, equitabitis ſine occiſione, mutilatione, & incendio. Et hæc omnia præcipio ſalva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, & ſalvo mandato Domini Papæ & ejus adjectione & declaratione.

Item præcipio vobis Nimphanis ex parte Domini Papæ & mea ex debito præſtiti juramenti Domino Papæ & mihi & pœna fidejuſſionis promiſſa ut de cetero ſervetis inviolabiliter pacem Velletrenſibus & ſecundùm formam datam olim, quæ in inſtrumentis publicis continetur factis per manus Oddonis & Alberici judicum Velletrenſium & Berardi ſcriniarij Nimphani, exceptis omnibus illis capitulis in quibus de mandato meo à vobis eſt Velletrenſibus ſatisfactum; hoc adjecto, ut ſi quando neceſſitate cogente equitaveritis contra eos,

tribus diebus antè ipsis denuntiare curetis. Et tunè si equitaveritis, equitabitis sine occisione, mutilatione, & incendio. Et hæc omnia præcipio salva in omnibus Dei omnipotentis reverentia & honore, & salvo mandato Domini Papæ & ejus adjectione & declaratione, & salvis omnibus justitijs apostolicæ sedis, & juramento præstito Comiti Iacobo Domini Papæ Mareſcalco.

Conligationes præterea, societates, & juramenta hinc inde facta cum aliquibus contra formam pacis & præstita juramenta & pro facienda guerra, quia contra Deum sunt, & bonum pacis impediunt, irrita omnino decerno. Et omnes quicunque cònligationes, societates, vel juramenta prædicta fecerunt denuntio juramentis talibus non teneri, maximè cùm per apostolicam sedem societates & conligationes hujusmodi sint specialiter interdictæ.

Tenutas verò & possessiones Nimphanis, Sitinis, Coranis, & Sarminitanis, & hominibus Aquæ putridæ, & aliis omnibus præcipio esse salvas. Et si super eis aliquid, quod absit, exortum fuerit quæstionis, ad superioris judicium recurratur, vel si malueritis, per arbitros aut amicabili concordia terminetur.

Et supradicta omnia præcipio sub pœna mille librarum, præter prædictas pœnas; cujus medietas Ecclesiæ Romanæ, aliâ verò parti quæ contra formam pacis & mandata prædicta offensa fuerit persolvatur. Et salvis omnibus alijs mandatis quæ Dominus Papa vel ego per nos ipsos litteris vel nuntio utrique parti duxerimus facienda.

ALPHONSI REGIS CASTELLÆ epistola ad Philippum Augustum Francorum Regem, qua ab eo petit auxilium adversùs Sarracenos.

SEreniſſimo Domino Philippo Dei gratia Francorum Regi Alfuſus eadem gratia Catillenſium Rex, ſalutem in eo qui dat ſalutem Regibus. Dubitare mori nemo debet pro Chriſti nomine, cùm legatur Chriſtum mortem pro populo pertuliſſe. Semen Chanaan, & non Iuda, violenta progenies, incircumciſus populus & immundus, maculatæ mentis & conſcientiæ gentiles regno proximi ſunt & confines, vaſa mortis in manibus ſuis continentes, nos & ſanctæ fidei profeſſores tam innata malitia quàm aſſueta perfidia perſequuntur. Ab eis non minus quàm mortem expectamus. Proh pudor! & in miniſtros altaris non deſinunt degraſſari. Gaudium eorum eſt & affectus mutilare ſervos ſimul & filios crucifixi. Memoramus quòd idolatræ Trinitatis hoſtes noſtrum ſanguinem ſitientes in noſtras animas conjurarunt. Sed nos offerre volentes noſmetipſos ſacrificium Deo in odorem ſuavitatis, in inſtanti die Maij cum eis qui viam pacis minimè cognoverunt, ante quorum oculos Dei timor non eſt, ſumus proculdubio confligturi, firmiter confidentes quòd licèt pauci ſimus, & ipſi multiplicati ſint in equis & curribus necnon & numero, de cælo nobis adveniet fortitudo. Cùm igitur murum integritati ſolitum debeatis & vallum fidei providere, ſerenitati veſtræ preces porrigimus cum ſingultu quatenus de regno veſtro vernaculos expeditos & armatos milites ad

Anno 1210. *Vide Roder. Tolet. lib. 8. c. 2. & Marian. lib. 11. c. 23.*

noſtrum coadjutorium tanſmittatis, nihil dubitantes quia ſi ſanguis noſter in conflictu Chriſti reſpondet ſanguini, verè poterimus inter martyres computari.

HONORII III. PAPÆ epiſtola ad Raimundum Rogerium Comitem Fuxenſem.

Anno 1216.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro R. Comiti Fuxenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm olim à dilecto filio noſtro Petro Tituli ſancti Laurentij in Damaſo Preſbytero Cardinali tunc apoſtolicæ ſedis Legato abſolutionis beneficium accepiſti, eidem inter alia juramento præſtito promiſiſti quòd ſuper his pro quibus excommunicatus extiteras apoſtolicis deberes parere mandatis; & ob hoc caſtrum Fuxi aſſignati feciſti eidem, tuis cuſtodiendum expenſis. Præterea pro Rogerio Bernardi filio & Rogerio de Comengia nepote tuis, ut mandatis apoſtolicis obedirent, eidem Cardinali caſtrum obligaſti prædictum. Propter quod idem caſtrum auctoritate ſedis apoſtolicæ fuit hactenus cuſtoditum. Nuper autem per proprios nuntios ad ſedem apoſtolicam deſtinatos à nobis inſtantiſſimè poſtulaſti ut dictum caſtrum tibi reſtitui faceremus. Licèt verò à nonnullis nobis ſuggeſtum fuerit quòd tu, poſtquam caſtrum recuperaveris ſæpedictum, negotium pacis & fidei perturbabis, quia tamen huc uſque præfati Cardinalis diſpoſitionibus & apoſtolicis mandatis humiliter paruiſti, nec volumus quòd Eccleſia Romana valeat à quoquam de fide non ſervata redargui, cùm etiam manus noſtra non

sit abbreviata quò minùs te refrenare possimus si, quod non credimus, nostris præsumeres obviare mandatis, venerabili fratri nostro Magalonensi Episcopo & dilecto filio Priori Fontis frigidi Narbonensis diocesis damus nostris litteris in mandatis ut à te, filio, & nepote tuis prædictis recipiant sufficientem juratoriam & fidejussoriam cautionem quòd negotium pacis & fidei non turbetis, immo pacis formam servetis in illis partibus institutam, & recipiant etiam super hoc litteras vestras patentes, in quibus contineatur expressè quòd si contra facere tentaretis, supradictum castrum incideret in Ecclesiæ Romanæ commissum, Abbati sancti Tiberij, qui castrum prædictum hactenus custodivit, in quindecim milibus solidorum Melgorienſium pro expensarum parte quas in custodia ipsius castri fecisse dinoscitur faciant à te solvi, quibus rite per actis, idem castrum, sublato cujuslibet donationis, contradictionis, & appellationis obstaculo, faciant tibi reddi, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Cùm igitur in prædictis benignitatem sedis apostolicæ sis expertus, nobilitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, præsentium tibi auctoritate sub debito dudum à te præstiti juramenti districtè præcipiendo mandantes quatinus negotium pacis & fidei de cetero non impugnes, sed pacem observes in illis partibus institutam, & illud idem per jamdictos filium nepotemque tuos facias pro posse tuo firmiter observari; ita quòd propter hoc gratiam vinam & nostram valeas pleniùs promereri. Alioquin tanto ampliùs aggravaremus super te manus nostras quanto manifestiùs cognosceremus in hac parte per te nobis illusum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Idus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

EIVSDEM EPISTOLA ad Amalricum Comitem Tolosanum.

An. 1220. HOnorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Amalrico Comiti Tolosano salutem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Sanè in registris bonæ memoriæ Innocentij Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri quòd ipse Biterrensem, Carcassonensem, & Albiensem civitates, ac alias hæreticorum terras quas Dominus tradidit in manibus inclitæ recordationis patris tui ac exercitus Christiani, eidem patri tuo, cui principes ejusdem exercitus cum consilio Legatorum apostolicæ sedis illas regendas commiserant, necdum heredibus ejus in fide catholica & devotione sedis apostolicæ permanentibus confirmavit, principalium dominorum & aliorum, si quibus fortè competit, jure salvo, exceptis hæreticis & fautoribus, credentibus, defensoribus, & receptatoribus eorundem, eodem patre tuo tres denarios per singulas domos ejusdem terræ annualiter Romanæ Ecclesiæ promittente ad indicium quòd terras ipsas in devotione apostolicæ sedis & sancta religione conservare de cetero disponebat, idem prædecessor noster statuit in Concilio generali ut terra quam crucesignati obtinuerunt adversùs hæreticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, cum Montealbano atque Tolosa dimitteretur atque concederetur, salvo catholicorum per omnia jure virorum, mulierum, & Ecclesiarum, Comiti memorato, ut ab illis teneret à quibus est de jure tenenda, Nos tuis justis precibus inclinati, terras quas ipsi patri tuo & heredi-

bus ejus dictus prædeceſſor noſter noſcitur confirmaſſe, ad ejus exemplar tibi ac heredibus tuis auctoritate apoſtolica confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Quod verò de aliis concedendis & dimittendis eidem patri tuo ordinavit in Concilio generali, circa te ac heredes tuos habere decernimus robur perpetuæ firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Nonas Iunij, pontificatus noſtri anno quarto.

EIVSDEM EPISTOLA ad Ludovicum VIII. Francorum Regem.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei carissimo in Chriſto filio Ludovico illuſtri Regi Franciæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ann. 1225.
Cùm Reges & Principes Chriſtiani proprer Eccleſiam matrem ſuam, ex qua ſpecialiter nati ſunt, & quam à Chriſto, ut eam temporibus ſuis foveant, ſuſcepere fovendam, Deo teneantur reddere rationem, grave nimis debes gerere ac indignum quòd intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigenſibus, hæretici manifeſtè ac intrepidè impugnant Eccleſiam, fidem Chriſtianam evacuant, & dilacerant ipſum Chriſtum. Certè Nabuchodonoſor Rex decrevit, dicens: *Quicunque locutus fuerit blaſphemiam in Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in diſperſione.* Dan. 3. Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne de-

beret Deus Israel blasphemari, commotus, tu Regum Christianissime, devotissimorum Principum successor & heres, cum quo devotio Christiana convaluit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari à talibus patieris? Denique si potestates seculi & rectores raptores persequuntur & fures, tu, qui regni solium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretiosiores cunctis substantiis furantur & rapiunt, non purgabis? Sanè præceptum à Domino legitur: *Si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic dicentes, Eamus, & serviamus diis alienis quos non nostis, pones illos in ore gladij & igne civitatem incendes.* Nimirum etsi pro immensis in hoc seculo beneficijs Deo, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, teneaRis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortiùs obligatum ut pro ipso in fidei subversores, à quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendentes dæmoniorum doctrinis ejeciſſe noscuntur, viriliter te opponas. Porrò non absque dolore cordis & gravi mentis amaritudine recolere possumus quòd cùm ad stirpandum inde pestem hæreticam multis sit personarum & rerum dispendiis laboratum, penè omnia in confusionem antiquam, populi Christiani peccatis exigentibus, sunt reducta, & ille qui felicibus invidet actibus, sic armavit in Antichristi præambulos partes suas ut diffundentibus illis intrepidè ac latiùs pravi dogmatis sui virus, verendum est plurimùm ne ipsorum veneno regnum tuum in fide ac devotione præ aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam, tamquam in principalem partem concussam, nova persecutio excitetur. Multò ergo desiderio expectantes ut per te catholicorum

Deuter. 13.

licorum Principum ſucceſſorem impijs eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & peſtis hujuſmodi regnum Franciæ maculet, cui jam apertè ſuos extendendo laqueos appropinquat, celſitudinem regiam monemus, rogamus, & obſecramus in Domino quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accenſus, oblatis Deo tuæ coronationis primitiis, cauſam hujuſmodi, quæ Chriſti eſt, tibi, per quem poſt Deum poſſe feliciùs agi æſtimatur, aſſumas, pro certo ſciturus quòd ſuper hoc licèt multùm Romana Eccleſia laboraverit, non ſolùm ſpirituale, ſed temporale auxilium in perſonis & rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati ſumus adhuc & laborem aſſumere & conſilium & auxilium impertiri. Cùm autem hoc negotium ſummæ pietatis ſe ingerat, & ex eo videatur agi etiam cauſa tua, quòd peſtis ipſa loca jam tibi vicina venenat, citò, cariſſime fili, Chriſto & Eccleſiæ potenter & patenter, prout Dominus tibi poſſe tribuit, in hac parte ſuccurras. Nam poteſtatem propterea ſuſcepiſti ut per te perſecutores Eccleſiæ temporaliter, quod ipſa non poteſt facere, conterantur. Et quidem ſi, prout confidimus, Chriſti & fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, ut zelum, ſicut potes, habeas tantam injuriam vindicandi, quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei ſubverſionem contingeret imputari, ſperamus in eo qui pueri propoſitum provehit, & conſilium diſſipat peccatorum, quòd negotium in manu tua proſperabitur, & magnitudo tuæ devotionis & fidei contritis hæreticis clariùs eluceſcat. Ceterùm cùm, ſicut intelleximus, nobilis vir Amalricus Comes Toloſanus quicquid juris habet in terra tibi ſit offerre paratus, in dominio tuo illud accipias, à te ac heredibus tuis liberè

deinceps & quietè jure perpetuo possidendum. Ad hoc pro certo noveris quòd Raymundum quondam Tolosanum Comitem & filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licèt benignè admoniti, revertuntur, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Venerabiles verò fratres nostros Archiepiscopum Bituricensem, & Lingonensem & Sylvanectensem Episcopos, qui de tuo regno existunt, & tibi favorabiles credimus & devotos, & tui non dubitamus honoris existere zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus præsentiam destinandos; quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obedientiæ hujusmodi onus injunximus, nostram & Ecclesiæ petitionem tam necessariam affectuosè ac efficaciter studeas exaudire. Datum Laterani XIX. Kalendas Januarij, pontificatus nostri anno octavo.

EPISTOLA CVIVSDAM historica de victorijs Regis Davidis in oriente.

Circa annum 1220.

VErborum abundantiam transmittit affectio. Garrula enim res amor est, & teste Salomone loquelam suggerit amor quam negat ingenium. Cùm igitur desiderij peregrinationis finis & expectationis meæ complementum sit terræ sanctæ deliberatio & paganorum confusio, ea quæ tam à Christianis quàm quæ non solùm à minoribus immo etiam à majoribus Sarracenis & Magistro Templi audivi referre, præsenti pagina vobis significo, & propter multò certiùs quia adversæ partis testimonium manifestæ veritatis est argumentum, &

multa multotiens de alteris Machabæis orientalibus relata sunt, quæ de ipsis recenter inciderunt, vetera prætermittentes, vobis significo. Sanè cùm Rex David nuper totam Persiam sibi subjugaret, de Iorgianis volentibus terram Seraphi defendere, propter treugas ad invicem contractas, & cum ipso confligentibus, multa milia hominum in ore gladij ceciderunt, illisque devictis, quandam eorum civitatem nobilissimam nomine Thelfi sibi occupavit, & omnes inclusos detruncavit. Videntes igitur Ieorgiani quòd potentiæ suæ non valebant resistere, se esse Christianos recognoverunt, & cum eo pacem facientes, ei unanimiter adhæserunt, & cum eo militant in expeditionibus. Prædictus igitur David cùm quandam civitatem nomine Arges appropinquaret, ejusdem civitatis pagani usque ad viginti milia ei obviam exierunt ad confligendum cum eo; quos prædictus David concludens detruncavit, ita quòd non erat aliquis eorum qui civitati prædictæ agenda eorum nuntiaret. Quod videntes quidam mercatores, versùs Mareth civitatem iter arripuerunt cum viginti milibus camelorum omni genere negotiationis oneratis. quos videntes præcursores David prædicti, usque ad Catram civitatem illos insecuti sunt, & eos pro majori parte cum omnibus spoliis ceperunt; & qui de illis evaserunt, apud Aman venientes, prædicta pro certo nuntiaverunt. Prædictus quidem David prædictam civitatem nomine Argis feliciter expugnavit. Aiunt quidam illam civitatem habuisse quadringentas turres, & super unamquamque turrim unus trabuchellis fuit erectus. Et cùm prædictus David de prædicta civitate recederet, præparavit se ad obsidendam civitatem magistram terræ Seraphi nomine Kalat. Pro qua re prædictus Seraphus in stuporem & pusillanimitatem conversus est, verens

Vide T. VIII. Spicilegij Dacheriani pag. 379.

amittere regnum & gentem & totam terram suam, cuidam fratri suo non solùm commisit, immo etiam illum Dominum & Soldanum super eam constituit, & se de toto regno deposuit. Quamvis igitur de numero exercitus prædicti David inæstimabili & facto ejus secundùm causas inferiores impossibile videatur narrare fabulosum, de Dei tamen gratia, apud quem nihil impossibile, qui prout vult omnia disponit & mutat, posse fieri non erit vanum æstimare. Vniversi pro Christianitate captivi quasi una persona ab intimo cordis vocem eructuant clamantes incessanter: *Educ, Domine, de carcere animam meam. Vsquequo ..... exaltabitur inimicus meus super me. Visita me igitur Deus in salutari tuo, & propter miseriam compeditorum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Quasi respondeat eis: *Quia ecce dies veniunt, & suscitabo David germen justum, & sapiens erit, & faciet justitiam in terra Israëlem, & quia induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum nisi in manu forti, quæ est David, visitabo in virga iniquitates eorum.* Malos enim malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, ut amodo faciat uvas quæ huc usque fecit labruscas. Et non est prætermittendum quòd David dicitur filius Iohannis Regis. quod non caret mysterio. Sicut enim filij quadam virtute innata à patribus generantur, sic & omnis fortitudo virtutis habet meritum. A prima gratia, quæ dicitur præveniens, quasi virtute generata successivè procreatur. Et quamvis omne significans naturaliter debeat præcedere suum significatum, in hoc tamen opere prius & posterius non conveniunt insimul. Prædictus igitur David plurimis conflictibus agitatus, multis offendiculis fatigatus, manus suas à salubri incepto non retrahit, immo dicit: Prosequar & comprehendam inimicos crucis, & non revertar

donec deficiant, quia polluerunt tabernaculum Domini, & effuderunt sanguinem servorum suorum tamquam aquam. Vnde est quòd mea parvitas vestræ circumspectæ discretioni supplicare non sufficit quatinus cum Christi agonytis admilitare vos non fastidiat, rectè considerantes quòd certantium in agone solis comprehendentibus bravium conceditur. Et quia meæ partis .... sum ita quòd omnibus scribere valeam, vos rogo quatinus prædictos rumores Domino R. Capellano de Ra. & magistro G. de sancto Ægidio significetis. Transmitto etiam vobis omnia nomina regionum quas prædictus David cepit & expugnavit. Datum apud Antheradensem civitatem ultima die sabbati ante mediam quadragesimam.

In primis cepit Rex David terram Elietho, & habet duodecim civitates. Et postea cepit terram Barith, & habet octo civitates. & postea terram Segon. Et de terra Sagal usque Casaar sunt quadraginta dietæ. & de Casaar usque Farsana & Methina decem dietæ. & de Causat usque Bothora viginti dietæ. Et hæc est circa dominationem terræ illius. Et præter prænominatas civitates sunt in eadem terra parvæ villæ & castella usque ad ccxx. Et amplius cepit & transivit Gion, & cepit regionem Regis in Canado & civitates Thorosan. Et habet civitates magnas Hamo & Bende, Nexio & Marue, & Sarves, & Ayy, & Nicheshalx, Satrastinam, Carbaniebam, Messavar, & Baalx, & Nare, & Bessathan, & Seri, & Demoad, & parvis civitatibus & castris ccxxxii. Et venit ad regionem Semhar, & cepit eam, & Mehedaram, & omnes ejus dominationes. & sunt decem magnæ civitates & ccxx. castella. Et postea venit ad regionem Caureſmashat. Et sunt ejus dominationes in longitudine & latitudine pariter trium mensium. Et to-

tam illam regionem cepit. Et venit ad regionem Regis Teheris. Et hæc est Elkarach magnum. Et sunt magnæ civitates ..... primò Ray, & Heshar, & Raccan, & Theruth, Gon, Cassan, & Nassava, & Spahan, & Hinadam. Sunt ibidem civitates magnæ & parvæ & castra CCCXX. Et venit ad regionem Dadarteaquam. Et habet XLVII. civitates magnas, in primis Mannar & Esno. Et venit ad Guaniam, & cepit eam, & dominationem Enur, Boberithir, & duodecim magnas civitates, & CLXXVII. villas & castra. Rex autem David habet in societate sua servos CLV. milia, qui non sunt de lege sua, Kasser Turchs. Et habet CXXXII. milia militum, qui non sunt de lege sua, qui vocantur Biarach. Et postea cepit totam Persiam, & nuntios suos præmisit Caliphæ apud Baldach, sicut sæpius audivistis. Sed quare Baldach non expugnavit, ignorant omnes rumiferi. Postea cum Georgianis conflictum habens, cepit eorum magistram civitatem nomine Thelphi. sed postea concordati sunt cum eo. Postea superatis XX. mille Sarracenis, & multis spolijs captis, expugnavit Argys civitatem fratris Seraphi; & hinc, ut aiunt, venit obsidere civitatem magnam terræ Seraphi nomine Kalat.

LITTERÆ PHILIPPI IV. cognomento Pulchri Francorum Regis de ducentis libris Turonenſibus anno quolibet dandis Matthæo Epiſcopo Dunkeldenſi in Scotia ad ſublevandam ejus inopiam.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Notum facimus quòd inopiæ dilecti noſtri Matthæi Epiſcopi Dunkeldenſis in Scotia pio compatientes affectu, eidem dedimus & conceſſimus ducentas libras Turonenſes capiendas à dicto Epiſcopo in theſauro Pariſius, videlicet centum libras in feſto Aſcenſionis Domini, & alias centum libras in feſto omnium ſanctorum immediatè ſequenti, & ſic deinceps annis ſingulis quandiu noſtræ placuerit voluntati &c. Datum Pariſius die Mercurij poſt feſtum beatæ Luciæ virginis anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo. Anno 1298.

LITTERÆ BENEDICTI XII. Papæ ad Capitulum Narbonenſe, de pravis moribus Clericorum Eccleſiæ Narbonenſis.

BEnedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Narbonenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm illos in Eccleſiæ corpore vitioſos audimus qui alios in viam dirigere mandatorum Domini & revocare ab erroribus tenebantur, anxietate cordis affligimur, attendentes quòd humani generis inimicus eos potiùs cor- An. 1334.

rumpere satagit ex quorum plures corrumpi valeant corruptela. Sanè postquam divina miseratio ad summi pontificatus apicem nos provexit, nonnulla sinistra, quæ de clero vestræ Narbonensis Ecclesiæ nobis olim relata fuerant, sæpius, cùm status inferior nos haberet, nostris extiterunt auribus non sine magna displicentia inculcata; de quibus aliqua, videlicet pauca de multis, providimus serie præsentium explicanda. Nam in Ecclesia ipsa, quæ sicut caput existit aliarum Ecclesiarum provinciæ Narbonensis, sic præ illis exemplari vita & operibus virtuosis cultusque divini decore fulgere deberet, idem cultus, propter quem clerus ibidem principaliter constitutus est, negligitur, beneficiatis & intitulatis ejusdem Ecclesiæ, laxatis rationis & honestatis habenis, per campum licentiæ post suas currentibus indomitas voluntates; & quod est pernicioſum & detestandum plurimùm, quamplures ex eis continentiæ jugo, cui se submiserant voluntariè, damnabiliter & inverecundè in majorem suam confusionem abjecto, sicut mulus & equus, quibus non est intellectus, potiùs suas inordinatas voluntates sequentes quàm rationis imperio se regentes, fœtoribus luxuriæ turpiter se involvunt, mulieres suspectas seu focarias concubinas tenendo, in illa quæ mater pudoris ac munditiæ conservatrix debet existere, scilicet Ecclesia sancta Dei, quantum in eis est, constituentes prostibulum & lupanar, ejusque nobilitatem in ignominiam convertentes, non attento quàm crudeliter famam suam negligunt & quàm graviter tam ipsi quàm illi qui hæc sic abominanda tenerentur & deberent corrigere, in conspectu Domini ex his cadunt. Verisimiliter siquidem opinamur quòd ex præmissis & aliis commissis ibidem contra divinum beneplacitum & omissis ille qui Ecclesiam sui pretiosi sanguinis aspersione comparavit meritò provo-

catus, variis perſecutionibus & oppreſſionibus permiſit his præteritis temporibus vos vexari, quæ aliis temporibus, quibus talibus non irritabatur offenſis, minimè contigerunt. Nec aliud, ex quo Deus non parum offenditur, volumus ſubticere, quòd bona innumera, quæ pro ejuſdem Eccleſiæ Narbonenſis fabrica hactenus ex diverſis eleemoſynis & aliis proventibus provenerunt, non in utilitatem ejuſdem fabricæ, niſi duntaxat modica, ſed in uſus ſeu potiùs abuſus alios damnabiliter ſunt conſumpta. Cùm autem præmiſſa & alia multa quæ circa materiam hujuſmodi, quæ ad præſens ex cauſa honeſtatis ſub ſilentio præterimus, non intendimus ulteriùs, ne culpam aliorum noſtram videamur facere per tepiditatem & negligentiam, tolerare, diſcretionem veſtram attentiùs exhortamur in Domino, vobiſque nihilominus per apoſtolica ſcripta diſtrictiùs injungendo mandamus, quatenus primò quod in vobis prævia diligenti mentis diſcuſſione vitioſum vel tenebroſum repereritis, ne in vultu medentis ulcus quod opus ejus reddat contemptibile vel reprehenſibile appareat, purgantes, abicientes, & clarificantes omnino circa divinum officium & utilitatem Narbonenſis Eccleſiæ, prout ad hæc tenemini & ſtatuta ipſius Eccleſiæ vos aſtringunt, vacare & intendere omni ſemota negligentia ſtudeatis, & nihilominus per ordinationes & ſtatuta ſalubria facta vel auctoritate noſtra, prout opportunum extiterit, facienda taliter non ſolùm verbis, ſed effectivis operibus diſponatis & ordinetis quòd omnes & ſinguli beneficiati & intitulati in eadem Eccleſia horis canonicis diurnis pariter & nocturnis Miſſarumque ſolemniis interſint continuè reſidentes & pſallentes, & peragentes divina officia, ut tenentur, quòdque illi qui non interfuerint, ceſſante tamen cauſa legitima & honeſta, in eiſdem ſingulis horis, punctenn-

tur & perdant certam partem suorum proventuum, quos per modum distributionum ordinatarum vel ordinandarum essent in horis hujusmodi percepturi, nec ab eadem residentia & divinis obsequiis propter negotia vestra vel alia, nisi causa supereresset utilis, honesta, & necessaria, & hoc duntaxat pro diebus paucis aliquibus, prout vobis expedire videbitur, excusentur, abiciant nihilominus à se penitùs concubinas & quasvis mulieres suspectas, honestam de cetero & exemplarem vitam ducentes. Aliàs verò, si fuerint incorrigibiles in hac parte, à corpore cleri ejusdem Ecclesiæ, tamquam infecta membra & putrida, ne corpus ipsum inficiant, abscidantur, appellatione remota, & ab ipsa Ecclesia removeantur omnino, loco illorum aliis viris honestis & idoneis, qui honestè Deo serviant & suum expleant ministerium, subrogatis. Vos etiam & vestrum singulos punctari & distributiones quas tunc percepturi essetis perdere volumus, si forsan in horis canonicis non interfueritis, prout ad id jura & statuta ejusdem Ecclesiæ vos astringunt, nisi à dicta Ecclesia pro negotiis ejusdem necessariis vel utilibus, aut lectionibus audiendis in scholis, vel prædicatione verbi Dei, dum horæ psallentur eædem, contigerit vos abesse. Sanè fabricam Ecclesiæ memoratæ sic dirigere & ordinare curetis quòd ea quæ pro ea debentur, vel jam obvenerunt, ab omnibus & singulis qui ea debent vel perceperunt temporibus præteritis, vel heredibus aut bonorum detentoribus eorundem, auditis diligenter rationibus, & residuis ab eisdem exactis, obvenient in posterum, sublatis curiositatibus inutilibus ad honorem Dei & utilitatem ipsius Ecclesiæ dispensentur; pro certo scituri quòd si præmissa non adimpleveritis quavis cessante dilatione morosa, nosque illa non audiverimus in proximo realiter esse facta, nequaquam ulteriùs dissimulabimus, sed de

alio curabimus opportuno remedio providere. Datum Avenioni tertio Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ARNALDI CESCOMITIS Archiepiscopi Tarraconensis epistolæ duæ de Sarracenis ab Hispania pellendis, prima ad Benedictum XII. Papam, altera ad Ioannem de Convenis Episcopum Cardinalem Portuensem.

Domino Nostro Summo Pontifici.

SAnctissime Pater & Domine. Iam credo ad vestram audientiam perveniſſe qualiter Rex Marrochitanorum, blaſphemus Chriſti, & fidei catholicæ inimicus, capta nuper per eum civitate de Trinici, & Rege ipſius & ejus filiis interfectis, in tantam ſuperbiam eſt elatus quòd facit paratum hoſtilem talem & tantum quòd à multo tempore non eſt auditus ſimilis ad Chriſtianos Hiſpaniæ hoſtiliter invadendos; & miſit & mittit victualia & arma & alia neceſſaria ad regnum Granatæ, in quo jam habet loca de Gibaltari & de Algezira, intendens Regem Granatæ adjutorem habere, ut opportuniùs & liberiùs poſſit invadere Chriſtianos. Propter quod Dominus Rex Caſtellæ ad reſiſtendum eidem ad civitatem Hiſpalenſem jam dicitur acceſſiſſe. Verùm quoniam prædictus Chriſti blaſphemus ad regnum Valentiæ dicitur ſpecialiter aſpirare, ut conditio & periculum ipſius regni veſtram non lateat ſanctitatem, eidem humiliter ſignifico quòd licèt recolendæ memoriæ Dominus Iacobus Rex Aragonum, qui dictum regnum de manibus Sarracenorum eripuit, votum vo-

An. 1337.

Vide Indices Suritæ ad an. 1337. & Marian. lib. 16. c. 2. 6.

verit Domino quòd Sarracenos in eo non permitteret remanere, & Dominus Petrus Tarraconensis Archiepiscopus, qui tunc aderat, de voluntate ipsius Domini Regis excommunicationis sententiam tulerit contra omnes qui loca sua in dicto regno de Sarracenis præsumerent populare, ut nomen Christi laudarent ibidem, abolito penitùs nomine Machometi, ex cœca tamen cupiditate Christianorum credentium majores redditus à Sarracenis quàm à Christianis habere, cùm contrarium tamen Abbas monasterij Populeti Cistercienſis ordinis in quodam bono quem ibidem habet, de quo Sarracenos noviter expulit, est expertus, Sarraceni prædicti huc usque sustinentur in ipso regno. Dicuntur esse in dicto regno quadraginta vel quinquaginta millia Sarraceni apti ad arma portanda & experti in exercitio eorundem: propter quos timetur verisimiliter & communis habet opinio ipsum regnum, quod Deus avertat, perditionis periculo subjacere. Dicti namque Sarraceni, ut facti experientia multotiens comprobavit, quandocunque Sarraceni Granatæ, qui vicini existunt, vel alij incipiunt invadere dictum regnum, tamquam hostes publici adhærent eisdem: qui quanto plus in ipso regno sciunt, & ipsius infirma cognoscunt, tanto plus nocent. Nunc etiam, postquam scierunt dictum apparatum fieri, dicuntur sua facere conventicula, in quibus studia sua convertunt quomodo possint prodere dictum regnum. Multa insuper propter eorum damnatam familiaritatem & communicationem per Christianos peccata enormia committuntur ibidem; & per ipsos Sarracenos blasphematur utique nomen Christi, & nomen Machometi laudatur. Audivi namque à bonæ memoriæ Episcopo Valentino hoc publicè prædicante quòd tot vel plures sunt in sua dioceſi Mezquitæ Sarracenorum quot Ecclesiæ Christianorum, & tot vel plures nescientes oratio-

nem dominicam & scientes loqui algaraviam seu Sarracenicè quot è contrà. Dignetur igitur supplico super prædictis vestra clementia de remedio congruo providere: quod non videtur posse fieri nisi prædicti Sarraceni de dicto regno expellantur omnino. Et ad hoc Dominus Rex Aragonum daret, ob Dei honorem & ipsius securitatem & commodum, auxilium & favorem. Ad quod faciliùs inducerentur Domini eorundem, si personæ & bona dictorum Sarracenorum, tamquam infidelium & publicorum hostium quando possunt, possent licitè distrahi atque vendi; quorum pretium ad defensionem dicti regni esset non modicùm profuturum. Almam personam &c. Datum Turolij VII. Kal. Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

Servus & factura vestra
Arnaldus Archiepiscopus Tarraconæ.

Domino Iohanni Portuensi Episcopo.

Reverendissime Pater & Domine. Timens de magno & propinquo periculo, nisi provideatur de remedio opportuno, supplico Domino Nostro Summo Pontifici sub hac forma. *Sanctissime Pater & Domine &c.* Quapropter paternitati vestræ supplico quatenus dignemini sibi litteras præsentare & circa dictum remedium insistere apud eum. Recommendo gratiæ vestræ me & Ecclesiam Tarraconæ. Datum ut suprà.

Archiepiscopus Tarraconæ.

Eidem.

Reverendissimo Patri Domino Iohanni divina providentia Episcopo Portuensi Archiepiscopus Tarraconæ. Ad vestram credo audientiam perveniisse qualiter Rex Marrochitanus blasphemus Christi parat se ad Hispaniam invadendam. Et jam multi de

gentibus ſuis tranſiverunt ad regnum Granatæ & tranſeunt, ut dicitur, tota die. Et ſpecialiter contra regnum Valentiæ, ut dicitur, comminatur. Quod quidem regnum non eſt ſine magno periculo propter multitudinem Sarracenorum qui ſunt populati in eo, qui ſtatim adhærerent aliis Sarracenis, ut experientia comprobavit. Qui Sarraceni ex ſola Chriſtianorum avaritia ſuſtinentur, non obſtante quòd felicis recordationis Dominus Iacobus Rex Aragonum, qui dictum regnum eripuit de manibus Sarracenorum, promiſit & vovit quòd in dicto regno Sarracenos non permitteret remanere, & quòd bonæ memoriæ Petrus tunc Archiepiſcopus Tarraconæ de voluntate ipſius Domini Regis tulit excommunicationis ſententiam contra illos qui loca ſua popularent de Sarracenis, aut quòd per dictos Sarracenos in dicto regno multa nefanda crimina committuntur & blaſphematur etiam Chriſtus. In dicto autem regno tot Meſquitæ quot Eccleſiæ eſſe dicuntur. Quapropter non ſolùm expediret, ſed eſſet neceſſarium quòd Dominus Noſter ſummus Pontifex mandaret Domino Regi Aragonum quòd ipſos Sarracenos expelleret de regno prædicto. Super quo ipſe voluntariè obediret quantum ad loca ſua; ſed vellet, quantum ad loca aliorum, habere mandatum. Et verè dicti Sarraceni poſſunt dici Chriſtianorum hoſtes, quia cùm poſſunt nocent; nec deeſt eis niſi nocendi facultas. Propter quod videtur quibuſdam quòd eorum perſonæ & bona capi & diſtrahi juſtè poſſunt. Et tamquam experti in armis, & ſcientes conditionem dicti regni, poſſunt multùm nocere, in tantum quòd multorum eſt opinio quòd propter dictos Sarracenos perdi debeat dictum regnum. Propterea dominationi veſtræ ſupplico quatenus ob Dei & fidei catholicæ reverentiam dignemini eundem Dominum Noſtrum ſummum Pontificem de prædictis omnibus informa-

re ac insistere apud eum quòd dignetur de opportuno remedio providere. Recommendo gratiæ vestræ me & Ecclesiam Tarraconæ. Datum Turolij VII. Kal. Augusti anno Domini MCCCXXXVII.

BALDVINI DE LVXEMBVRGO Archiepiscopi Trevirensis litteræ de confœderatione facta cum Philippo VI. Francorum Rege.

BAldevvinus Dei gratia sanctæ Treverensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri imperij per Galliam Archicancellarius. Cum iis quos divina gratia solio majestatis & status sui magnitudine benignè extollit ligam specialis amicitiæ libenter contrahimus, per quos nobis ac nostræ Ecclesiæ promotiones, utilitates, & commoda provenire speramus. Notum igitur facimus universis quòd nos sereniſſimo & præclaro Principi Domino Philippo Francorum Regi, cujus salutis & honoris continuum incrementum ex justis & rationabilibus causis nos moventibus ex intimis affectamus, tenore præsentium promittimus bona fide quòd ipsius ex nunc simus & esse debeamus & velimus in perpetuum, quandiu vixerimus, bonus, fidelis, & confœderatus amicus, ita ut omnia & singula ipsius negotia præsentia & futura cum quibuscunque promoveamus & procuremus & eisdem intendamus, quatenus commodè poterimus, apostolicæ sedis & nostro honore salvo, per meliores vias quas possumus invenire seu cogitare ad ejusdem Domini Regis utilitatem & profectum, & quòd damna ejus evitemus & impediamus absque fictione, omni ingenio malo cessante. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Anno 1341.

Datum Treveris die decima ſeptima menſis Septembris anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo.

LVDOVICI IV. BAVARI Imperatoris ſubmiſſio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV. *die* XVI. *menſis Ianuarij per Humbertum Dalphinum Viennenſem & alios ejuſdem Ludovici Ambaſſiatores.*

Ann. 1344. IN nomine Domini. Amen. Anno à nativitate ejuſdem MCCCXLIIII. Indictione XII. die XVI. menſis Ianuarij, pontificatus ſanctiſſimi Patris & Domini Noſtri Domini Clementis divina providente clementia Papæ ſexti anno ſecundo, in Conſiſtorio publico, in quo fuere præſentes Reverendi Patres Domini miſeratione divina, Petrus Peneſtrinus, Bertrandus Oſtienſis, Gaucelinus Albanenſis, Iohannes Portuenſis, Annibaldus Tuſculanus, Petrus Sabinenſis Epiſcopi, Imbertus Tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Talayrandus Tituli ſancti Petri ad vincula, Petrus Tituli ſancti Clementis, Gotius Tituli ſanctæ Priſcæ, Bertrandus Tituli ſancti Marci, Bernardus Tituli ſancti Cyriaci in Thermis, Guillelmus ſanctorum Quatuor coronatorum, Guillelmus Tituli ſancti Stephani in Cœlio monte, Helias Tituli ſancti Vitalis, Guido Tituli ſanctæ Cæciliæ, Stephanus Tituli ſanctorum Iohannis & Pauli, Hugo Tituli ſancti Laurentij in Damaſo, Ademarus Tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Preſbyteri, ac Raymundus ſanctæ Mariæ Novæ, Galhardus ſanctæ Luciæ, Iohannes ſancti Angeli, Bertrandus ſancti Euſtachij, & Guillelmus

lelmus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinales, præsentibus etiam venerabilibus Patribus fratre Petro Ierosolymitanensi & fratre Geraldo Antiochensi Patriarchis, ac Dominis Gasberto Narbonensi, Orchelyo Salzeburgensi Archiepiscopis, Iohanne Belvacensi, Petro Claromontensi, Stephano Cassinensi, Guillelmo Forojulienſi, Raymundo Morinensi, Beltramino Bononiensi, Angelo Grossetano, Bernardo Oscensi, Guidone Tutellensi, fratre Petro Grassensi Episcopis, Gaffredo Lausanensi, Nicolao Lemonicensi, Agapito Lunensi Electis, Bernardo Stephani, Raymundo de Valle, Guidone de Calma, & Francisco de Vrsinis Domini Papæ Notarijs, & discretis viris Dominis Guillelmo de Norvvico, Iohanne de Blandiaco, Amanevo de Mota, Bernardo de Novodompno, Petro Alamandi, Bernardo Hugonis de Cardalhaco Auditoribus sacri palatij apostolici, Guillelmo de Posterela, Petro Villaris, fratre Petro Basterij, Hugone de Arpajone, Iacobo de Placentia, Galhardo Nigri Domini Papæ Capellanis, Carlino de Madalbertis de Cremona, Blasio de Senis, Francisco de Lanceo, Henrico de Ast, Francisco de Aquila, Iacobo de Mediolano in Romana Curia Advocatis, ac Guillelmo de Bos, Iohanne de Amelio, Michaële Ricomanni, & Bertrando de Chiannaco Clericis Cameræ dicti Domini nostri Papæ, & Notariis publicis infrascriptis, & alia Prælatorum & personarum ecclesiasticarum & secularium multitudine copiosa, personaliter constituti magnificus & potens vir Dominus Humbertus Dalphinus Viennensis, ac venerabiles viri Domini Marquardus de Randegg Iuris canonici Professor, Electus & Præpositus Bambergensis, Eberhardus de Tuminaroe Præpositus Augustensis Ecclesiarum, & Vlricus de Augusta Protonotarius, Ambassiatores, nuncij, & procu-

ratores magnifici viri Domini Ludovvici de Bavaria, qui se Regem Romanum nominat, facta per dictum Dominum Marquardum quadam propositione verbali, in qua multa mala & excessus, crimina & delicta, quæ commiserat idem Ludovvicus contra sanctam Romanam Ecclesiam tempore sanctæ memoriæ Domini Iohannis Papæ XXII. in persona ipsius Domini Iohannis & contra unitatem & libertatem Ecclesiæ sacrosanctæ, & quasi omnia contenta in quodam procuratorio, de quo infrà fit mentio, verbo narravit, vice & nomine ipsius Domini Ludovvici de Bavaria exhibuerunt & produxerunt quandam literam, quam dicebant esse procuratorium dicti Ludovvici, scriptam & signatam, ut prima facie videbatur, manu & signo Ottonis Ameldorf de Vinezman Clerici Bambergensis dioceſis & Romanj Hormelin Clerici Constantiensis dioceſis publicorum auctoritate sedis apostolicæ Notariorum, & sigillatam impendenti quodam sigillo rotundo in cera crocea, in quo in medio sculpta erat quædam imago hominis habentis infulam in capite suo, sedentis inter duas aquilas, habentis sub pedibus ejus duos leones, & tenentis in manu dextra quoddam sceptrum & in manu sinistra quoddam pomum rotundum, in cujus circumferentiæ hæ litteræ legebantur: *Ludovicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus.* Et à tergo dicti sigilli erat quædam impressio alterius parvi sigilli, in qua erat sculpta quædam aquila, & in circumferentia ipsius eæ litteræ legebantur: *Iustè judicate filij hominum.* Quæ quidem littera de ipsius Domini nostri Papæ mandato ibidem publicè lecta fuit; ipsaque ex integro lecta, supranominati Ambassiatores, nuntij, & procuratores, habentes, ut dixerunt, inter cetera à dicto Domino Ludovico de Bavaria plenam & liberam potestatem & speciale manda-

tum, prout ex forma dicti procuratorij, cujus tenor describetur inferiùs, constare dixerunt, ponendi & submittendi dictum Dominum Ludovvicum de Bavaria, res, statum, velle & nolle, nihil sibi proprij arbitrij retinendo, absolutè & liberaliter in manibus dicti Domini nostri Papæ, ejusque dispositioni & ordinationi ipsius Domini Ludovvici de Bavaria personam, res, statum, velle & nolle, nihil sibi proprij arbitrij retinendo, pro malis & excessibus, delictis, & criminibus contra dictum Dominum Iohannem, Ecclesiam Romanam & etiam universalem commissis, & contra unitatem & libertatem ejusdem Ecclesiæ sacrosanctæ. Et pro emenda & satisfactione omnium præmissorum facienda eidem Ecclesiæ sacrosanctæ, prout habent, ut præfertur, à dicto Domino Ludovvico in mandatis, ex deliberato proposito & spontanea voluntate, licèt per dictum Dominum nostrum Papam, facta priùs aliquali collatione juxta exigentiam agendorum, semel & pluries dicti Ambassiatores, nuntij, & procuratores exhortati fuissent quòd in tanto negotio, priusquàm facerent, viderent & deliberarent quid circa præmissa essent acturi & quòd nollent fictivè aliquid agere & verbis solùm dicere & non realiter, & facto quæ dicebant attendere, quia Deus, cujus vices tenet in terris Ecclesia, irrideri non potest, & quòd non crederent quòd ipse indiscretam remissionem faceret, licèt misericordiam non negaret, plena deliberatione iterum habita inter eos absolutè & liberaliter ipsum Dominum Ludovvicum, scilicet personam, statum, res, & bona ipsius, posuerunt in manibus præfati Domini nostri Papæ, ipsumque & alia supradicta & ejus ordinationi & dispositioni pro omnibus supradictis excessibus & emenda & satisfactione fiendis pro eis & omnibus in littera procuratoria infrascripta contentis totaliter submiserunt.

Et ad prædictorum majoris roboris firmitatem supranominati Ambassiatores, nuntij, & procuratores, & ipsorum quilibet, juraverunt tactis sacrosanctis evangeliis in animam ipsius Domini Ludovvici prædicta omnia & singula posita, ut præfertur, & submissa attendere & complere & effectualiter observare quicquid dictus Dominus Noster super prædictis duxerit ordinandum, & non contra facere vel venire per se vel alium seu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, aliqua ratione seu causa. Et ibidem dictus Dominus noster Papa, audita dictorum Ambassiatorum, nuntiorum, & procuratorum propositione & submissione, & aliis per ipsos dictis, factis, & juratis, humilique petitione & supplicatione ipsorum tam super expressatis superiùs quàm aliis in dicto procuratorio contentis, multarum animarum periculis, quæ propter dictum Dominum Ludovvicum & perpetrata per eum sunt diversis pœnis & sententiis, involutæ, affectu paterno compatiens, hujusmodi positionem, submissionem personæ ipsius Domini Ludovvici de Bavaria, rerum, status, abdicationem proprij arbitrij ipsius in se misericorditer & gratiosè recipiens, dixit & protestatus fuit quòd licèt quantum ad relaxationem processuum contra ipsum Dominum Ludovvicum factorum, & pœnarum quas propter præmissa incurrerat, intenderet misericorditer agere cum eodem, quantum sibi cum honore Ecclesiæ videretur, indiscretam tamen remissionem facere nullatenus intendebat. De quibus omnibus & singulis dictus Dominus noster mandavit, & ipsi Ambassiatores, nuntij, & procuratores requisiverunt, per nos Notarios infrascriptos & nostrum quemlibet fieri unum, duo, & plura publica instrumenta. Actum &c.

ERRORES SECTÆ HOMINVM intelligentiæ, & processus factus contra fratrem VVillelmum de Hildenissem ordinis beatæ Mariæ de monte Carmeli per Petrum de Alliaco Episcopum Cameracensem anno Christi MCCCCXI.

VNiversis & singulis Christi fidelibus tam præsentibus quàm futuris præsentium nostrarum serie litterarum inspecturis Petrus miseratione divina Cameracensis Episcopus salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quòd cùm nuper, quod non sine cordis turbatione referimus, rumor infestus devolutaque fama nobis intimarunt quòd abominabilis quædam secta, procurante satore malorum operum, in villa nostra Bruxellensi diocesis nostræ Cameracensis damnabiliter insurrexerit, cujus sectæ detestabilis quendam Ægidium Cantorem vulgariter nuncupatum caput extitisse fama publica testatur, spinas in eadem inserendo, cordaque fidelium à catholicæ fidei tramitibus sub simulata quadam sanctitatis specie retrahendo, nos, ut vipereos perfidiæ filios, ne gregi fidelium per oves morbidas gravior infligeretur corruptela, & ut præcurrentis famæ pernicies officij nostri pastoralis sentiret aculeos, hujusmodi sectam detestabilem & ipsius execrandos errores, ne spargerentur ulteriùs, extirpare radicitus tentantes, ut super tanto crimine taciti non videremur, exemplo Dei cunctipotentis, qui Sodomorum mala, quorum clamor usque ad cælum pervenerat, omnia sciens priùs nec tradere vel judicare aliquem voluit quàm ipse ea quæ cum fidelibus testibus investigans, quæ audie-

rat opere comprobaret, nos ante veram justamque probationem neminem judicare vel damnare volentes, ac tam gravia sub dissimulatione pertransire nolentes, in primis de sequacibus ejusdem sectæ detestabilis inquirere fecimus veritatem, inter quos te fratrem VVilhelmum de Hildenissem ordinis fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli, nedum hujusmodi sectæ detestabilis, sed quòd alios errores etiam in fide catholica publicaveras tuis in hoc motibus inconsultis, adeo processit in publicum quòd tuæ levitatis errores inconsultos transire non potuimus incorrectos. Igitur te ad præsentiam nostram primitus evocari fecimus, articulosque plures sectæ detestabilis præmissæ, cujus complex & fautor dicebaris, aliosque publicos errores & assertos tibi fecimus judicialiter exhiberi. Quibus articulis ejusdem nephandissimi Ægidij Cantoris per te visis, auditis, & intellectis, hujusmodi conclusiones vel articulos, tamquam à fide catholica devios, erroneos, & hæreticam pravitatem continentes, abjurasti & reprobasti, scriptura propria firmando easdem conclusiones erroneas & velut hæresim sapientes reprobandas & à Christi fidelibus expellendas. Item super aliis, ut dicebatur, conclusionibus pluribus in prædicationibus tuis & privatis collationibus inconsultè publicatis & dogmatizatis, respondisti plures earundem cum juramento negando, alias autem diversis expositionibus tuis palliando & secundùm sensum proprium, ut asserebas, exponendo; prout hæc ex tenore dictorum articulorum, propositionum, vel conclusionum, responsionumque tuarum possint apparere.

Nos igitur attendentes vulgarem infamiam, grave scandalum, suspicionemque vehementem quæ te super præmissis culpabilem auribus nostris asserebat, super eisdem articulis, conclusionibus, & propositioni-

bus, cum suis dependentiis circumstantiisque & connexis, per fideles commissarios nostros ad hoc specialiter juratos, commissos, & deputatos inquiri mandavimus veritatem. Qui secundùm datam à nobis formam procedentes, plures testes utriusque sexus ad probationem impositarum interrogaverunt, examinaverunt, & audierunt, eorumque dicta & depositiones per scribam & fidelem Notarium nobis & curiæ nostræ juratum redigi fecerunt in scriptis, dieque præfixa præmissam informationem reportaverunt publicandam. Qua per nos diligenter inspecta, pluribus ad hoc clericis personis notabilibus utriusque divinæ scilicet & humanæ scientiæ doctoribus & graduatis per nos evocatis, à te si quid in dictos testes contra te productos dicere, proponere, & aliàs informationis præmissæ publicationem fieri velles, inquiri fecimus, offerentes præmissorum testium & informationis copiam in forma juris tibi concedi, ac tuas, si quas haberes, tam contra dictos testes quàm alias peremptorias facti vel juris exceptiones seu defensiones audire, & ad eas proponendas diem & terminum competentem assignare. Tu verò coram nostris ad hoc commissariis asserens te filium Ecclesiæ manere velle fidemque catholicam tenere, nullamque, si qua fortasse lapsu linguæ vel aliàs temeritate tua dixeris, publicaveris, vel prædicaveris, pertinaciam habere velle, sed ea quæ nobis & consilio nostro super his contra te probata, quæ viderentur orthodoxæ fidei contraria & adversa vel aurium piarum offensiva, non tam devotè quàm humiliter revocare & annullare ac eadem abjurare, ubi & quotiens nobis pro fide catholica videretur expedire, te sponte promisisti, ad dicendumque & proponendum in dictos testes seu defensiones aliquas vel exceptiones allegandas sponte renuntiasti, voluistique, terminis juris omnibus

habitis pro obſervatis, & quantum potuiſti eidem ordinique judiciario renuntiando, noſtram ſuper probatis ordinationem, diffinitivam ſententiam audire volens, ut aſſerebas, ſuper erroribus hujuſmodi, ſuper quibus infamatum te fore cenſebatur, purgari radicitus ordinationemque noſtram humiliter & devotè tenere & firmiter ex intimis adimplere, ut nihil horum veſtigij poſt ordinationem noſtram in te notari poſſit, promiſiſti; ut ex actis & tenore proceſſus hæc apparere poſſint. Die igitur contra promotorem officij noſtri in hac parte tibi præfixa ad audiendum diffinitivam noſtram ſententiam & ordinationem, Chriſti nomine invocato, Deum, cujus cauſa agitur, præ oculis habentes, viſoque tenore proceſſus, & cum peritis utriuſque juris divini pariter & humani communicato nobis conſilio, præſente ad hæc venerabili viro Domino Priore conventus fratrum Prædicatorum ſancti Quintini in Viromandia Noviomenſis dioceſis hæreticæ pravitatis Inquiſitore per ſedem apoſtolicam in eiſdem civitate & dioceſi Cameracenſi ſufficienter inſtituto per nos evocato propter hoc, cui hujuſmodi noſtrum proceſſum contra te factum ſufficienter communicavimus, de ipſiuſque Inquiſitoris conſilio & conſenſu procedentes, te fratrem VVilhelmum de Hilderniſſem ſupradictum, quia nobis conſtitit atque conſtat propoſitiones in divinæ majeſtatis offenſam per ſceleratiſſimum hominem illum Ægidium Cantorem publicatas, aſſertas, & collationibus privatis cordibus ſimplicium infixas fuiſſe & eſſe erroneas & ſcandaloſas ac fidei catholicæ contrarias & adverſas, ſuper quibus ſuſpectum te veriſimilibus tenuimus conjecturis, ad eaſdem in forma juris coram nobis abjurandas eaſdemque reprobandas, clero convocato ſollemniter hodie in noſtra aula epiſcopali Cameracenſi, & poſtmodum

in villa Bruxellensi, primò in loco publico, scilicet sanctæ Gudulæ Bruxellensis, & ulteriùs in loco Begutarum publicè & intelligibili voce, & ad hoc quòd easdem abjures & reprobes. Quarum propositionum sequitur tenor in hæc verba.

Sequuntur illa super quibus ego frater VVilhelmus fui delatus reverendo patri Domino Cameracensi Episcopo, quæ judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, & quæ promisi & juravi reprobare, prout ea nunc publicè reprobo, quia continent doctrinam falsam, erroneam, & hæreticam, bonorum morum corruptivam, scandalosam, & fidei catholicæ subversivam, & cujusdam novæ sectæ perniciosissimæ introductivam.

Et primò imitatores subscriptæ sectæ seu seductionis hæreticæ vocant se mutuò homines intelligentiæ, & habent duo capita à quibus languores diffusi sunt in pluribus membris suis. Vnum dictorum capitum vocatur frater Vvilhelmus de Hildernissem Carmelita. Aliud est quidam laicus illiteratus, fortè sexagenarius, dictus Ægidius Cantoris, qui se ipsum reputat excellentiorem dicto fratre Vvilhelmo, quibusdam suæ seductionis idem confirmantibus, aliis tamen dictum fratrem Vvilhelmum præferentibus.

1. Item dictus laicus seductor dixit pluries repetendo pluribus audientibus: Ego sum salvator hominum; & per me videbunt Christum, sicut per Christum patrem.

2. Item dixit quòd diabolus finaliter salvabitur, sed tunc non erit diabolus, & superbissimus lucifer erit humillimus, & quòd finaliter omnes homines salvabuntur.

3. Item diabolus non portavit Dominum Iesum super pinnaculum templi.

4. Item dixit dictus Ægidius quòd ipso quadam vice eunte per viam, Spiritus sanctus inspiravit sibi

hæc verba: Tu es constitutus in statu pueri trium annorum. Non jejunabis, immo comedes lacticinia in quadragesima. Quod idem cum aliis suis sectatoribus & sectatricibus continuat. Nec curant ipsi jejunare quando sine exteriori nota comedere possunt carnes feriis sextis & in quadragesima.

5. Item de statutis, præceptis, & ordinationibus Ecclesiæ non curant, nec de orationibus, dicentes quòd Deus facit quod disposuit facere & quod vult, nec est opus formandi orationes.

6. Item nec curant de confessione; sed solùm ad præcavendum de vexationibus ostendunt se quandoque sacerdoti, aliqua quæ de se sunt venialia confitendo, subtacendo actus luxuriosos criminales & alia mortalia gravia quibus possent de infidelitate notari, prout aliqui ex ipsis retulerunt.

7. Item nullum rigorem pœnitentiæ admittunt, tenentes quòd talibus non indigemus.

8. Item est quædam inter mulieres hujusmodi sectæ quæ non permittit se ab aliquo cognosci. Propter quod ab aliis sectæ prædictæ utriusque sexus multas patitur molestias eam increpantibus quòd non utitur actu carnalis copulæ.

9. Item dictus Ægidius habet modum specialem coëundi, non tamen contra naturam, quali dicit Adam in paradiso fuisse usum. Qualem modum prædictus frater Vvilhelmus non sequitur.

10. Item sibi invicem idioma fabricantes, actum carnalis copulæ vocant delectationem paradisi vel alio nomine aclivitatem. Et sic de tali actu libidinoso, aliis non intelligentibus, bene loquuntur.

11. Item est quædam antiqua, quam dictus laicus vocavit Seraphin, quæ palam dixit quòd licet extra matrimonium coitum exercere sine peccato. Ille enim actus est purè naturalis, sicut comedere & bibere. Attamen ille actus reprobatur, & non isti.

Vnde satis ipsa miratur cum aliis de cœcitate hominum communiter hoc sentientium.

12. Item est quædam maritata quæ non facit differentiam inter virum & virum, sed quemlibet indifferenter admittit suis tempore & loco. Et istud est quasi commune inter illas.

13. Item dictus frater Vvilhelmus nemini ad plenum credit, nec quæ in se sentit exprimit, nisi illis qui sine Dei timore & conscientiæ scrupulo actu carnalis copulæ utuntur.

14. Item frater Vvilhelmus omnia facta eorum posse salvari vel colorari per sacram scripturam, dempto coitu ab Ecclesia damnato. Et ergo consuevit monere sibi adhærentes quòd cautè haberent se loquendo de actu illicitæ copulæ conjugalis.

15. Item supradicta Seraphin, dum aliqui loquebantur quòd frater Vvilhelmus compulsus erat revocare articulos quos prædicavit, respondit quòd ipse non revocavit, sed dixit, Ita non dixi, sed sic dixi, addendo vel subtrahendo syllabam vel dictionem suarum prædicationum, & sic transivit impune. Vnde magis reputabatur dicta sua confirmare quàm revocare.

16. Item omnes actus suos, immo & nefarios, referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum talia velle, non quidem tantùm permissiva ejus voluntate, sed beneplacita & efficaci.

17. Item extra muros Bruxellenses est quædam turris cujusdam Scabini dicti oppidi, ubi ad celebrandum sua conventicula conveniunt.

18. Item dicunt tempus veteris legis fuisse tempus patris, & tempus novæ legis tempus filij, & pro nunc esse tempus Spiritus sancti, quod dicunt esse tempus Heliæ, quo reconciliabuntur scripturæ; ut quæ priùs tamquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, sicut catholicæ ve-

ritates, quæ consueverant prædicare de paupertate, continentia, obedientia. Quarum veritatum oppositum, ut asserunt, est prædicandum hoc tempore Spiritus sancti.

19. Item quicquid eis inspiratur seu ad intima suggeritur, æstimant quòd sit à Spiritu sancto. Unde multùm fatua sæpedictus laicus sæpius attentavit. Nam propter quandam sibi factam inspirationem ivit totus nudus quadam vice per longam viam, portans super caput suum scutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi.

20. Item mirantur quòd aliqui signant se signo crucis, petendo: Estis vos adhuc benedicendus?

Item persuaserunt imitatores prædictæ sectæ, & præcipuè mulieres, aliquibus probis viris quòd de cetero nec publicè nec occultè prædicarent castitatem aut virginitatem, nec recommendarent continentiam, asserentes etiam nullam esse virginem, una tantùm dempta, quam dicunt esse sapientiam.

21. Item de purgatorio sunt contrarij Ecclesiæ. Similiter de inferno. Et habent quendam singularem & fictum modum loquendi de illa materia.

Item ad quæstionem quando ab eis quæritur quid responderent si eis imponerentur credulitates supradictorum articulorum, respondent quòd negarent.

Item & quia ex fide dignorum depositionibus testium constitit te plures propositiones & conclusiones erroneas & à fide devias in eadem villa Bruxellensi & dioceſi nostra prædicationibus publicis asseruisse collationibusque privatis inconsultè per te factis cordibus fidelium, quantum in te fuit, inseruisse, ad easdem abjurandas & revocandas loco & modis priùs expressis, in formaque & tenore in quadam cedula per nos seu nostros tibi tradenda, nostrorum in hoc Notariorum signis signata, quarum etiam propositionum tenor sequitur in hæc verba.

Sequuntur propositiones falsæ, erroneæ, & hæreticæ, per me fratrem Vuilhelmum in forma quæ sequitur revocandæ.

PRima propositio, quòd omnes Christiani, Iudæi, pagani, & etiam diaboli salvabuntur, omnesque ad Deum revertentur, & erit unum ovile & unus pastor, & finaliter erit una generalis salvatio. Probavi, quia Christus satisfecit pro omnibus. Item omnes gentes sunt benedictæ in Christo, & benedictio Dei manebit. Ergo finaliter omnes salvabuntur in Christo. Hanc revoco tamquam falsam, erroneam, & hæreticam, quia est contra illud evangelij: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Item multi decedunt in peccato mortali, & tales non salvantur. Item Iudæis & paganis patet per illud scripturæ sacræ: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.*

Secundam propositionem, quæ sequitur ex præmissis, Aliquando infernus non erit, revoco tamquam falsam & hæreticam, quia est contra illud evangelij: *Ibunt ij in vitam æternam, ij autem in ignem æternum.*

Tertiam, quòd dicunt se habere velle, nihil est, Deus enim totum facit, & omnia sive bona sive mala fiunt voluntate divina, & conveniunt ita esse, revoco tamquam falsam & hæreticam & piarum aurium offensivam.

Quartam, quòd nullus homo purus in via actibus suis meretur aliquid vitæ æternæ, sed Christus solùm, qui in cruce omnia meruit, revoco tamquam malè sonantem & piarum aurium offensivam atque erroneam & hæreticam.

Quintam, quòd illud quod homo agit non cedit sibi ad meritum vel demeritum nec ad salvationem

vel damnationem, sed passio Christi satisfecit pro omnibus, hanc revoco tamquam falsam, periculosam, & scandalosam, atque erroneam & hæreticam.

Sextam, quòd homo exterior non maculat hominem interiorem, revoco tamquam falsam & malè sonantem.

Septimam, quòd homo interior non damnabitur, similiter revoco tamquam falsam & malè sonantem.

Octavam, quòd in ornatu vestium nulla est culpa, revoco tamquam malè sonantem & malè ædificativam: quia licèt in ornatu vestium non sit peccatum, potest tamen ornatus vestium esse causa & occasio peccati.

Nonam, quòd reprehendentes peccatores veleos judicantes plus peccant quàm reprehensi vel judicati, revoco tamquam falsam & malè sonantem totiusque fraternæ correctionis destructivam.

Decimam, quòd prædicationes & doctrinæ antiquorum sanctorum & doctorum cessabunt, & supervenient novæ, & quòd scriptura clariùs revelabitur quàm huc usque notificata sit, & quòd Spiritus sanctus clariùs illuminabit intellectum humanum quàm huc usque fecerit, etiam in Apostolis, quia non habuerunt nisi corticem, & quòd instabit tempus quo revelanda erit illa lex Spiritus sancti & libertatis spiritualis, & tunc præsens lex cessabit, istam revoco tamquam erroneam, temerariam, & hæreticam.

Vndecimam, quòd Presbyteri audientes confessiones non remittunt peccata, sed Christus, ex eo quòd peccator non potest dimittere peccata, revoco tamquam falsam, erroneam, & piorum aurium offensivam.

Duodecimam, quòd pluries asserui me habuisse revelationem, & in ea me à Deo fuisse amplexatum

& illuminatum, & quòd tunc habui gaudium de securitate æternitatis, & quòd licèt illud gaudium citò transierit, tamen remansit in me securitas de æternitate, & quòd ex tunc clariùs & aliter intellexi sacram scripturam quàm antea, unde & quandoque asserui quòd mallem prædicare secundùm sensum proprium & intellectum meum quàm secundùm scripturam. Ista revoco tamquam periculosè & præsumptuosè asserta & piis auribus malè sonantia. Et est verisimile quòd ista mihi fuerunt aliorum errorum occasio.

Tertiam decimam, quòd Deus est ubique in lapide, membris hominis, & in inferno, sicut in sacramento altaris, & ideo quilibet habet Deum perfectè antequam communicet, revoco tamquam falsam & superstitiosam: quia licèt Deus sit ubique & in qualibet re secundùm ejus essentiam, veruntamen in sacramento altaris specialiori modo, utpote sacramentaliter, existit. quo modo non existit in aliis rebus creatis.

Quartam decimam, quòd nullus potest sacram scripturam perfectè intelligere nisi Spiritus sanctus esset in eo, revoco tamquam falsam & erroneam; quia stat quòd aliqui peccatores meliùs intelligant sacram scripturam quàm multi simplices habentes Spiritum sanctum & gratiam Spiritus sancti.

Quintam decimam, quòd resurrectio ampliùs non esset futura, quia illa erat facta in Christo, ex eo quòd sumus Christi membra, & non surrexit caput sine membris, revoco tamquam erroneam & hæreticam.

Sextam decimam, quòd asserui revelationem habuisse contra Presbyteros & audivisse vocem dicentem, *Ego veni ad mortificandum Presbyteros*, revoco tamquam superstitiosam & scandalosam.

Decimam septimam, quòd si nunquam prædica-

retur, non tamen ob hoc salvarentur pauciores homines, revoco tamquam malè sonantem, falsam, & erroneam, & piarum aurium offensivam.

Decimam octavam, quòd corrupta, si non haberet curam temporalem vel virum, esset ejusdem meriti sicut virgo, revoco tamquam falsam & erroneam & malè sonantem.

Sequitur subsequenter cedula quam ego frater Vilhelmus propria manu scripsi super articulis mihi impositis, eos abjurando & reprobando.

OMnibus notum sit quòd ego frater Vvilhelmus de Hildernissem delatus fui reverendissimo in Christo patri Domino Dei gratia Cameracensi Episcopo tamquam caput cum Ægidio Cantoris cujusdam sectæ seu seductionis qui se mutuò vocant homines intelligentiæ, ut dicitur. Quod simpliciter falsum est, quia ejus facta & dicta in sermonibus reprobavi postquam deceptiones ejus perfectè percepi. Item eidem sum delatus tamquam consentiens sibi in hoc quòd dixit de se ipso: *Ego sum salvator hominum, & per me videbunt Christum, sicut per Christum patrem.* Hic dico quòd si in isto consentirissem, seductor essem & contrarius doctrinæ catholicæ: quia Augustinus dicit, & omnes catholici doctores affirmant, tantùm Christum fore salvatorem & actorem salutis. Et nunquam aliter docui vel affirmavi. Item eidem delatus sum quòd prædicassem opinionem Ægidij, videlicet quòd diabolus finaliter salvabitur, sed tunc non erit diabolus, & superbissimus lucifer erit humillimus, & quòd finaliter omnes homines salvabuntur. Hic dico quòd ista contrariantur sacræ scripturæ & doctrinæ fidei catholicæ, quia scribitur: *Ibunt ij in vitam æternam, alij autem in ignem æternum.* Si ergo per beatum Augustinum

pœna

pœna malorum posset finiri, sic potest & gloria bonorum finiri. Quod omnino falsum est. Et in evangelio dicitur: *Iam judicatus est diabolus.*

Item quòd consentiissem in hoc quòd diabolus non portavit Christum super pinnaculum templi. Hic concedo quòd hoc audivi ab eo ultra duodecim annos, sed prætendebat corporaliter. Et postquam hoc ab eo audivi, an corporaliter vel spiritualiter ipsum portavit dubitavi, quia determinatum ab Ecclesia non intellexi.

Item delatus est idem Ægidius Cantoris in quadragesima lacticinia comedisse. Quod mihi constat. Sed quòd aliqui sectatores & sectatrices ejus continuassent nec curant jejunare quando sine nota exteriori comedere possunt, hoc in veritate Iesu Christi nunquam ab aliquo alio homine percepi, nec audivi unquam dicere de aliquo qui carnes feriis sextis auderet comedere, quia de statutis & præceptis & ordinationibus Ecclesiæ non curare & dicere quod dictus facit quod disposuit, & ideo non opus formare orationes, sic dicere est facere contra ductum spiritus sancti, quia de ductu spiritus sancti est Ecclesiæ obedire juxta illud: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Sed si tales aliqui sunt, decepti sunt. Item quòd non curant de confessione, sed solùm ad præcavendum vexationes ostendunt se quandoque sacerdoti venialia confitendo, sed mortalia gravia ipsis intulerunt. Quòd hoc falsum est de persona mea sciunt perfectè plures fratres conventus mei. Hoc etiam scio esse falsum de illis qui solent mihi confiteri. Si tamen aliqui tales sunt, ficti duplices sunt & decepti, & spiritus sanctus fugit ab eis juxta illud: *Spiritus effugiet fictum.*

Item imitatores hujus sectæ, prout delati sunt Domino meo, rigorem pœnitentiæ non admittunt, tenentes quòd talibus non indigemus. Hic dico. Si

aliqui tales sunt, spiritui sancto contrarij sunt, qui perfectam pœnitentiam in homine perficit.

Item est quædam inter mulieres hujusmodi secta quæ non permittit se ab aliquo cognosci. Propter quod ab aliis prædictæ sectæ multas patitur molestias eam increpantibus quòd non utitur actu carnalis copulæ. Istud nunquam pervenit ad aures meas.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd Ægidius habet modum specialem coëundi, non contra naturam, quali dicit Adam in paradiso fuisse usum; qualem modum prædictus frater Vvilhelmus non sequitur. Hic dico quòd verum est, in quantum me tangit. Licèt Ægidius per suspicionem suam aliquibus contrarium dixit, qui etiam ad innocentiam paradisi nunquam pervenit. Quod per famam contra dictum Ægidium laborantem credo verum.

Item eidem delatum est quòd sibi invicem idioma fabricant, actum carnalis copulæ vocant delectationem paradisi vel alio nomine aclivitatem, & sic de tali actu libidinoso, aliis non intelligentibus, bene loquuntur. Hic dico quòd in locutionibus & prædicationibus meis non aliis terminis quàm terminis sacræ scripturæ usus fui. Occultavit enim mihi Ægidius ejus idiomata & eorum significata quantum potuit.

Item est quædam antiqua Domino delata, quam dictus Ægidius vocavit Seraphin pluribus audientibus, (Quod credo verum per famam) quæ palam dixit quòd licet extra matrimonium coitum exercere sine peccato. Ille enim actus est purè naturalis, sicut comedere & bibere. Et tamen illi actus reprobantur, & non isti. Vnde satis ista cum aliis miratur de cæcitate hominum communiter hoc consentientium. Hoc si sic dixit, valde malè dixit. Quia licèt dicatur, *Vbi spiritus, ibi libertas*, tamen Paulus dicit eandem libertatem non fore dandam in occasionem

carnis, sed solùm in illis actibus exercendam quos Christus in nobis operatur.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd est quædam maritata quæ non facit differentiam inter virum, sed quemlibet indifferenter admittit suis tempore & loco, & illud est quasi commune inter illos & illas. Istud non credo totaliter verum. Et si est illa quam æstimo, tunc non est talis, licèt in parte fragilis.

Item delatus fui Domino meo Cameracensi quòd nemini ad plenum credo, nec quæ in me sentio exprimo nisi illis qui sine Dei timore & conscientiæ scrupulo actu carnalis copulæ utuntur. Istud est falsum. Sed hoc potuit ex verbis Ægidij procedere.

Item delatus fui eidem quòd dixissem omnia facta eorum posse salvari seu colorari per sacram scripturam, dempto coitu ab Ecclesia damnato. Et ergo solet movere sibi adhærentes quòd cautè haberent se actu illicitæ copulæ conjugalis. Istud est falsum. Sed confitentibus mihi dixi quòd omnino desisterent & Ægidium cum ejus loquela refutarent.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd prædicta Seraphin, dum aliqui loquebantur quòd frater Vvilhelmus compulsus erat revocare articulos quos prædicavit, respondit quòd ipse non revocavit sed dixit ita, Non dixi, sed sic, addendo vel subtrahendo, & sic transivit impune. unde magis reputabatur dicta sua confirmare quàm revocare. Hic dico quòd sicut concluſum fuit per reverendissimum Dominum Cameracensem dixi quòd nunquam talia prædicavi, & si talia prædicassem, malè prædicassem.

Item delatum est Domino Cameracensi quòd illi de prædicta secta omnes actus suos omnino nepharios referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum talia velle, non quidem tantùm permissiva ipsius

voluntate, sed beneplacita & efficaci. Hic dico quòd à me aliquis nunquam audivit talia. Scio enim quòd quicquid * Deus voluntate efficaci illius est actor. Sed malorum actuum, ut sunt mali, non est auctor. Et per consequens ad voluntatem efficacem non sunt referibiles; nec est causa privationis, sed positionis.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd extra muros Bruxellenses est quædam turris cujusdam Scabini prædicti oppidi ubi ad celebrandum sua conventicula conveniunt. Vbi dico quòd infra decem annos vel circiter non interfui talibus conventiculis, licèt infra tres annos cùm accessi sibi Ægidio denunciando turpia quæ de eo in villa dicebantur, dicendo sibi quòd talia nullo modo possent sustineri. Immo si congregationem mulierum ibi sciviſſem, nullo modo intrassem.

Item delatum est Domino meo prædicto quòd dicunt tempus veteris legis esse patris & tempus novæ legis esse filij, & pro nunc tempus esse spiritus sancti, quod dicunt esse tempus Heliæ, quo removebuntur scripturæ, ita ut quæ priùs tamquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, sicut & catholicæ veritates quæ consueverunt prædicari de paupertate, continentia, & obedientia; quarum virtutum oppositum, ut asserunt, est prædicandum hoc tempore spiritus sancti. Hic dico quòd talia nunquam audivi nec ab Ægidio nec ab aliis. Nec approbassem si audiviſſem, cùm implicat contradictionem. Vna enim veritas catholica alteri non contrariatur.

Item delatum est eidem quòd quicquid eis inspiratur seu ad intra suggeritur, æstimant quòd sit à spiritu sancto. Vnde multùm fatua sæpedictus laicus sæpius attentavit. Nam propter quandam factam sibi inspirationem ivit totus nudus quadam vice per

longam viam portans ſuper caput ſuam ſcutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi. Hic dico quòd credo hoc fore verum de Ægidio, quia per nullius informationem fatetur ſe eſſe deceptum.

Item delatum eſt Domino Cameracenſi quòd mirantur quòd aliquis ſe ſignat ſigno ſanctæ crucis, petentes: Eſtis vos adhuc benedicendus? Hic dico quòd hoc audivi à ſolo Ægidio tempore præterito, & non ab alio.

Item delatum eſt Domino Cameracenſi ad quæſtionem qua quæritur ab eis quid reſponderent ſi eis imponerentur credulitates ſupradictorum articulorum, reſponderent quòd negarent. Hic dico quòd qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Et per conſequens per talem reſponſionem oſtendunt ſe eſſe falſos, ſi eſt ita. quod tamen ignoro.

Item perſuaſerunt imitatores prædictæ ſectæ, & præcipuè mulieres, aliquibus probis viris quòd de cetero nec publicè nec occultè prædicarent aut virginitatem nec recommendarent continentiam, aſſerentes nullam eſſe virginem, una tantùm dempta, quam dicunt eſſe ſapientiam. Iſtud non pervenit ad aures meas in veritate.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quòd de purgatorio ſunt contrarij Eccleſiæ, ſimiliter de inferno, & habent quendam ſingularem modum & fictum loquendi de illa materia. Hic dico quòd in iſta materia nec alium modum nec alium ſenſum quàm modum & ſenſum ſacræ ſcripturæ habeo, nec habere volo.

In his omnibus me ſubmitto ad correctionem & directionem reverendiſſimi patris in Chriſto Domini Dei gratia Cameracenſis Epiſcopi.

Sententialiter in iis ſcriptis condemnamus. Verùm ſuper aliis propoſitionibus tibi impoſitis, an eaſdem dogmatizaveras vel ne, veritatem diligentiùs per-

scrutari fecimus, denuntiante fama. Et licèt contra te super hoc clamor famaque vehemens, non quidem de malivolis, sed à providis & honestis, invaluerit, non tamen super hiis plenariam probationem attingimus. Idcirco ut ibi purgationem recipias ubi noscéris diffamatus, te super illis propositionibus, quarum tenor sequitur est & talis.

Sequuntur propositiones falsæ, erroneæ, & hæreticæ, quas ego frater Vvilhelmus judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, de quibus imposita est mihi canonica purgatio, quia super iis contra me fuit fama publica & vehemens suspicio.

Prima. Quòd expedit multis peccare propter occasionem dispositionis ad beneplacitum.

Secunda. Quòd actus coëundi naturaliter & tali intentione posset fieri quòd valeret tantum sicut oratio coram Deo.

Tertia. Quicunque cum cultu operum pœnitentiæ, jejunando, orando, & abstrahendo quod naturæ delectabile est, licèt in hoc se mortificet, tamen non indiget illis ad suam salutem; sed ille integerrimus & perfectissimus est qui de hoc non curat, nec in sua conscientia ullum remorsum facit.

Quarta. Quòd post quandam revelationem, in qua me à Deo complexatum & illuminatum fuisse asserui, dixi quòd eram totaliter alteratus & sine labore & studio intelligebam sacram scripturam & clariùs quàm antè, & quòd non poteram decipi, & quòd prædicationes meæ erant ultra humanum intellectum, & sermonem meum præferebam aliis, dicendo: Quando eram sicut vos; sed nunc aliter sum, & aliter intelligo. Et qui sermones meos audit, meam veritatem audit. Qui aliorum sermones audit, seducitur: quia alij prædicant mortem, ego verò vitam.

Quinta. Quòd homo ita potest uniri Deo in hac vita ut per actus exteriores qualescunque non peccaret.

Sexta. Quòd Pilatus, Cayphas, & Cayn non sunt damnati, sed peccatum.

Septima. Quòd aliquas propositiones, quas aliàs revocare debui, nec plenè nec debitè revocavi, & quòd aliquas earum vel eis similes postea prædicavi.

Octava. Quòd quando aliquid erroneum, malè sonans, vel scandalosum prædicavi, si super ab aliquo interrogatus fuerim, statim illud negare consuevi & dicta mea glosari & interpretari.

ad purgationem canonicam cum septima manu tui ordinis infra mensem in manibus commissariorum nostrorum in villa prædicta Bruxellensi peragendum indicimus convictionis eorundem, tibique pœnitentiam trium annorum in castro nostro de Sellis post dictas tuas abjurationem, reprobationem, revocationem, purgationem per te ut suprà fiendas injungimus adimplendam. Alioquin quòd in uno conventuum tui ordinis extra nostram dioceſim Cameracensem constitutorum per nos de consilio tui conventus Bruxellensis eligendo pro pœnitentia eadem, sine exeundo eundem conventum & ambitum ipsius, remaneas usque ad nostrum beneplacitum, & quòd de cetero à prædicationibus publicis vel privatis confessionibusque audiendis cesses penitùs & omnino. Hæcque tibi injungimus sub juramento, & ad hoc te atque in expensis legitimis taxatione reservata condemnamus in iis scriptis.

Qua quidem sententia sic per nos, ut præmittitur, lata, præfatus frater Vvilhelmus de Hildernissem eandem ratam habendo, approbando, emologando, & confirmando, statim ipsam devotè & humiliter coram nobis quantum debuit adimplevit, revocationesque & abjurationes sibi injunctas faciendo publicè & expressè atque præstando, promittens etiam & volens ipsam ulteriùs humiliter & devotè ubilibet locorum in eadem designatorum secundùm

ipsius continentiam & tenorem absque fallo seu fictione quibuscunque tenere & adimplere modo & forma suprascriptis & in eadem latiùs expressis. In quorum omnium & singulorum præmissorum testimonium præsentes litteras nostras sententiam & ordinationem suprascriptas in se cum revocatione ejusdem fratris Vvilhelmi & abjuratione continentes per dilectum & fidelem nostrum Notarium infrascriptum in hanc publicam formam fieri & redigi mandavimus, ac unà cum nostri sigilli appensionis signo & subscriptione suis voluimus munimine roborari. Actum & datum in palatio nostro episcopali Cameracensi sub anno ab incarnatione Domini millesimo quadringentesimo undecimo, Indictione quarta, mensis verò Iunij die duodecima, pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini Iohannis divina providentia Papæ XXIII. anno secundo, præsentibus in iis venerabili & religioso Domino Iacobo Abbate monasterij sancti Autberti Cameracensis, necnon venerabilibus & circumspectis viris Dominis & magistris Rodulpho Presbyteri Archidiacono Hasnonensi in Ecclesia Cameracensi, Henrico de Darnhen, Arnoldo de Halle, Petro Majoris, Heinrico Panneti, Nicolao Claiquin, Aymerico de Railhac, Petro Symonis, Petro Presbyteri, & Petro de Hailles Cameracensis, Iohanne de Atrio, Petro le Feurbisseur, sanctæ crucis, Nicolao Brassardi, Vvalthero de Opstall, & Iohanne Nicolay sancti Gaugerici Cameracensis Ecclesiarum Canonicis, necnon Dominis Iohanne Blanclion beatæ Mariæ Magdalenæ, Iohanne le Gondale sancti Martini, Iacobo le Solbier sancti Vedasti, & Iohanne Hedrot sancti Nicolai Cameracensis Ecclesiarum Curatorum ungeronum, ac Dominis Francisco de Carnin Canonico dictæ Ecclesiæ sancti Gaugerici, Arnoldo Logier Presbyteris Curato sancti Martini

Cameracensis, Iohanne Majoris & Petro Hardit Notariis publicis, Petroque le May & Nicolao le Vende servitoribus nostris, aliisque quampluribus in multitudine copiosa existentibus ibidem & præsentibus tam clericis quàm laicis testibus ad præmissa omnia & singula vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Arnulphus de Poest Clericus Cameracensis diocesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus venerabilisque curiæ Cameracensis Notarius & Auditor, ac præfati reverendissimi in Christo patris & Domini mei Domini Episcopi Cameracensis in hac causa coram eo scriba juratus, quia præmissis sententiæ prolationi, revocationi, abjurationi, approbationi, emologationi, promissioni, ceterisque omnibus & singulis suprascriptis, dum per prædictum reverendissimum patrem & coram eo in modum agerentur & fierent suprascriptum, unà cum prænominatis testibus præsens vocatus interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco has præsentes litteras super hoc de mandato ipsius reverendissimi patris confectas, in hanc publicam formam redactas, manu mea propria scriptas, unà cum ipsius reverendissimi patris ac Domini Domini Episcopi Cameracensis appensione sigilli, signo meo solito & consueto hic me eadem manu subscribens signavi & roboravi requisitus in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

HISTORIA MONASTERII Figiacensis in diœcesi Cadurcensi. Auctore incognito, sed vetusto.

ABbatiam igitur Fiacensem antiquitus in honore sancti Salvatoris constructam, & ab ipso omnipotente Domino per semetipsum mirabiliter consecratam, à Pippino verò Rege nobiliter perfectam, à Karolo quoque Imperatore thesauris & reliquiis honoratam, à plurimis etiam Abbatibus jam gubernatam, Aigmarus venerabilis vitæ Abbas penè destructam renovavit, & à tertio anno Ludovici Augusti usque ad quintum filij ejus Lotharij, triginta scilicet & duobus annis, regulariter tenuit. Hic primùm Fiacensis Clericus, postmodum à Paschali Papa apud Romam in monachum & Abbatem benedictus, eò quòd in supradicto monasterio nullus remansisset monachus, eundem locum honoribus, thesauris, ac ædificiis plurimis decoravit: inter quæ etiam Crucifixi vultus magnas duas fecit imagines, utrasque opere argentario undique formatas, auro lapidibusque pretiosis adornatas; quarum majorem Fiaco posuit, minorem verò Conchis, ut per hoc cunctis clarescceret locorum istorum quis cui præesse debuisset. Nam & eundem locum quandiu vixit tenuit. Obiit autem temporibus Raimundi Tolosani Comitis & Stephani Episcopi Caturcensis anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione decima quinta; sepultusque est in Fiaco, in cimiterio beatæ Mariæ. Hic verò Raimundus supradictus Comes primus per sacramentum fidelitatem Fiacensi Abbati juravit; & iste Stephanus, tam ipsius quàm omnium proborum ro-

gatu & consilio, post sedem suam primatum cunctarum Caturcensium Ecclesiarum Fiacensi monasterio dedit & secundam sedem esse constituit.

Post hunc Abbatem Girardus cognomento regularis Fiacensem suscepit abbatiam tempore supradicti Regis: qui licèt parum, tamen quandiu vixit, Conchensem Ecclesiam tenuit. Isto verò mortuo & in podio sanctæ Mariæ Fiaco sepulto, Radulfus ejusdem loci monachus curam pastoralem suscepit, & Karoli Regis filij Ludovici decimo septimo anno ministerium suum implens, & ipse Conchas rexit, sepultusque Fiaco quiescit. Hic de honore Fiacensis monasterij tantum distribuisse invenitur ut uni soli, scilicet seniori Calmontensi, sexaginta Ecclesias cum quingentis mansis dederit, eo tantùm tenore ut ex eis nulli alio loco donationem faceret, & cùm necessitas posceret, solo jussu, absque lucro alio temporali, bella Abbatis & suorum præliaretur.

Huic successit Adalardus, qui in monachatu & abbatia in describendis libris fuit studiosissimus; ideoque in multorum voluminum initio & fine invenitur attitulatus. Hic temporibus Karoli Calvi & fratris ejus Lotharij extitit; & ipse Conchensem locum regens, sepultus Fiaco quiescit.

Hunc secutus est Geraldus, in construendis ædificiis & in ampliando ac vestiendo honore strenuissimus, Karoli stulti Regis temporibus. Hic, inter alia quæ gessit, Hugonem monachum Fiacensem & hortolanum, abstinentia & labore corpus proprium affligentem; quasi in arctiori loco Conchas transmisit, Prioremque esse præcepit. Dum verò quadam die ipse Geraldus Conchas maneret, familia ipsius loci post vim acerrimam contentionem famulos Abbatis cæsos in tantam iram ipsius succendit ut manè clamore audito dixerit se nunquam ampliùs eundem locum visurum. Itaque sociis ab eodem loco

mox ut ascendit aspiciens retrò sequentibus se dixit: Quàm stultus est qui tam spatiosum tamque delectabilem locum habet sicuti est Fiacus, & tam asperrimum atque vallibus concavum quærit sicut est hic locus. Meritò talia debent ei accidere. Cognita verò Prior irati Abbatis discessione, cum aliquibus fratribus eum subsecutus Fiaco reperit, & cum sua satisfactione justitiam suorum ad libitum præmisit. Abbas autem, quia jam præ senectute desipiscebat, non solùm illius satisfactionem, sed & suorum admonitionem audire contempsit; hoc solùm dicens, nunquam se ampliùs Conchas visurum, stultumque esse Fiacum habentem & Conchas requirentem, sine alia ratione & consilio abire permisit.

Hac igitur accepta occasione, qui eatenus Abbatibus Fiacensibus, utpote suis, cunctis scilicet supradictis, & ante irruptionem barbarorum, Anastasio, Iohanni, & Stephano, ac aliis quampluribus subjacuerant, convalescentes viribus, substantiis, & numero, istum Hugonem loco Abbatis, quandiu vixit, tenuerunt, & deinceps à Fiacensibus separati, absque capite legitimo esse cœperunt.

Post hæc verò mortuo jam Geraldo & Fiaco sepulto, Fiacenses more solito Abbatem legitimum elegerunt Domnum Calstonem, ipsius loci monachum probissimum; qui à Benedicto Papa Romæ benedictus, sui monasterij ædificator extitit devotus, & inter cetera librum de cantu optimum secundùm morem Romanum Raimundum Aureliacensem Abbatem Fiaco describere fecit; in cujus initio, in capite versuum & fine quos de cantu isdem scriptor fecit, sic de eo testatur: *Calsto sui nomen solito testatur in actu.* Hic etiam capellam mirifico opere infra murum cœpit ædificare, sicut in columnis ipsius Ecclesiæ continetur, ac usque ad dimidium perfecit. Sed & monasterium Fontense in honore sanctæ Mariæ semper

virginis constructit, facta donatione à Ramnulfo Fiaco nobilissimo ipsius loci domino, & à Benedicto Papa ac Stephano Caturcensi Episcopo ..... scripto, monachosque Fiacenses ad servitium Dei faciendum ibidem constituit. Fuit autem tempore minoris Lotherij Regis, mortuusque est ac sepultus Fiaco anno ab incarnatione Domini nongentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, Epacta vicesima quinta, Concurrente III.

Post istum accepit regimen abbatiæ Adacius temporibus supradicti Regis Lotharij & Ludovici, qui Blandinam accepit uxorem, proprij monasterij & ipse studiosissimus ædificator. Hic construxit membrum Ecclesiæ ante sanctum * Bibianum, sicut testantur versus in superliminare portæ ipsius descripti; mortuusque est ac sepultus, Romam pergens, apud sanctum Ægidium anno ab incarnatione Domini nongentesimo octuagesimo octavo, Indictione prima, Epacta nulla, Concurrente VII.

* S. Bibiani Episcopi Santonensis corpus servatur in Ecclesia Figiacensi.

Huic nimirum successit Geraldus, multorum operum perfector strenuissimus, Hugonis atque Roberti Regum temporibus; mortuusque est anno nono supradicti Roberti Regis, & Fiaco sepultus.

Istum secutus est, tempore prædicti Regis Roberti, Abbas Rogerius: qui cùm multum honorem monasterij dederit Militibus, lignum crucis fecit ex auro & lapidibus; pergensque Hierosolymis, ultra non est reversus. Sub tali igitur spe prædicti loci monachis manentibus, quibusdam dicentibus quòd adhuc reversurus esset Rogerius, aliis verò quia jam esset mortuus, contigit ut Adalgerij, qui ex Salmatio Fiacensi abbatiam Conchensem dato magno pretio fuerat adeptus, sub occasione sepeliendi cujusdam probissimi fratris Fiacensis cognomento Rosad Barnardi veniret Fiaco; completoque officio misit manum ad marsupium, & comparavit abbatiæ mi-

nisterium, non tamen de consilio omnium, ideoque in proximo debitum accepit retributionis præmium. Nam dum per abbatiam ambulare vellet, & cum quodam fratre ipsius monasterij Lautardo apud Fiscellam primum hospitium suscepisset, mox ut ingressus est paratum sibi solarium, pede lapso crureque fracto, qui equitando venerat, rediit in vanum. Sic itaque Adalgerius turpi charactere notatus, vix post aliquot menses aliquo modo recuperatus, Conchas reversus, Fiaco non comparuit ulteriùs.

Mox igitur fratres Fiacenses, illo adhuc vivente, Abbatem elegerunt nobilissimum Lautardum, ipsius monasterij monachum nutritum: qui cùm diù abbatiam Fiacensem tempore Ainrici Regis rexisset, novissimè consilio omnium & Conchensem locum more suorum prædecessorum suscepit regendum; & utraque loca tenens per triennium, quorundam, ut fertur, malitia infirmatus, apud Conchas diem clausit ultimum. Et iste ex Fiacensibus Conchensem locum moderno tempore tenuit, ibique sepultus quiescit.

Huic Vvillermus Fiaco successit, qui in expugnandis inimicis diù victoriosus extitit. Hic de simonia accusatus, quæ pestis jam per ultimum Papam Leonem fuerat declarata, & per Gregorium VII. ejus successorem valde insecuta, quamvis invitus abbatiam dimisit, & pastori legitimo introducendo locum vacuum reliquit. Monachi verò Fiacenses Abbatem legitimum Domnum Hugonem Clunienſem eligentes, admonuerunt Conchenses ut abjecto suo simoniaco, more solito subderentur illorum Abbati legitimo. At illi indignati, non solùm non sunt emendati, sed multa facientes, plurima mendacia invenientes, caput in caudam caudamque in caput erigere conantes, in tantum sunt pejorati ut more Iudæ oſculo tradi & à proprio monasterio Fiacenses

eici fecerint, & Airardum Fiacenſem Abbatem, cui ſubditi auctoritate apoſtolica fuerant, contra totius Chriſtianitatis ritum à ſe projecerint.

CHRONICON FLORIACENSE.

DCXV. Dagobertus junior in Francia regnat.

DCXXVI. Leodebodus Floriacenſis monaſterij fundator obiit.

DCLXXXVIII. Pipinus major domus efficitur in Francia annis XXVII.

DCCVIII. Drogo Princeps Francorum obiit.

DCCIX. Primùm Pipinus perrexit in Alamanniam contra Vvilharium Ducem.

DCCXI. Childebertus Rex obiit.

DCCXIV. Pipinus obiit.

DCCXV. Dagobertus Rex obiit.

DCCXVI. Primùm pugnavit Carolus Dux contra Ratbodum ad Coloniam.

DCCXXXI. Beda Preſbyter doctor Anglorum obiit.

DCCXLI. Carolus Princeps obiit.

DCCXLII. Carlomannus & Pipinus contra Hunaldum perrexerunt.

DCCL. Pipinus electus eſt in Regem, & Hildericus tonſoratus.

DCCLXIV. Pipinus Rex obiit. Carolus & Carlomannus regnum ſuſcipiunt.

DCCLXVI. Carlomannus obiit.

DCCLXXVIII. Hludouvicus natus eſt.

DCCCIV. Alchuinus Abba obiit.

Anno incarnationis dominicæ DCCCVI. II. Non. Iun. luna XIII. ſignum crucis mirabili modo in luna apparuit feria V. prima aurora incipiente, quaſi hoc modo. ✠

Anno incarnationis dominicæ DCCCIX. Indictione II. XVII. Kal. Aug. II. fer. incipiente hora diei V. eclypſin ſolis apparuit luna XXIX.

DCCCXIV. Carolus Imperator obiit, & Hludouvicus imperium recepit.

DCCCXXIX. Hieremias Archiepiſcopus obiit.

DCCCXXXIII. Hludouvicus regnum amiſit, & Hotharius illud ſuſcepit. Item Hludouvicus recepit.

DCCCXL. Hludouvicus Imperator obiit, & eclypſin ſolis facta eſt IV. feria ante aſcenſionem Domini, hora diei nona, II. Non. Maij.

DCCCXLI. Bellum apud Fontanetum.

Anno incarnationis Domini DCCCXLIX. anno octavo Caroli Regis, XII. Kal. Martias, extitit terræ motus quaſi decima hora noctis.

DCCCLIII. Adalbertus bonæ memoriæ monachus XI. Kal. Ianuarij obiit.

DCCCLIV. Dedicatio monaſterij ſanctæ Columbæ virginis & ſancti Lupi confeſſoris.

DCCCLXIV. Cometes apparuit circa Kal. Maias per viginti dies.

Anno incarnationis dominicæ DCCCLXVI. regnante Karolo Ludovici filio, duo filij illius moriuntur Hlotharius Abbas & Karolus Rex Aquitaniorum. Avunculus quoque ejus Rhodulfus conſiliarius primaſque palatij hominem exit, necnon & Rhodulfus Archiepiſcopus Aquitaniorum. Et duo principes Aquitanici Landricus & Imino inter ſe dimicantes ſemet interimunt. Rhothbertus quoque atque Rannulfus, viri miræ potentiæ, armiſque ſtrenui, & inter primos ipſi priores, Northmannorum gladio necantur.

Anno DCCCLXXVII. dominicæ incarnationis Karolus Ludouvici filius II. Non. Octobr. obiit. Et Ludouvicus filius ejus VI. Idus Decembris regnum ſuſcepit.

DCCCLXXVIII. Iohannes Papa in Gallias venit, & apud civitatem Trecas diù moratus est.

Eodem anno, Idibus Octobris, eclypsis lunæ fuit, cùm esset quartadecima. Et eclypsis solis secuta est eodem mense IV. Kal. Novembris, luna vicesima octava, utroque sidere in quindecim diebus deficiente.

DCCCLXXIX. Hludovicus Rex IV. Idus Aprilis obiit.

DCCCLXXX. Hludovicus & Karlomannus apud Ambianas regnum suscipiunt & dividunt mense Martio.

DCCCLXXXII. Hludovicus Karlomanni frater obiit.

DCCCCV. Hoc anno, mediante Maio, V. feria, apparuit stella circa ipsum septentrionem à parte Circij, emittens radium magnum versùs Euro austrum quasi longissimam hastam inter leonem & geminos trans zodiacum; & visa est ita ferè XXIII. diebus.

DCCCCXVII. Memorabile bellum apud Suessones, in quo Rothbertus Rex occubuit, licèt exercitus ejus victoriam adeptus sit. Eodemque anno Rodulfus regno sublimatur.

DCCCCXXXVI. Glorioſus Francorum Rex Rodulfus obiit.

Prima in totam Galliam Vngarorum irruptio.

DCCCCLII. Hoc anno Vgo Dux Burgundionum & Alanus Brittonum obiere.

DCCCCLIV. Ludouvicus Francorum Rex obiit. Et filius ejus Hlotharius in Regem nobiliter Remis elevatus est.

DCCCCLVI. Hoc anno IV. Nonas Septembris luna versa est in sanguinem. Eodem quoque anno, mense Iunio, signum mirabile in cælo apparuit, draco magnus scilicet, & sine capite. Secuta est

statim mors Hugonis magni principis Francorum, Burgundionum, Brittonum, atque Nortmannorum. Eclipsis solis factus est XI. Kal. Ianuarij, & stellæ apparuerunt à prima hora usque tertiam.

DCCCCLXXIV. Ipso anno cœnobium sancti Benedicti Floriacense combustum est. Sed Dei providentia procurante in brevi trium spatio annorum in meliorem statum est restauratum, Domno Abbate Richardo ordinatore. Octavas sancti crematum est Laurentij.

DCCCCLXXIX. Ludovicus à Francis Compendij Rex est elevatus.

DCCCCLXXXIV. Lotharius Francorum Rex obiit.

DCCCCLXXXVII. Ludovicus Francorum Rex obiit. Eodem anno Hugo Dux Rex Francorum est elevatus Noviomi, * *qui secum Rothertum filium suum Regem Aurelianis elevat.*

* Hæc addita sunt à manu paulò recentiore, sed antiqua.

Anno ab incarnatione Domini MIII. & qualitas hyemis longior solito, pluviarumque inundatio extitit gravior, atque diversis in regionibus flumina suos ultra modum præterierunt terminos. Præcteris verò Liger in tantum suas præteriit metas ut cuncta circumcirca posita periculo mortis tremefaceret, valla penetrando, casas unà cum hominibus eruendo, pontes firmos sepesque eradicando, boves cum bubulcis, ovilia cum ovibus & pueris demergendo, ita ut diluvium esse crederetur. Quo etiam anno propter Aurelianensem urbem, in loco qui dicitur Porcaria, multis, ut fertur, est visa civitas fantasmate constructa ab hora diei tertia usque in nonam horam, pratis aquisque cum molendinis vallata, militibus necessariisque rebus adplenè referta. Infantem quoque fama vulgante audivimus natum fuisse omnium animalium pedes habentem, soloque capite unoque pede & manu hominem simulantem;

quem parentes dolore & rubore confusi bis terque terra occulentes, dum nequeunt eum perdere, consilio accepto in fluvio demerserunt. cujus casum tantus vocum fragor secutus est ut tota regio ejulasse crederetur.

Eodem quoque anno Girbertus Papa obiit.

Sequenti anno Abbo Abbas martyrio coronatus est.

MXVII. Rotbertus Rex filium suum Hugonem consortem regni facit apud Compendium.

MXXV. Hugo Rex moritur.

MXXVI. Iterum sub Gauzlino Abbate Floriacense cœnobium conflagratum est, sed biennio restauratum cum omnibus officinis & Ecclesia sancti Petri.

MXXIX. Obiit Gauzlinus Abbas.

MLIX. Philippus regni monarchiam suscepit.

MLX. Heinricus Rex Francorum obiit.

CHRONICON CREMONENSE.

MCXI. nono Kal. Iunij, Indictione IV. capta est & destructa civitas Laudes.

MCXVII. tertio die mensis Ianuarij, Indictione X. die Mercurij, in hora vespera, fuit terræ motus maximus, qui antea non erat visus.

MCXVIII. decimo nono Kal. Novembris, Inductione XI. die Iovis captum est castrum Lomelli.

MCXXVII. octavo Kal. Septembris, Indictione V. civitas Cumensis capta fuit.

MLXIV. X. die mensis Madij fuit pugna in campo Montuo.

MCC. Indictione tertia, die XI. erat Augusti, una die Lunæ, fuit captus burgus Pisonij & combustus & ferè omnes habitantes fuerunt & totum suum naudium; & multi projecerunt se de turri magna,

& quamplures interim concesserunt peregrè. Et illa nocte veniente die Lunæ veniente valde serenum erat. Et ferè circa medietatem noctis apparuit quòd cœlum aperuisset, & pulcram flammam fecit.

Anno Domini MCCXIII. Indictione prima, una die pasc, quæ fuit secunda die intrante mense Iunij, venerunt Cremonenses cum caroçolo supra terram Cremæ, & Mediolanenses venerunt cum suo caroçola & cum bruira, & magnam pugnam fecerunt insimul, & Cremonenses expulserunt Mediolanenses de campo, & tulerunt eis caroçolum & buiram & XXXVI. confanones, & magnam copiam fecerunt de populo Mediolanensium.

MCCXXXIV. die II. intrante Iulio, cùm Mediolanenses iviſſent in comitatu Cremonensium, die tertio erant apud Covenoltam sive in loco ubi dicitur prato de bisso. Ibi Cremonenses cum sua societate pugnaverunt cum Mediolanensibus & Bresanis, ita quòd Cremonenses meliorem partem obtinuerunt.

MCCXXXVII. una die Veneris, quarta exeuntis Novembris, aput Curtisnovam Dominus Imperator cum militia Papiensium & Pergamensium & cum aliis suis militibus pugnaverunt cum Mediolanensibus & cum illis de eorum societate. Et Mediolanenses ibi amiserunt caroçolum suum, & innumerabiles fuerunt ibi mortui & capti. Et ipso die captum fuit castrum Curtisnovæ. Et ultima die ipsius mensis captum fuit per Bergamenses castrum Palusci.

De Majori-monasterio & Abbatibus ejus.

PRimus Abbas Majoris-monasterij post sanctum Martinum fuit Gaubertus, qui constitutus est ab eo, & multi alij post ipsum usque ad adventum Normannorum. Tunc desolata Ecclesia, Canonici

sancti Martini de novo castello miserunt ibi conventum Clericorum. Postea Hugo Capet Rex Francorum dedit illam Ecclesiam Odoni Comiti Turonensi, qui misit Cluniacum, & adduxit inde Guislebertum cum duodecim aliis monachis anno ab incarnatione Domini millesimo. Hunc Guislebertum idem Comes fecit Abbatem ejusdem loci anno millesimo quarto. Quod & sanctus Majolus Abbas Cluniacensis concessit, cùm Majus-monasterium per quatuor annos fuisset cella Cluniaci. Huic Odoni successit alius Odo filius ejus, pater Comitis Tebaldi; qui ambo jacent in capitulo Majoris-monasterij. Secundus Abbas post Guislebertum fuit Sichardus, tertius Gaubertus, quartus Albertus, quintus Bartholomæus, sextus Bernardus, septimus Hilgotus antea Episcopus Suessionensis, octavus Vvillelmus, nonus Odo, decimus Garnerius, undecimus Robertus.

CHRONICON BREVE

Monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi.

ANno Domini millesimo primo, æra MXXXIX. anno VI. Rodberti Regis, Indictione XIV. Guifredus Comes cœpit ædificare monasterium sancti Martini Canigonensis.

Anno Domini MXIV. electus fuit in primum Abbatem Selva monachus sancti Michaëlis Coxanensis.

Eodem anno delate fuerunt reliquiæ sancti Gauderici Confessoris è finibus Tolosæ.

Anno Domini MXXVI. consecrata fuit ejus Ecclesia.

Anno Domini MXXXVI. Guifredus Comes monachus efficitur.

Anno Domini ML. pridie Kalendas Augusti obiit dictus Guifredus.

Selva primus Abbas præfuit annis XXX.
Guillermus Abbas annis V.
Miro annis XV.
Benardus annis VIII.
Petrus Ermengaudi annis VIII.
Petrus Iuniarij annis XXXIII.
Raymundus Valle de Crassa annis XIX.
Berengarius de Crassa annis V.
Raymundus sacrista Rivipullensis annis XI.
Geraldus frater ejus annis IV.
Petrus annis XXXIII.

CHRONICON SAVIGNIACENSE.

ANno Domini MCXII. beatus Vitalis eremita, optimus seminiverbius, in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ ædificavit monasterium istud, quod dicitur Savigniacum. Hic beatus vir modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes monachis suis imposuit, virtutibus & miraculis claruit. Inter alia multa quendam militem mortuum populo præsente suis sanctis precibus resuscitavit. In dicto monasterio, quod ipse fundaverat, primus Abbas ordinatus, rexit abbatiam annis decem, & anno Domini MCXXII. gloriosè migravit ad Dominum. Huic successit beatus Gaufridus Bajocensis monachus, vir admodum litteratus, & in religione fervens, generis nobilitate pollens, sed vitæ sanctitate excellens. Hic multa monasteria ædificavit, & consuetudines prioribus altiores Savigniacensibus imposuit. Qui abbatiæ Savigniacensi præfuit annis XVI. & anno Domini MCXXXVIII. Domino reddidit spiritum. Cui post

Enavum Anglicum, qui parvo tempore eidem monasterio præfuit, succeſſit venerabilis Serlo de valle Badonis juxta Bajocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in seculo discipulus, & monachatum priùs susceperat cum eo in monasterio Cerasiensi, sed relicto illo monasterio, pro majori religione Savigneium expetierat. Hic quia pro velle suo non ei obtemperaverant monasteria sibi subdita, Cistercienſi ordini se dedit, in manus videlicet beati Bernardi tunc temporis Abbatis Clarevallensis. Et in continenti conceſſus est ei prioratus omnium Abbatum ordinis per Domnum Cistercienſem & quatuor primos Abbates. Dictus verò Serlo Abbas quietem contemplationis desiderans, post conversionem domus Savigniacensis quinque annis tantummodo abbatizavit, & anno Domini MCLIII. ceſſit & apud Claramvallem remansit. Et tunc creatus est in Abbatem Savigniacenſem Ricardus de Corceio ejusdem monasterij Prior, vir prudens & discretus, ac magnæ honestatis; qui per quinque annos abbatizavit, & jura Ecclesiæ Savigniacensis toto suo tempore constanter defendit. Anno verò Domini MCLVIII. Domnus Serlo quondam Abbas Savigniacensis apud Claramvallem diem clausit extremum. Eodem verò anno Abbas Savigniacensis Ricardus ceſſit, nullam prætendens causam nisi suam insufficientiam, tamquam vir humilis & valde timoratus. Alexander verò monachus Clarevallensis, qui priùs fuerat Abbas Grandisilvæ, dicto Abbati Ricardo succeſſit, quem conventus Savigniacensis de consilio Abbatis Clarevallensis Fastredi elegerat, & tribus annis abbatizavit. Post quem apud Savigniacum creatus in Abbatem Ioslenus, vir sapiens & religiosus, & XVI. annis abbatizavit. Hujus tempore, videlicet anno Domini MCLXXIII. beatus Haino migravit ad Dominum, & nova Ecclesia Savigniacensis incepta

est. Anno verò Domini MCLXXVIII. Abbas Iosle-
nus post capitulum generale cessit, & apud Savig-
niacum remansit humilis & quietus & religionis
amator. Eodem verò anno quo cessit, miserat con-
ventum ad abbatiam Barberij. Eodem verò anno ele-
ctus est & promotus in Abbatem vir vitæ venerabi-
lis & litteraturæ eminentis Guillelmus de Tolosa
de villa Cadomi oriundus. Et anno Domini MCLXXIX,
electus est idem Guillelmus in Abbatem Cistercien-
sem, ubi diem clausit extremum. Cui successit apud
Savigniacum Domnus Simon genere valde nobilis,
sed sanctitatis prærogativa nobilior. Quapropter
Deo gratus habebatur & penes homines reverendus
& laude dignus. Abbas verò Simon domum Savig-
neij rexit per quinque annos, & infirmitatis causa,
cœcitatis videlicet oculorum, cessit, & apud Sa-
vigniacum remansit, ibique sanctissimam vitam du-
xit usque ad mortem. Cui successit Abbas Girardus,
vir bonus & Deum timens, & per unum tantùm an-
num abbatizavit. Post Abbatem Girardum creatus
est in Abbatem vir religiosus & in temporalibus
strenuissimus Guillelmus de Dobra, & per XXI. an-
num abbatizavit, sicque diem clausit extremum. Cui
successit vir bene litteratus, honestus, & religione
fervens, Radulfus quondam Archidiaconus Bajo-
censis, qui per XIV. annos abbatizavit. Huic suc-
cessit Abbas Rogerus, qui per quinque annos præ-
fuit. Huic verò viam universæ carnis ingresso suc-
cessit vir devotus, magnæ maturitatis & religionis,
Lucas Bajocensis, & per tres annos abbatizavit, &
anno Domini MCCXXIX. in die ascensionis Domini
cessit. Huic successit & eodem die est electus vene-
rabilis pater Domnus Stephanus de Lixinthonia Ab-
bas de Stanleia, vir doctrina & scientia præditus.
Hic multa bona tam in hac domo quàm in tota ge-
neratione fecit, fervorem religionis ibidem amplius

excitavit, conventum Savigniacensem usque ad quadraginta monachos & eo ampliùs augmentavit, ipsam abbatiam multis ædificiis decoravit. Hic bonus vir, undique circumspectus, corpora sanctorum præsentis monasterij, Spiritu sancto edocente, de capella beatæ Katherinæ, ubi multo tempore quieverant, ad majorem Ecclesiam cum multo honore reportavit. Qua occasione Dominus multa & crebra miracula ostendere dignatus est. Facta est autem hæc sanctorum Savigniacensium reportatio prima die mensis Maij anno gratiæ MCCXLIII. Eidem verò Abbati à capitulo generali, eodem tempore quo dictam rexit abbatiam, concessum est ut ante corpora dictorum sanctorum de oblationibus fidelium continuè ardeat luminare. Insuper & in dicta Ecclesia Savigniacensi duas lampades pro satisfactione cujusdam Militis, qui enormiter dictam læsit Ecclesiam, & tertiam lampadem ante altare in quo cantatur Missa cotidiana de beata virgine Maria, in cujus honore consecratum est dictum altare, de eleemosyna cujusdam Canonici Abrincensis, qui ad hoc specialiter dedit, eidem Abbati concessum est ardere die ac nocte à capitulo generali. Necnon & aliam lampadem eodem tantummodo tempore quo Conventus est ad Matutinas, ante ostium dormitorij, eidem permissum est ardere de eleemosyna cujusdam amici præfatæ abbatiæ sacerdotis. Memoratus autem pater cùm strenuè domum Savigniacensem annis XIV. gubernasset, in solemnitate beati Nicolai hyemalis electus est in Abbatem Clarevallensem. Et eodem anno in Cathedra beati Petri electus est in Abbatem Savigniacensem Dominus Stephanus de Castro Duni Abbas Bellibecci, qui fuerat quondam Decanus Rothomagensis, vir admodum litteratus, & religionis amator strenuissimus.

Anno Domini MCXXII. obiit pater noster Dominus Vitalis Abbas & fundator hujus sacri cœnobij XVI. Kalendas Octobris.

Anno Domini MCXXVIII. Redonis civitas cum ſuburbanis omnibus penè penitùs conflagravit.

Anno Domini MCXXXIII. eclypſis ſolis IV. Non. Auguſti.

Anno Domini MCXXXV. obiit Henricus Rex Anglorum & Dominus Normannorum. Cui ſucceſſit Stephanus nepos ejus, qui tunc Comes Moretonij & Boloniæ erat.

Anno Domini MCXXXVIII. obiit Domnus Gaufridus hujus loci Abbas ſecundus VIII. Idus Iulij.

Anno Domini MCXLI. IV. Nonas Februarij captus eſt Stephanus Rex à Roberto Comite Gloceſtriæ, itemque liberatus à burgenſibus Londoniæ.

Anno Domini MCXLVII. Lodovicus Rex Francorum pergit Ieruſolimam.

Anno Domini MCLI. menſe Septembri obiit Gaufredus Dominus Normannorum & Conſul Andegavorum.

Anno Domini MCLIII. obiit Eugenius Papa III.

Anno Domini MCLIV. menſe Novembri obiit Stephanus. Succedit filius filiæ Henricus nepos Henrici primi.

Anno Domini MCLV. obiit Anaſtaſius Papa.

Anno Domini MCLVIII. obiit apud Claramvallem v. Idus Septembris Domnus Serlo, qui fuerat Abbas Savigneij, vir vita & ſermone atque ſcripturarum ſcientia conſpicuus.

Anno Domini MCLXXI. occiſus eſt ſanctus Thomas.

Anno Domini MCLXXII. facta eſt concordia de morte ſancti Thomæ.

Anno Domini MCLXXIII. II. Kal. Maij obiit Domnus Haino de Landachop.

Tres filij Henrici Regis conſilio Alienor matris ſuæ receſſerunt ab eo & adhæſerunt Regi Galliæ.

Facta eſt ſecunda ..... Filgeriarum à Rege

Henrico, & Radulphus de Filgeriis & multi nobiles ..... doli capti sunt.

Hoc anno mortuus est Robertus de Vitreio tertius in festo hyemali sancti Martini.

Eodem anno cœperunt ædificare novam Ecclesiam de Savigneio Ioslenus Abbas & monachi.

Anno Domini MCLXXVIII. rigor algoris & nivium arbusta & annosas vites perussit.

Anno Domini MCLXXIX. Philippus Rex Francorum coronatus est vivente & incolumi Rege Lodovico patre suo.

Anno Domini MCLXXXI. v. Kal. Iunij dedicata est basilica sanctæ Katerinæ à Domno Ricardo Abrincensi Episcopo.

Anno Domini MCLXXXIV. IV. Kalendas Maias egressus est conventus de Savigneio ad inhabitandam abbatiam de Bona requie, tempore Domni Simonis Abbatis.

Anno Domini MCLXXXVII. Rex Ierusalem cum cruce dominica captus est, & terra tradita in manus impiorum.

Hoc anno accepit crucem Ricardus Comes Pictavensis.

Obiit Vvillelmus filius Radulphi Filgeriarum VII. Idus Iunij.

Anno Domini MCLXXXVIII. crucesignati sunt Philippus Rex Francorum & Henricus Rex Angliæ cum multitudine maxima virorum.

Anno Domini MCLXXXIX. obiit Henricus Rex Angliæ Octavis Apostolorum Petri & Pauli, & sepultus est apud Fronteval. Cui successit Ricardus filius ejus.

Anno Domini MCXC. perrexerunt Reges Franciæ & Angliæ Philippus & Ricardus Ierosolimam cum maxima multitudine nobilium utriusque regni.

Anno Domini MCXCI. eclypsis solis facta est in vigilia sancti Iohannis Baptistæ.

Obiit Vvillelmus Burellus ſenior Abrincenſis Epiſcopus.

Anno Domini MCXCIV. obiit Radulphus de Filgeriis apud Savigneium XVII. Kalendas Iulij.

Anno Domini MCXCIX. obiit Ricardus Rex Angliæ Idibus Aprilis. Cui ſucceſſit Iohannes frater ejus.

Anno Domini MCC. Rex Iohannes duxit in uxorem filiam Comitis de Engoleſme.

Conventus Savigneij in Eccleſiam novam in die Aſſumptionis beatæ Mariæ primò intravit.

Hæc per plures annos geſta.

Anno Domini MCCI. Rex Iohannes cum Philippo Rege Francorum fœdus pacis iniit; cum Ludovico ejuſdem Philippi filio neptem ſuam parvi Regis Hyberiæ filiam dedit in uxorem, & cum ea dedit ei in maritagio civitatem Ebroicarum cum dioceſi ſua caſtraque & villas & terras quas idem Philippus Regi Ricardo jure belli abſtulerat. Rupto pacis fœdere, guerra inter eos oritur. Philippus vaſtat Normanniam, caſtrum Archarum obſidet, Arturum Ducem Britonum deſtinat in Pictaviam: qui apud caſtrum Mirabel aviam ſuam obſidens, à Iohanne patruo ſuo Rege Angliæ cum toto exercitu captus eſt. A Iohanne Barones ſui ſe dolosè, alij apertè, alij clam, ſubſtrahunt, & ſub juramento Regi Philippo ſe aſtringunt. Arturus arctæ cuſtodiæ mancipatur, & modus ſui exitus ignoratur. Iohanne moram faciente in Anglia, Philippus Faleſiam obſedit, quæ ſponte ſe illius ſubjugat ditioni. Alij ſe ſubdunt, alij reliquerunt inducias; & non impetrato à Iohanne ſubſidio, Regi Philippo tota Normannia ſubdita famulatur.

Anno Domini MCCX. obiit Vvillelmus Abrincenſis Epiſcopus cognomento Tolomeus. Cui ſucceſſit Vvillelmus Burellus junior: cujus cùm crevit dignitas, crevit & probitas.

Obiit Andreas dominus Vitreij, filius Roberti junioris, v. Idus Iunij.

Anno Domini MCCXII. facta est commotio puerorum per totam ferè Galliam à Vvindonico castro & deinceps percurrentium & per plurima castra vagantium & dicentium se Deum quærere; nec potuerunt cohiberi donec fame urgente ad propria remearunt.

Commissum est prælium gravissimum inter Christianos & Sarracenos in Hispania. Sed operante Christo à paucis Christianis multi pagani superati sunt. Et quod memoria dignissimum est, in eodem prælio Dominus noster cuidam militi manifestè apparuisse asseritur. Vide suprà pag. 251.

Obiit Gaufridus dominus Filgeriarum filius Vvillelmi & filius Agathæ filiæ Vvillelmi de Humeto XVIII. Kalendas Iulij.

Obiit Vvillelmus de Filgeriis filius Henrici XIII. Kalendas Ianuarij.

Obiit Alanus Comes de Goilou filius Henrici Comitis Kalendis Ianuarij.

Anno MCCXIII. Philippus Rex Francorum potentissimus coactis penè totius regni sui viribus cum ingenti exercitu profectus est in Flandriam, ut inde transfretaret in Angliam. Cùmque idem Philippus classem plurimam in portu qui dicitur Dam coadunasset, Iohannes Rex Angliæ consilio Reginaldi Comitis Bolonienſis missis multis armatorum millibus in mioparonibus penè totam classem illam diripuit. Ex quo casu Rex Francorum turbatus, infecto negotio reversus est.

Anno MCCXIV. Iohannes Rex Angliæ cum paucis venit in Pictavia adversùs Regem Franciæ; sed parum proficiens, treugas cepit per quinquennium. Capti sunt à Philippo Rege Francorum tres Comites, Bolonienſis, Flandrenſis, Salesberienſis.

Magister Robertus de Corcone sedis apostolicæ Legatus venit in Franciam gratia crucesignandi.

Eodem anno Iohannes Rex Angliæ crucesignatus est in capite jejunij, & cum eo Rannulfus Comes Cestriæ, & multi alij.

Anno Domini MCCXV. Innocentius Papa III. celebravit Concilium in Ecclesia Lateranensi quantum nunquam fuit antea celebratum; in quo convenerunt excellentiores & litteratiores personæ ecclesiasticæ totius Christianitatis, ut orbis in urbe contineri videretur.

Hoc anno Vvillelmus de sancto Bricio Miles, nescio corpore an animo præstantior, obiit Andegavis in translatione sancti Martini; inde delatus Savigneium, cum antecessoribus suis sepultus est.

Comites & Barones penè totius Angliæ insurrexerunt in Iohannem Regem suum.

Anno MCCXVI. obiit Iohannes Rex Angliæ, filius Henrici junioris, XV. Kal. Novembris.

Anno Domini MCCXX. obiit Iuhellus de Meduana VI. Nonas Maij.

Obiit Domina Isabel mater ejus.

In hoc anno fuit dedicatio Ecclesiæ sanctæ Trinitatis sanctæque Mariæ de Savigneio. Facta fuit à quinque Episcopis & à populo innumerabili in devotione sancta, sexto Idus Maij. Illis autem qui infra octavas dedicationis causa peregrinationis venient ad Ecclesiam Savigneij, Episcopi supradicti indulserunt in remissionem peccatorum quadraginta dies de injuncta pœnitentia. Et hoc confirmavit Robertus Rothomagensis Archiepiscopus quantum ad provinciam suam.

Anno Domini MCCXXVI. obiit Amalricus de Creon Senescallus Angliæ.

Anno Domini MCCXXIX. III. Kal. Iunij saisivit Radulphum Filgeriarum Dominum & heredem de terra sua Petrus Comes Britanniæ. Et quia idem Radulphus infra annos erat, ipse primò de novem

milibus librarum Turonenſium prædicto Petro Comiti ſatisfecit ad unguem.

Anno gratiæ MCCXXX. quinto, in vigilia omnium ſanctorum, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex illuſtris Radulfum Dominum Filgeriarum cingulo militiæ ſullimavit. Eodem anno, die ſancti Nicolai, peperit Iſabella uxor dicti Radulphi filium nomine Iohannem. Eodem die quo natus eſt, ſtatim baptizatus eſt, & migravit ad Dominum.

Anno gratiæ MCCXXX. ſexto, in feſto ſanctorum Simonis & Iudæ Apoſtolorum, bonæ memoriæ Vvillelmus quondam Abrincenſis Epiſcopus migravit ad Dominum apud Abrincas. In craſtino cum multo honore eſt delatus Savigniacum, & ibidem die tertia eſt ſepultus.

Eodem anno, in craſtino octavarum beati Andreæ Apoſtoli, magiſter Vvillelmus de ſanctæ Mariæ Eccleſia, Abrincenſis Eccleſiæ tunc Decanus, divino nutu ad eandem Eccleſiam in Epiſcopum eſt electus.

Anno gratiæ MCCXXXVIII. obiit Iohanna uxor Amalrici de Creon IV. Kal. Octobris.

Anno Domini MCCXLI. VII. Kalendas Ianuarij obiit Guetenton de Vitreio Miles, & ſepultus in Capella ſanctæ Katerinæ.

Eodem anno, XVI. Kalendas Februarij, obiit Nicolaus Avenel Miles Dominus de Chalandreio, & ſepultus in clauſtro ſanctæ Katerinæ versùs infirmitorium.

Anno Domini MCCXLII. in die Epiphaniæ, circa auroram diei, obiit Petrus de ſancto Severo monachus & confeſſor Savigniacenſis, vir vitæ laudabilis & mirè contemplativus. Hora qua cantabatur verſus *Cæli aperti ſunt ſuper eum* intravit Eccleſiam.

Eodem anno, Idibus Octobris obiit Philippus de Meauter monachus Savigniacenſis, vir valde religioſus & compoſitus.

Eodem anno, Nonis Novembris, obiit Maria uxor Lupilli Militis & Castellani Domnifrontis.

Anno Domini MCCXLIX. obiit Hugo de Baselliis Miles XVIII. Kal. Maij, & sepultus juxta matrem suam in claustro ante Capitulum.

Anno gratiæ MCCL. V. Kal Septembris obiit Robertus le Gendre noster benefactor, & requiescit in claustro sanctæ Katherinæ.

Anno Domini MCCLII. XIII. Kal. Martij magister Vvillelmus de sanctæ Mariæ Ecclesia Episcopus Abrincensis migravit à seculo, vir admodum litteratus & timens Deum necnon & religionis amator. Magister Ricardus dictus Laneus Canonicus Abrincensis, qui tunc erat Romæ, canonicè electus est, & à Domino Papa Innocentio consecratus Episcopus Abrincensis.

Eodem anno obiit Theophania filia Vvillelmi le Gendre, quæ jacet juxta fratrem suum in claustro sanctæ Katerinæ. Quæ obiit XVI. Kal. Martij.

Anno Domini MCCLIII. IV. Kal. Februarij Hugues Comes Marchiæ desponsavit Iohannam unicam filiam Radulfi Domini Filgeriarum in dicto castro, præsente venerabili patre Stephano tunc Abbate Savigniacensi, qui officium illius sacramenti solenniter celebravit, & multis aliis nobilibus utriusque sexus.

Anno Domini MCCLVI. die Veneris in feriatis Paschæ receptus fuit illustris Rex Franciæ Ludovicus apud Savigniacum cum honore magno; & ibidem die illo pernoctavit cum magno exercitu, & comedit in refectorio cum Conventu. Et in diebus illis plurima monasteria in Normania visitavit, & pannos plurimos olosericos eisdem obtulit. Necnon & multas eleemosynas in eadem provincia fecit.

Eodem anno, VI. Kal. Martij, obiit Radulphus Dominus Filgeriarum, filius Gaufridi Domini Filgeriarum;

geriarum; & in craſtino ſepultus eſt ante Capitulum Savigniacenſe juxta patrem ſuum.

Anno gratiæ MCCLVII. in vigilia dominicæ annuntiationis nata eſt Yolent filia primogenita Hugonis Comitis Marchiæ & Engoliſmæ de uxore ſua Iohanna filia unica Radulphi Domini Filgeriarum.

Eodem anno obiit magiſter Gaufridus de Maieto Epiſcopus Sagienſis, & ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Andreæ de Goferno Ciſtercienſis ordinis coram majori altari.

Anno Domini MCCLVIII. obiit Matildis Comitiſſa Boloniæ. Comitatus devenit in manu Regis.

Eodem anno, III. Nonas Ianuarij, hora matutinali, paries quidam in abbatia ſancti Dionyſij in Francia cecidit in Eccleſia & duodecim monachos ſuffocavit.

Eodem anno Dominus Henricus de Lexinthona Lincholienſis Epiſcopus obiit.

Eodem anno univerſi fructus terræ, qui fertiles apparebant, perierunt. Nam ſegetes, vineæ, & arbuſta grandine groſſo & cornuto ſunt percuſſa. Quæ remanſerunt ſegetes in mediis campis, inundatione pluviarum putruerunt.

Eodem anno obiit magiſter Guillelmus dictus Rollant Epiſcopus Cenomanenſis apud Ianuam civitatem. Corpus ejus delatum fuit ad abbatiam Campanienſem.

Anno Domini MCCLIX. in craſtino nativitatis ſancti Iohannis Baptiſtæ natus eſt Hugues filius primogenitus prædictorum Hugues Comitis Marchiæ & Iohannæ uxoris ſuæ. [* *& obiit* MCCCIII. *in menſe Novembri.*]

Hæc addita ſunt à manu recentiore.

Eodem anno, II. Nonas Decembris, pax longo antè tempore prolocuta & diutiùs præoptata inter Regem Ludovicum Franciæ & Regem Henricum Angliæ ſuper reclamio Normanniæ & Aquitaniæ

tandem facta est apud Parisius, actore pacis & amatore Domino id agente.

Eodem tempore ..... primogenitus filius Regis Franciæ mortuus est.

Anno Domini MCCLX. fuit annus bissextilis. In mense verò Aprilis fuit apud nos gelu urens & asperum, atque glacies, flante aquilone. Circa medium ejusdem mensis grando & nix terram cooperuerunt contra naturam temporum, cùm in tota hyeme transacta nix visa non fuisset, gelu autem raro.

Anno Domini MCCLXIV. capti sunt à Simone Comite Montisfortis Henricus Rex Angliæ & Houdardus filius suus.

Eodem anno, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, obiit Agatha Domina de Bassellis, & sepulta est in claustro juxta virum suum.

Anno Domini MCCLXXX. sexto, mense Augusto, III. Kal. Septembris, prandente primo Conventu ad cœnam, factus est terræ motus apud Savigniacum absque tonitru, & per totum mundum universaliter, ut credimus. Regnante Philippo Rege Francorum nepote Petri Arragonensis, anno regni sui primo.

Anno Domini MCCC. tertio, prima die Maij, in festo beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi, qua die levata fuerunt capita sanctorum Savigniacensium, & reposita circa majus altare, præsente innumerabili multitudine laicorum, Clericorum, & aliorum prælatorum. Quorum sanctorum reverentia & honore fecit luminare magnum frater Guillelmus dictus Corteis, & professus fuit, & habitum sanctæ religionis cum magna devotione suscepit. Qui prædictus Guillelmus à primævæ juventutis suæ exordio fidelis extitit & irreprehensibilis, & etiam pro negotiis domus hujus ingentibus periculis se exposuit, & mare ad partes Angliæ pluries transfretavit. Qui

per duos dies plenariè & septimana successivè pittancias duas nobis fecit, & diebus ceteris emendationes condignas. Quicunque verò hanc subscriptionem legerit & ..... oret pro eo salvatorem omnium & etiam redemptorem ut in vita ista prædictum G. conservare dignetur & ad vitam perducere sempiternam. Amen.

Anno Domini MCCC. quinto obiit Gaufridus Ecclesiæ Abrincensis Episcopus II. Kal. Februarij.

Eodem anno abbatizavit primò frater Thomas Morch. de Fulcardimonte, & multùm laboravit contra Comitissam pro Conventu ejus domus.

Anno Domini MCCCLXXVIII. obsessum fuit castrum Moretonij & alia castra Regis Navarræ per Francigenas, & patria devastata per guerras.

COLLECTIO LOCORVM quorundam insignium consilio omissorum in libro sexto Rerum Sicanicarum Maurolyci Abbatis, edito Messanæ anno MDLXII.

Folio 190. *linea* 7. *post hæc verba*, ad templum majus elatum est, *adde*: tunica, stola, ac manipulo aureis, calciamentis sericis purpuratis, calceis ex albo serico, bireto ex raso serico albo, corona, sceptro, pomoque, calcaribus quoque aureis, lecticæ aureo texto regiis insignibus quadrifariam picturato contextæ impositum, à Baronibus & Equitibus atratis suffultum. Præibant funus Clerici, monachi, omnesque cruciferi. Canonici donati sunt singuli cerea candela unius rotuli, Presbyteri hujus dimidio, Diacones quadrante, cruces duplo. Deinde in cereorum lumina posito feretro, peractoque funebri officio &c.

Folio 198. *his quæ edita sunt in linea* 30. *& sequentibus usque ad verbum* ostentarunt *in tertia linea paginæ sequentis ista sustitue.* Sed nec omittenda sunt ea quæ per idem tempus accidere Messanæ, sicut non indigna relatu, ita exemplo futura posteris. Io. Colas Rhegitanus superiùs memoratus popularis, factione Philiarum, cum quibus veteres inimicitias exercebat, ac ex nobilibus quorundam, quibus ob affectatos magistratus maximè invisus erat, apud ædem sancti Leonardi peremptus est, idque ad diem 28. Ianuarij anni 1518. Quo etiam die Franciscus, unus ex liberis peremptus, Io. Philippum Cultellum insontem ex improviso adortus mactavit, quoniam Cultelli Philias amarent. Antonellus Io. Colæ filiorum maximus cùm molestissimè tulisset patris necem, occasionem quærens qua injuriam ulciscereturadhæsit Alfonso Siscaræ Aellensium Comiti, qui capitale odium exercebat contra Muletios, qui sororis dotem ex vadimonio deberi à Liminæ Baronis heredibus asserebant; eratque heres Alfonsus, qui filiam unicam Baronis duxerat. Ob id litigium verbis convitiisque ultro citroque jactatis, fortè accidit ut Comes ad funus quoddam, officij causa, in Carmelitanum templum veniens, à Petro Muletio, qui vicinas ædes habebat, in brachio vulnus acciperet. Affuit casui Thomas Merulla Condiannij Comes, urbis tunc Strategus: qui quoniam utrique parti sanguine conjunctus erat, potiùs litem componere quàm sontem punire satagebat. Nam Thomas duas sorores habuerat, harumque unam duxerat Petrus Porcius prosocer Alfonsi, alteram Matthæus Petri, qui Alfonsum vulneravit, pater. Hæc igitur fuere semina rixæ. Alfonsus genere ac titulo clarus eam injuriam inultam non ferebat, & auxilia in adversarios congregabat. Contrà Muletij amicorum sequela vallati nunquam non in armis erant. Alfonsum

constipabant Portij, Spathafori, Solymæ, Stlitij, Zizij, patritij, ex plebe autem Rhegitani, Casalainæ, aliique obscuriores, eorumque sequaces, complures etiam ex Calabria & Aello acciti. At Muletiis favebant Lanceæ, Balsami, Ioannij, Putei ex nobilibus, ex populo autem Philiæ, Cultelli, & ceteri qui particulares inimicitias ac veteres cum alterius partis familiis exercuerant. Rhegitani tunc plurimùm in plebe poterant. Marianus Ioannis, unus ex patris eorum interfectoribus, auxiliante Siscara Comite cum sociis universis, ab eis Kandarij captus, ac Messanæ securi percussus est. Nec profuit illi antiqua patris Colæ familiaritas cum Merulla Comite, quem tunc urbis Strategum urgebant literæ Pignatelli Proregis, qui ut sustolleret seditionum fomites, modestia posthabita, potentioribus cujusque ordinis enixè favebat. Itaque cùm civitas in duas divisa factiones esset, nunc hi, nunc illi omnis generis telis instructi per urbem incedebant. Sed ut paucis rei exitum exponam, cùm per totam ferme æstatem anni 1518. partes hoc modo in armis constitissent, tandem die Martis, qui fuit Augusti 24. D. Barptolomæo dictus, Muletij, collectis sociis, instructi ante solis ortum progressi, in quadrivio pro foribus templi majoris constitere, ubi super duo fulcra dispositis archibusiis ad ejaculandum paratis, adversarios expectabant. Mox tamen à sacerdotibus moniti ac rogati ut à templi saltem cœmiterio secederent, ad Mogiorum se quadrivium retraxere; ibique prædicto modo morabantur ad Malfitanam viam conversi, ad horam usque prandij frustra præstolantes. Nam Alfonsus Comes, disgregatis fortè sociis, non erat ad egressum paratus. Ita Muletij flexo ad campum usque D. Ioannis Baptistæ itinere domum rediere. Post meridiem Alfonsus, complicibus jam adunatis, bombarda quoque ingenti bobus attracta, sese præ-

lio accingebat. Antonius à Lignamine Messanensis civis & Archiepiscopus cum Thoma Stratego reliquoque urbis magistratu partium furorem precibus, monitis, jurgiisque compescere conabantur; eoque die pro Annunciationis æde stabant, Siscaræ atque Comitum egressum inhibituri. Sed acies armatorum jam ad exitum accincta, patefactis repentè foribus erupit, profligato Præsule ac toto comitatu; processitque per viam teloniorum. Interim Muletij ad eandem prodeuntes, in adversariorum occursum tendentes. Nec cessabat antistes cum Stratego Iuratisque, sed simul ultro citroque per dictam viam procurrentes, partes, ne concurrerent, morabantur, donec Alfonsus cum suis ad publicæ auctionis quadrivium, Muletij verò ad D. Petri portam, in qua throcleæ tormentum exhiberi solet, processere. Inde partes contentæ fuerunt, flexo sursum itinere, ad propria singulæ reverti. Verùm cùm ad exitus transversæ semitæ, quæ per D. Petri cœmiterium extenditur, pariter pervenissent, sclopettorum jaculatu eminus pugnare cœperunt, ubi aliquot ex utraque parte percussi sunt. Inde ad lateritiam præcipuamque urbis viam seorsum conscendentes, cùm ad mutuum rursus aspectum veniissent, Siscara cœperat cum suis domum reverti; sed adversariorum temeritate provocatus, conversus est. Tunc multis hinc & inde diffugientibus, factus est sparsim conflictus ab aviario foro ad ædem usque D. Nicolai. Complures sphyngardarum jactu vulnerati sunt. Galeottus Lancea viribus & audacia præditus cum paucis irrupit in adversarios; cùmque obvios profligasset, unum è bobus bombardam trahentibus ingenti vulnere prostravit. Mox ejus bombardæ ictu percussus cecidit juxta ædes Henrici Staitij. Ibi ab adversariis ingeminatis vulneribus peremptus armisque spoliatus fertur. Gelliottus Ioannes procedens ulte-

riùs, haſtæ incurſu vulneratus, juxta parietes ædis S. Nicolai jugulatus jacuit. Io. Philippus Philias Regitani ſenis percuſſor in quadrivio ſpathaforio à filiis illius traditur occiſus. Petrus Muletius per vicorum flexum ad ædem S. Petri elapſus, inde domum ſeſe recepit. Sic mulctatis temerariis, ceteriſque diſperſis, rixa quievit. Puderet me hic privatorum diſſidia inſeruiſſe atque infimi generis homines nominaſſe, niſi bellum illud inteſtinum inter cives relatu dignum viſum mihi fuiſſet. Abſtinui tamen à referendis inimicitiis particularibus & cædium auctoribus, ne hujuſmodi memoria reſuſcitaret odium inter poſteros. Sed omnino, qui ſcribit hiſtoriam, univerſis placere non poteſt. Itaque ſicut contemptoribus antiquitatum nimius, ita curioſis parcus cenſebor. Siſcara Comes cum ſociis tantæ rixæ atque cladis reus parvo negotio veniam obtinuit. Nam connivente Prorege ſuper diſcordiis privatis, ubi non periclitabatur regia majeſtas, quingentis ſolùm aureis mulctatus à judice qui poſt obitum Merullæ Comitis cum faſcibus præfecturæ defuncti locum virgamque receperat, ac dimiſſus, in Calabriam transfretavit. Ceterorum nonnulli exilio damnati ad Ennenſem arcem. Veniam nunc ad ſequentia. Anno ſalutis 1519. Vgo Moncata regiæ claſſi præfectus &c.

Folio eodem 198. *pag.* 2. *extrema, poſt hæc verba,* veterani Comes, *adde.* Hic quoſdam proſcriptos in cœnobio S. Placidi latitantes ſeque ſclopettis armiſque tutantes non ſine periculo ſuo ac cæde ſuorum expugnatos ibi ſtrangulari juſſit. Fuerunt hi de plebe, qui Philiæ ac Cultelli cognominantur, cum tribus obſcurioris nominis complicibus, qui non tam contra Præfectum quàm contra Caſalainas adverſarios, qui Præfectum conſtipabant, arma ſumpſerant. Hector Prorex Panormo digreſſus &c.

Folio 200. *linea* 14. *post illa verba*, fugiens latuit, *adde*. Sed operæ pretium est considerare hominum stultitiam, qui quod antea totæ summorum Pontificum vires, quod magna Regum terra marique gesta bella non potuerant, ipsi sibi facile factu crederent. O puerilem dementiam. Affectabat Imperatoria familia id quod cognomentum stolidissimè assumptum significabat. Quin etiam propria Augustorum nomina utplurimùm elegerant, ut quoniam aliter non poterant, Gnatonico more Principes viderentur. Equidem potuisset tantæ puerilitati dari venia, nisi exteris malo fuisset exemplo. Itaque ex his novem numero, tres fratres Imperatorij &c.

Folio 201. *linea* 6. *post vocem* festinans *adde*. Dum autem Messana pestis incommodo vexatur, ac exhausta civibus mœreret, cessaverant negocia & operum omnimoda exercitia. Panormus opportunitatem nacta nocendi, temporis penuriam atque mercatorum necessitatem causata, postulaverat Proregem ut officina monetaria Cephaludium pro tempore transferretur, donec aurum & argentum, quod mercatores offerebant, cuderetur. Messenij hanc fraudis dolosæ technam speculantes, injustæque petitioni adversantes, sese, Messanæ instructa intra menstruum spatium officina, omnia perfecturum pollicebantur. quòd si differri nollent, metallum Mylas apportandum curarent, ut pretium reciperent. Hic non tacebo laudem meam, quoniam opera patris mei Antonij & fratrum meorum, qui quandoque siclæ regiæ præfuerunt, factum est ut collectis operariis, moneta signari cœperit, & occasione periculi sublata, invidiæ intentum cessaverit. Mense Octobri Pignatellus Drepanum profectus &c.

Folio eodem 201. *pag.* 2. *post hæc verba*, Messeniis præfuit, *adde*. Hic mense Iulio cùm quendam Archiepiscopi filium Roma venientem in ipso portus

ostio, tamquam furem, quatuor aureorum millibus privasset, antistes pecuniam sibi furto ablatam repetebat. Qua negata, populum sacris interdixit, occlusis sacrarum ædium per septem dies foribus. Per idem tempus Pignatellus &c.

Folio 203. *linea* 22. *post hæc verba*, concessus est, *adde*. Circa Iulij mensis finem Petrus Pharaonius Monopolitanorum Marchio dudum declaratus, Mamertino magistratu procerumque cœtu stipatus Proregem in palatio salutat, & ab eo resalutatus & honoratus, ad ædes reducitur. Hic Messanensis erat patritius, Angeli filius, mercatorum amplo commercio notissimus, vir prudens, literatus, magnæque auctoritatis. Cùmque non modicam frumenti rerumque bello necessariarum summam obsessæ Neapoli contulisset, quæ summa 40. millium aureorum precium excedebat, pro repensione à Vasti Comarcho, quem Cæsar insigni tunc potestate decoraverat, Monopolim accepit. Verùm cùm oppidani jugum detrectarent, ac Petrus ad Regem profectus jura sua repeteret, tandem curiæ decreto statutum est ut Monopolitani quatuor aureorum millia Pharaonio penderent quotannis donec censum redimerent. Eodem Iulio mense aliquot exules proscripti præfecturam simulantes, Agrigentinam arcem admissi occuparunt, ut vinctum quendam absolverent. Eodem mense Carolus Cæsar è Barcinone &c.

Folio eodem 203. *pag.* 2. *linea* 25. *post illa verba*, quæ Metonem se retraxere, *adde*. Eodem mense tres viri Messenij totidem triremibus constructis orientem versus ad prædam intenti navigarunt. Moverant horum animum exempla præteriti temporis. Nam multos præda ditaverat, & in his Io. Antonium Benincasam, qui rostrato navigio ratem preciosissimis rebus onustam Alexandria digressam ceperat unà cum nautis credentibus navigium illud validissimum

ac bellicis instructum machinis Vgonis Moncatæ fuisse, cujus eo tempore fama terrebat orientem. Verùm hoc trium triremium præfectos tam exemplum quàm spes fefellit. Ex eis enim Bernardus Lancea Galiotti filius in Syriacis oris telo confixus occidit. Ex duobus reliquis, cùm Venetam navem in Ægæo mari cepissent, Philippus Maza Eques Rhodius à Venetis captus & obtruncatus. Colas verò Signerius in scypham deductus, sive demersione, sive alio mortis genere interemptus sit, incertum est. Mense autem Septembri Oria ductor Messana discessit cum classe Genuam versus. Nec defuerunt signa tantorum motuum &c.

Folio 204. *pag.* 2. *extrema*, *pro his verbis*, Postridie Carolus urbi appropinquans &c. fidelissimam decebat, *repone*. Postridie Carolus urbi appropinquans, per colonias rurales, quæ via Dromus appellatur, sub tribus arcubus rustica manu constructis ac per intervalla dispositis deductus est. Arcuum primus erat hederaceus, alter ex olea, postremus ex lauro, ut scires etiam hos Concordiæ, Paci, ac Victoriæ arte pastorali dedicatos. Interim præconis voce per urbem Cæsaris adventus nuntiabatur. Exierat Antistes & Archimandrites pontificiis insignibus & infulis ornati, cum Abbatibus & Canonicis mitratis, totoque clero atque monasticis ordinibus. Cùmque Imperator ad fontem sancti spiritus appulisset, machinarum ardentium ad muros S. Crucis domosque figulorum positarum strepitus Principis adventum indicabant. Memini me tunc, qui Clericos inter albatus stabam, tum primùm vidisse Cæsarem equo baio vectum, sericato sago punctis aureis distincto, galero annulatim texto venientem. Affluit ex equestri ordine famulus, qui descendentis equum tenuit. Stabat Antistes Præsulum & Clericorum medius, crucem argenteam tenens. Hanc Cæsar

detecto capite accedens, genua flectens, osculatus est. Inde ad equitandum reverso oblatus est equus quem civitas mittebat. Sex hunc juvenes candido rasilique serico exculti ductabant. Fuit equus albus rotatis notis sparsus, aurata sella, ex auro textis phaleris, freno, fibulis, bullis ac stapedis argenteis instructus, obesus ac vivacissimus, tegmine telæ argenteæ contectus. Hoc equo vectus Carolus sub aurato umbraculo sex auratis hastis suffulto deductus estingenti populi plausu. Ad ejus stapedas steterunt Merulla Comes tunc Strategus aurea chlamyde & argenteo sago exornatus, atque ex Iuratis unus ex Roccorum familia. Nam quinque reliqui cum Quæstore ex clara Ansaloniorum domo hastas umbraculi sustinebant, pavonaceo villosoque serico omnes induti. Sic ad horam diei nonam Princeps victoriosus, cùm præcessisset Præsul cum suis ordinibus, ad urbem deducebatur. Erat arcus ad jactum lapidis à mœnibus remotus, ornatissimo cultu erectus, novenis utrinque columnis in quadratum dispositis munitus. Columnas rasile sericum purpureum, flavum, aut candidum operiebat, aureæ bases & capitula exornabant. Idem cultus tectum, & eorundem colorum lanea texta pavimentum contexerant. Geminæ alatæ victoriæ arcus vertici superstabant, singulas manibus palmas tenentes, scutumque medium cum aquila bicipite Austriacæ domus & regnorum insignibus distinctum. Extremis cymatiorum terminis insignia vetustissimæ civitatis inter alatos Cupidines conspiciebantur. Per epistylij campum colore porphyretico decorum aureæ atque grandes literæ hanc prosam complectebantur.

IMP. CAE. CAROLO V. AVG.
CHRISTIANÆ REIP. SERVATORI S. P. Q. MAMERTINVS.
OB. DEVICTAM. AFRICAM.
ARCVM. DD.

Huic prosæ superstabant singula districha à singulis partibus.

Europe Cæsar tibi militat, Africa nuper
Sub juga missa, tremit maxima nunc Asia.
Roma tribus quondam bellis ac pluribus annis
Quos vicit, solo mense domat Carolus.

Ex opposita parte arcus, quæ muros urbis respiciebat, simili dispositione similibusque literis hæc inscriptio atque hæc metra legebantur.

D. CAROLO. V. IMP. MAX. INVICTO. OB. RESTITVTAM. PACEM. IMPERIVMQ. PROPAGATVM. MAMERTINI. ARCVM. P.

Versus autem tales.

Clausa diù Rheno Iovis ales & Alpibus olim,
Nunc victrix Carolo sub duce læta volat.
Quà graderis regnas. gelidos i Cæsar ad axes.
Sentiet imperium barbara terra tuum.

Ingressus est Imperator per portam veterum murorum S. Antonij, quæ, postea magnificata urbe, sublata est. Portam tunc ornabant temporariæ columnæ variegatum lapidem imitantes cum cymatiis, quibus aligeræ famæ superstabat effigies ac tubas insonantis cum subscriptione tali. A SOLIS ORTV AD OCCASVM.

Præcesserat ordinum ecclesiasticorum series. Sequebatur currus quibusdam trophæis distinctus, cujus angulis cardinales virtutes singulæ insignia gestantes propria superstabant. Superiùs geminæ in cultrum positæ versatiles rotæ quatuor singulæ alatos pueros versabant. Earum altera stellis dispositis ursam utramque cum dracone pictam, altera currum in cælesti campo auratum habebat. Adhuc superior his erat cælestis globus auro stellificatus ac versatilis, quem sex alati pueri circumstantes movebant. Globo superstabat puer Imperatorem repræsentans,

armatus purpurea superjecta chlamyde aureis floribus distincta, coronatus, ac victoriam manu gestans. Vectabatur & alius minor currus trophæum Africanæ victoriæ sustinens, cum hac versuum inscriptione, cum pictura olivæ & ensis.

Te duce pax regnat, terras Astræa revisit.
Pone pater patriæ bina trophæa Iovi.

In fronte posteriori cum his versibus.

Roma timens olim Byrsam delevit. At hæc nunc
Cæsaris invicti fert recidiva jugum.

Cum picto jugo circa basem triangulam trophæi hæc inscriptio legebatur.

D. CAROLVS. IMP. EX. AFRICA.
DEVICTA. TROPHÆVM. EREXIT.

Qui duo currus ad planitiem majoris templi convectati steterunt.

Interim Imperator, ut suprà dictum est, deductus per campum S. Ioannis Baptistæ, fontemque plenissimis canalibus manantem. Nam in extremis piscinæ lateribus duo marmorea signa, unum Sirenis sive Scyllæ, alterum delphinis Arionem vectantis, aquam ejaculabantur. Fons superior leonibus, suprema cannis scaturiebat. Tum in vertice statua Messanam referens in ambitu fontis insculptum habuit epigramma hoc.

S. P. Q. R. DEVICTO. HIERONE.
STATVIT. ME. SICILIÆ. CAPVT.
TITVLO. NOBILITATIS. EXTOLLI. FVNGI. POTESTATE.
ROMANA.

Inde circumflexo itinere ad templum majus venit. Ibi ex arcu maximæ portarum templi alatorum angelorum 24 chorus delapsus trophæum dudum memoratum, quasi cœlo dicandum, sursum rapuit. Imperator autem ostio templi accedens, equo descendens, à Stratego Iuratoque prædicto deductus est ad

gradus usque maximi altaris. Ibi super culcitram ex argentea tela ac pulvinaria ex auro argentoque tessellata flexis genibus Deum opt. max. adoravit. Antistes quoque brevi prece pro eo supplicavit. Inde Carolus equo repetito eodem comitatu ad palatium processit. Sed in lateribus portæ templi duæ statuæ, quarum una Scipionis Africani, Annibalis altera credebatur, positæ fuerant. Scipio his versibus subscriptis loquebatur.

Cedite Romani, cedat mea gloria. Nam dux
Marte potens subitò cuncta superba domat.

Annibal etiam totidem metris inducebatur.

Quod ducis hoc robur, pietas quæ tanta repentè
Dudum regna meis abstulit atque dedit?

Pro foribus palatij temporarius arcus, binis utrinque columnis, basibus, epistyliis, atque cymatiis, totus solidum marmor, quamvis non esset, simulabat. Super fornicem duo alati pueri chartam cum hujusmodi literis legendam explicabant.

D. CAROLO. AVG. VICTORI.

Aliquanto inferiùs in area quadrata sex notarum ordines.

IMP. CÆ. CAROLO. V. INVICTO. D. MAXIMILIANI. NEPOTI. AVG. P. P. OPTIMO. FORTISSIMOQ. PRINCIPI. CVM. IAM. AFRICAM. SVBIVGASSET. TVRCIS. MIRA. CELERITATE. OPPRESSIS. AC. PROFLIGATIS. OB. RESTITVTAM. PACEM. IMPERIVMQ. PROPAGATVM. S. P. Q. MAMERTINVS. ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DD.

Ex altera verò arcus fronte ad palatium versa, iisdem picturis notisque & ordine inscriptiones hujusmodi.

FVNDATORI. QVIETIS.
D. CAROLO. V. IMP. AVG.
CHRISTIANÆ. REIP. SERVATORI. OB. MEMORIAM. RERVM.
IN. AFRICA. FELICITER. GESTARVM. ARCVM. PVBLICO.
SVMTV. MAMERTINI. P.

Quem arcum Imperator transgressus palatium intravit cum ingenti civium platisu & machinarum strepitu. Ceterorum officialium ac civium tam patritiorum quàm popularium cultum & ornatum referre longum esset. Post adventum Cæsaris Messanæ per tres dies continuatos data est opera lætitiæ. Fulsere nocte faces ac laternæ. Dominica die, quæ fuit Octobris vigesima quarta, Imperator venit ad templum urbis maximum. Cultus erat laneo cappucio, cujus oras aureum filamen ambibat, sago indutus serico villoso pavonacei coloris, biretoserico, calciamentis albis, calceis sericis albis. Sedes fuit ex puniceo serico, cortyna ex purpura & auro contexta, culcitra parietis ex aureo hirsutoque texto. Nec omittam quod in media nave templi, completo Missæ symbolo, peractum sit. Pendebat è tecto simulacrum civitatis, opinor Byzantium fuisse, cujus arci primariæ barbarici tyranni imposita fuerant insignia. Tum aquila biceps ex aureo lacunari delapsa ignem simulatæ urbi intulit, quæ protinus erumpente sulphure magno cum strepitu, fulguribus arte confictis exarsit. Demum barbarico vexillo dejecto, aurea crux erecta successit. Eodem die civitas decem aureorum millia in patinis argenteis tribus exposita donavit Cæsari. Ea tulit Iacobus Compagna Iuris Doctor, oratiuncula Latina, quamquam rudi, recitata. Post prandium Cæsar palatio egressus per brachium portus ad cœnobium Salvatoris & extremam usque turrim equitavit, & per ostium viridarij rediit

in palatium. Die Martis sequente septentrionales urbis ruricolæ munuscula ferentes venere Cæsarem salutaturi. Tulere autem (si rite singula quæ vidi recordor) vitulos viginti, complures cuniculos, gallinas 1500. lignorum & palearum onera multa. Hæc Carolus Cœnobiis & Ecclesiis distribui jussit villarum. Die Iovis equitavit, & per portam Terræ novæ egressus, muros urbis veteres ambibat. Per portam verò gentilium mœnium, quæ nunc sublata fuit, ingressus per superiorem urbis viam, rursum urbem exiens per D. Basilij portam, ad arcem deductus, inferiora præsidij propugnacula peragrabat. Inde ad portam Latinam juxta D. Francisci templum delapsus, perque ipsam egressus, perlustratis muris, regalem portam ingressus, per inferiora urbis, per Carmelitanam portam, cujus arcum sphærulæ coronant, ad littoralem viam exiens, in palatium rediit. Dominico die, qui secutus est, Imperator ad ædem D. Dominici veniens, cortyna inclusus sacris interfuit. Postridie, festo jam die sanctorum omnium, templum maximum repetens, Missam per Archiepiscopum celebratam audivit. Vesperi ex palatio ad ædem S. Heliæ ob memoriam defunctorum sequentis diei processit. Dies Martis cùm illuxisset, in æde prædicta Missam audivit, & per portam Pileriam pedes egressus ad pontem usque Doganæ, sub arcu tetrastylo, cum delphinorum scyphis intermistis picturamento, triremis paratæ puppim conscendit, machinarum strepitu Principis discessum testante. Novemb. 5 transfretavit in Calabriam &c.

Folio 206. *linea* 22. *post illa verba*, quæ non procul aberat, *adde*. Fuit in prædicto templo, in pariete quæ navem à testitudine separabat, effigies quædam D. Mariæ mosiaco ac tessellato opere: quæ ne cum ruina periret, cum parte muri scalpris diligenter abscisa est, atque concathenatis trabibus complexa, in

ædem

ædem D. Augustini transvecta ac servata est. Eodem mense Oria ductor circa &c.

Folio 207. *linea* 7. *post hæc verba*, & erant alieni sceleris rei, *adde*. Adeo nimirum viguit innatum Siculis in Mamertinos odium. Si quid bene gerebatur, ne gratiæ quidem ipsis agebantur. Si quid parum prosperè procedebat, in eos culpa omnis transferebatur. Dum hæc calamitas Siculos turbabat &c.

Ibid. linea 23. *post hæc verba*, securi genio indulgebant, *adde*. Itaque præcedenti Decembris nocte, quæ sequebatur D. Stephani Martyris natalem, Garsias à Toleto Neapolitanæ classis præfectus opiparam cœnam paravit Antoniæ Cardonæ Comitis Golisani filiæ, cujus nuptias affectabat. Locus convivio super undas fuerat paratus. Stabant sub viridario palatij geminæ triremes (quarum una fuit regia, qua præfectus vectabatur) æquè distantes ad intervallum satis amplum. Super has impositis trabibus constructum erat tabulatum totam triremium longitudinem comprehendens, velis ac tentoriis circumseptum ac coopertum, intus autem aulæis pretiosissimis Trojana historia intertextis undique ornatum, ut palatinam aulam pelago superstare diceres. Ad tale tabernaculum per pontem ejusdem latitudinis inter ipsas triremium puppes ascensus patebat à littore. Quin etiam littus ad excludendam multitudinem tabularum septis utrinque claudebatur. Cœnatum est à tertia noctis hora usque ad octavam, funalium luminibus multorum accensis. Recitata ad horam usque tertiam comœdia, quam Tanzillus poëta Neapolitanus exhibuerat. Fuit hæc quasi pastoralis ecloga, amantium continens querimonias, quos à destinato interitu nymphæ cujusdam pulcherrimæ auctoritas in spem conceptam restituerat. Discubuere in eo convivio homines circiter quinquaginta. Præcipui fuere Ferrandus Conzaga Prorex, Helisabeta ejus uxor,

Suſanna Cardona cum Antonia filia ejuſque ſorore Diana uxore Ducis Vibonenſium, Blaſcus Brachifortius Cameratæ Comes urbiſque Strategus cum uxore, filia, & privigna, generoque Barone Militelli notenſis, Antonius Oria, Andreas Lambardus Conſervator, Baltaſar Saccanus à ſecretis Meſſanæ cum uxore Antonia, Ioanna uxor Nicoloſi Chryſaphij Linguægloſſæ Baronis cum filia, Virginius Vrſinus Comes Anguillariæ, Diomedes quoque Carraffus Calabriæ Prorex, & alij. Epularum lautitiem, copiam, diverſitatem, opulentiam penoris, ac famulantium ordinem omitto. Nihil enim novi narrarem. Omnia regium luxum adæquarunt. Menſibus Februario ac Martio ad turrim doublaſci &c.

Folio eodem extremo, poſt hæc verba, Imperatricis interitum, *ſcribe & adde.* Ejus exequiæ 13. Iunij Meſſanæ peractæ ſunt, ad mediam templi navem tabernaculo ſublimi ſuper tumulum erecto, ſuperque tabernaculum quinis pyramidibus, quarum media maxima ſuſtinebat vertice aliam minorem. Hæc & angulares magnitudine ferme pares ſingulæ quaternas adhuc minores & mediam verticalem impoſitas habebant. Pyramidum gradibus cerei lychni ſuperſtabant accenſi. Quæ ſtructura paulò inferior erat tecto templi, lychnorum numerus excedebat millenarium. Tumulo argentea tela contecto corona imperialis imminebat. Super angulos tabernaculi quatuor ſtatuæ impoſitæ cardinales virtutes cum inſtrumentis ſingulæ propriis repræſentabant, habentes ſingula in manibus diſticha. Funalia quoque accenſa per ambitum templi pendebant diſpoſita centum. In fronte ſtructuræ ad maximam templi portam converſa hæc proſa legebatur.

D. HELISABETÆ
D. CAROLI. V. IMP. CONIVGI.
EMANVELIS. LVSITANORVM.
Regis filiæ, Auguſtæ, morib. ac forma conſpicuæ, unico clementiæ ac liberalitatis exemplo, tribus ſuperſtitibus liberis à partu defunctæ, cujus obitum & cometes & ſolis deliquium & vatum reſponſa prænunciarant. Nupſit annum agens XXIII. *Nupta vixit annos* XIV. *Obiit Toleti Kal. Maij, præſente Cæſare.* MDXXXIX.

Conzaga Prorex pyram cum funalibus Meſſanæ cum mœrore erexit. Cetera verò epitaphia & partium quarumque circumſtantias brevitatis cauſa omittimus. Itaque funalibus accenſis, Conzaga Prorex, urbano magiſtratu, ac Marchione Terrænovæ, Alduino Conſultore, ceteriſque procerum, atratis veſtibus induti equitarunt ad templum. Prorex ſedit ad columnam portæ pauperum, ceteri hinc & inde, Iurati patres à fronte. Affuit clerus univerſus, & monachorum cœtus omnes. Litatum eſt ſolenni cantu ad aram chriſmatis, conſtructo ante portam chori pulpito. Miſſam obtulit Arnaldus Pactenſium Epiſcopus ad id ipſum accerſitus. Fuit is dies Iunij decimus ſeptimus. Poſtridie Conzaga Prorex 12. triremibus delatus &c.

Folio 212. *linea* 24. *poſt illa verba*, Cariatum fuiſſe direptum ac populatum, *adde*. Per id tempus Meſſanæ multiplex diſſenſio vigebat. Auguſtinus Conzaga Rheginorum Archiepiſcopus pro Innocentio Cibo Cardinali Mamertinorum Pontifice Vicarius cùm alium ſibi ſubſtituere vellet, à Canonicis oppugnabatur. Inter patritios populareſque Iuratos diſcordia fuit non ſpernenda, illis, qui numero præſtabant, totum ſibi gubernandi jus vendicantibus, his autem contrà nitentibus atque curiæ majoris favorem, poſtpoſita reip. cura, mendicantibus. Ad hæc præ-

fecti duo, quorum alter temperandæ, alter cudendæ monetæ regiæ præerat, jactis invicem criminibus, à Præside officiis ambo privati sunt. In tanta urbis discordia Præses & Strategus inter se affines, quia duas sorores & Ioannis Lunæ Comitis filias duxerant, modis omnibus Messenios vexare, multaque contra publicam libertatem conari. Sed Augusti mensis 11. Præses cum toto magnæ curiæ magistratu &c.

Folio eodem extremo, post verbum, conciliata fuit, *adde*. Decembris 18. hora noctis tertia navis quædam Rhacusea incenso fortè nitrato pulvere arsit, accensisque retinaculis à nautis destituta, à littore portæ regalis ad Servatoris cœnobium arrepta, erumpentibus etiam bombardis & ignea vi curvatis, ad usque carinæ robora consumpta est, incendij jubare urbem illustrante. Anno 1545. navis quædam è Chio Messanam veniens preciosis textis onusta, bis fulmine percussa juxta Apuliam, in vadosis locis disjecta periit. Ex viatoribus 250. in quibus complures Liparitani ac Calabri, qui à Turcis libertatem pretio redemerant, quinquaginta duntaxat servati sunt, ceteris naufragio ac fulmine absumptis. Messanæ contentio patrum & plebis adhuc durabat &c.

Folio 213 *pag.* 2. *linea* 26. *post hæc verba*, primatum concesserat, *adde*. Monasterium quoddam Cancellarium nomine, ultra modestiæ terminos facta inquisitione, non sine quorundam nobilium infamia vexabatur. Palam erat id ex invidia fieri, cùm constaret earum virginum antistiam ex Sabiarum familia nobilissima modestam omnique virtute præditam fuisse. Sic bona Proregis intentio æmulationi aditum nocendi præbebat. Declaravit id rerum exitus. Non enim fortuitò accidisse reor ut intra trimestre spacium vicarius, causæ procurator, Ferrandus, ac Ioannes è vita migraverint. Messanæ 2. Martij Osorius Strategus obiit &c.

Folio 214. *pag.* 2. *linea* 11. *post illa verba*, Stategus declaratur, *lege & adde.* Anno 1552. Ianuarij 2. Simeon Castellobono Messanam petens discessit. Quinto mensis Catanam appulit, ac Proregem salutavit. Postridie ego quoque Vegam in ædibus tunc Vincentij Gravinæ commorantem compellavi, qui literis me antea acciverat, ut filius ejus Alvarus, qui ante Africanam expeditionem Thermitanis præerat, opera mea erudiendus uteretur. Octavo mensis Catana discessimus, & decimo Messanam appulimus. Ibi Simeon magno populi totius occursu exceptus &c.

Ibid. linea 32. *post illa verba*, epithalamium cecini, *adde.* Confluxit in palatium mulierum nobilium multitudo, quadrigæ & equi regium atrium complebant. Tum in ipsa regia & per urbem varij ludi & equestria certamina celebrata sunt. Augusti 15. Turcorum classis &c.

Folio 215. *linea* 7. *post illa verba*, Turcis adjungeretur, *adde.* Septembris undecimo, cùm ego unà cum Simeone Stratego degerem in archiepiscopali palatio, in ipsa D. Nicolai æde, ab Augustino Conzaga Archiepiscopo Rhegino, qui tunc post urbis suæ calamitatem in Sepulcri cœnobio morabatur, benedictionis munus accepi. Affuere ceremoniis Philaretus Spathaforus S. Basilij Trajanensis & Hieronymus Zafaranus S. Salvatoris à Placa, ut moris est, Abbates. Octobris 14. Ioannes Vega Prorex Messana discessit, atque in ipso discessu me hortatus est ut opera mathematica, quæ præteritis annis composueram, ederem. Ejusdem mensis 17. Simeon Strategus Messana discessit per Mylensem agrum, Cyminnam proficiscens sponsam visurus. Tunc Petrus Luna Comes in ipso nuptiarum præcinctu litem exorsus est, Cyminnam sibi deberi prætendens: qui Proregis soceri favore fretus, multa olim ab avo dissipata recuperavit. Anno Domini 1553. Aprilis sexto Simeon

Marchio Castellobono discessit, Messanam rediens ad officij tempus implendum &c.

Ibid. linea 21. *post illa verba*, reportatum est, *adde*. Septimo Novembris, Proregis, Strategi, atque Iuratorum urbis consensu pari annuum salarium aureorum centum mihi concessum est, de proventibus vectigalium quotannis solvendum, ut opera mathematica & istoc chronicorum compendium intra biennium absolverem & absoluta exhiberem. Per idem tempus Messanæ fons marmorea juxta templum &c.

Folio eodem 215. *pag.* 2. *linea* 6. *post illa verba* in orientem redibat, *adde*. Octobris 30. Petrus Luna cum uxore, filia Proregis, & nepte ejusdem, quæ Comiti Assari nupserat, è Thermis Messanam vectus triremibus Siculis, magno cum honore à Prorege & civibus exceptus, in palatium descendit, procereque & matronas urbis aliquot in occursum habuit. Per id tempus Carolus Imp. &c.

Ibid. linea 12. *post illa verba*, vitam duceret, *adde*. Ioannes Osorius Conservator & Abbas S. Philippi Messanensis agri nactus vetustum Græcèque scriptum privilegium, auctis molendinorum & agrorum censibus, redditum veterem cœnobij decuplaverat. Hic cupiditate nimia ingens odium contraxerat, & in curia Cæsaris pro Vega Prorege intercedebat ut vel præfectura Siciliæ illi prorogaretur, vel successor mitteretur. Simeon Vigintimillius litem contra se injustè moveri, Baro Soloëntis ereptum sibi castellum ad mare, Andreas Alduinus se officio privatum, aliique aliter vexati conquerebantur, atque hoc petebant ut Prorex &c.

Ibid linea 28. *post illa verba*, obviam prodiit, *adde*. Inde ambo in ædem ingressi sunt. Nec cessavit per illud triduum cleri populique concursus admirantium illud rarum fortunæ spectaculum, hominem

ex infimo lacu ad talis excellentiæ culmen assumptum. Postridie, qui fuit dies dominicus &c.

Ibid. linea 32. *post illa verba*, ad ædes archiepiscopales deductus est, *adde*. Vixit primùm splendidè, prandebat lautè, Episcopos, Abbates, Canonicos, & procerum nonnullos excipiebat munificè. In sacrorum cultu & vestitu mundus, equitabat famulis eleganter indutis constipatus. A magistratu deducebatur & reducebatur. In una tantùm re, judicio meo, reprehendi potuit, quòd patriæ atque consanguineorum benevolentiam quovis thesauro precioſiorem parvo lucro postponebat. Sic quem fortuna exaltaverat, avaritia deorsum retrudebat. De ambitione non loquor, quod est vitium omnibus commune. Sed hic noster non semel exclusit Episcopos & alios primates ultro ad eum officij atque salutandi causa venientes. Maij 30. venit Messanam Federicus &c.

Folio 216. *pagina* 2. *linea* 2. *post illa verba*, vinclis absoluti, *lege & adde*. dimissique sunt. Mense Iunio nostræ triremes in Hadriatico septem piratarum biremes ceperant. Iulij 2. die festo Visitationis virgineæ templi maximi postes occlusæ summo mane apparuerunt; & in porta primaria literæ jussu antistitis affixæ declarabant Iuratos ac populum à sacris excludi, quòd vetuissent promulgari pontificium edictum. Sed Iurati non injuria illud respuerant, in quo pecuniariæ mulctæ publicam libertatem fœdissimè abrogabant. Inde opus fuit intercessu Petri Ducis ad iram Pontificis placandam valuasque templi patefaciendas. Iulij 13. cùm Cardinalis in ædem S. Mariæ à Scalis antistiam virginum declaraturus se contulisset, ejus famuli à satellitibus capti sunt, eò quòd in littore pacis pridie quosdam vulnerassent. Sic Mercurius absque famulatu, paucis comitantibus, via suppriori

ad propria reversus est. Iulij 16. triremes ex oriente revertebantur &c.

Ibid. linea 26. post vocem, commendandus, *adde* sicut ex epistola quadam Sicilien sis concilij ad Carolum V. Imp. destinata constare potest, quam nos hic interserendam curavimus, ut rei monumentum ad posteros duret. quæ talis est.

Cùm, Sereniſſime Cæsar, non solùm maxima pars Italiæ & utraque Germania cum ampliſſimis Hiſpaniarum provinciis, sed ultra metas etiam Herculeas, Fortunatæ, Gorgades, & Heſperidum remotiſſimæ nuperque conquisitæ regiones tuo pareant imperio, jamdudum has exiguas Tyrrheni maris insulas, quasi minutiſſimos scopulos, longè positus vix intueris, non tamen, si consideres, cur Siciliam nostram vel negligas vel in postremo loco habeas, immo eam maximi faciendam, non ex nobis, sed ex clariſſimorum auctorum testimoniis agnoscès. Constat enim eam non ab historicis modò, sed à poëtis etiam decantatam, & in cœlo stellificatam. Vnde liquet quanti fuerit apud antiquos pretij. Nam triangulum sive deltatum juxta sydus Arietis Siciliam esse in sydera tralatam Iginius fabulatur. Si fertilitatem quæris, hic fuit Cereris domus, quæ frumenti culturam prima tradidit. Si artes, hic fuit officina Vulcani, hic machinator egregius Archimedes, Euclides geometra præstantiſſimus ex urbe Gela, Gorgias Leontinus rhetor. Hic Empedocles Agrigentinus philosophus ..... *Reliqua interciderunt.*

FINIS.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS NOTÆ AD LACTANTIUM.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS NOTÆ AD LACTANTIVM.

INter multos ac varios codices manuſcriptos quos vir literarum ac literatorum amantiſſimus & in omni genere laudis excellentiſſimus IOANNES BAPTISTA COLBERTVS in publicam ſtudiorum utilitatem ex omni Europa, Aſia, Africa comparavit, repertus eſt unus auro contra æſtimandus, in quo continetur Lucij Cæcilij Firmiani Lactantij liber de perſecutione ſive de mortibus perſecutorum, quo hactenus caruerat Eccleſia. Non facit ille quod plerique ſolent; qui ſi veteris cujuſpiam ſcriptoris opus ineditum, quantumvis leve ſit ac tenue, nacti fuerint, diligenter occultant, tamquam in tenebris magis eluceat, ut gloriari poſſint ſe ſolos poſſidere quod omnes habere vellent, caventque ſummopere ne in manus aliorum venire poſſit. Liberalior excelſiorque eſt animus illuſtriſſimi viri quàm ut falſa illa gloria teneri poſſit. Itaque quum intellexiſſet hunc Lactantij librum extare inter antiquos codices manuſcriptos bibliothecæ ſuæ, ſatiſque compertum haberet quantum hinc utilitatis accederet Eccleſiæ ſi vulgaretur, quamquam antea frequenter mandaverat ut ſi quid ineditum reperiretur in eiſdem antiquis codicibus, id torum prælo committeretur, tamen ea occaſione mandatum dedit ſpeciale, & ſolita magnitudine animi ſtatim juſſit ut hic Lactantij liber in clariſſimam lucem ederetur.

Damus igitur illum ex codice 1297. bibliothecæ Colbertinæ, qui octingentorum aut circiter annorum eſſe videtur, integrum quidem, ſed ab imperita manu ſcriptum, adeoque pluribus mendis infectum. Atque ea quidem quo-

rum emendatio facilis & obvia erat, liberè nos emendavimus; sed ea intacta reliquimus in quibus audacia corrigendi non vacabat periculo. Fortassis alij feliciores erunt. Compositus & absolutus est liber eo anno quo post extinctos persecutores dulcissimum & pulcherrimum pacis nomen auditum est in Ecclesia Christi, nostrisque hominibus tranquillitas ac loquendi scribendique libertas restituta. Quis enim historiam istiusmodi scriberet in medio atrocissimæ persecutionis? Sanè Lactantius libros divinarum institutionum scripsit furente persecutione, in ipsis ejus initiis, ut ex capite secundo & quarto libri quinti colligitur; sed non emisit, impeditus videlicet rei & temporis necessitate, ut ipse loquitur in principio libri de opificio Dei. At quum data esset pax omnisque metus à pectoribus Christianorum depulsus beneficio Constantini M. Imperatoris, tum verò ecclesiastici scriptores indulgentia benignissimi Principis usi, animum converterunt ad scribendum, quod antea non erant ausi. Itaque tum Lactantius divinarum institutionum libros, in quibus loca quædam sparsim reperiuntur quæ manifestò constat scripta esse post bellum sedatum atque extinctum, recensuit pleraque addidit, in primis verò ea quæ in initiis librorum & in epilogo dicuntur ad Constantinum, quæ perperam nonnulli judicant notha esse ac suppositicia, adeo ut eorum præjudicio fretus Iosephus Isæus, qui postremam Lactantij editionem Romanam emisit, universa deleverit quæ in aliis editionibus ad Constantinum scripta leguntur. Et tamen puto non posse verè dubitari quin ea sint Lactantij, cùm & ejusdem sint styli cum ceteris ejusdem operibus, & phrases quædam quæ illic habentur, eædem sint in variis locis istius historiæ & reliquarum Lactantij lucubrationum. Sed haud dubiè duæ antiquitus fuere divinarum institutionum editiones, una ferme statim post datam Ecclesiæ pacem emissa, quum adhuc Lactantius esset in Bithynia, altera post bellum Cibalense & Mardiense, quum venisset in Gallias propter Crispum Constantini filium. Qui ergo priore editione usi sunt, ea profectò non habuerunt quæ postea de Constantino addita sunt, atque adeo mirum non est ea desiderari in quibusdam exemplaribus. Sed ut redeamus ad librum de mortibus persecutorum, à quo nos abduxit occasio differendi de tempore quo scripti sunt libri divinarum institutionum, certum est eum ab auctore scriptum Nicomediæ in Bithynia, ubi is habitavit per totum illud tempus quo persecutio in oriente grassata est, & absolutum fuisse post confectum bellum apud Campum serenum in Thracia,

post quod integra fuit Ecclesiæ pax, profligato ac paulo post extincto Maximino, homine nostræ religionis inimicissimo. Colligitur illud ex pluribus ejusdem historiæ locis, sed præcipuè ex epilogo, in quo auctor verbis apertissimis innuit hæc scripta à se esse post datam pacem plebi Dei, quæ per annos decem partim vastata, partim dispersa fuerat. Adde quòd librum suum nuncupavit illustri regionum illarum confessori Donato, quem etiam compellat in medio operis & in fine. Hæc enim indicant eos tum simul fuisse aut certè non magno locorum intervallo disjunctos. Illud etiam diligenter observandum est, eum illa tantùm edicta, quæ pro Christianis data sunt, in hoc opere descripsisse quæ proposita Nicomediæ sunt, aliorum mentionem non facere: quia nimirum ea tantùm refert quæ ipse proponi vidit, & quorum propterea copiam facilè habere potuit.

De patria Lactantij video varias esse sententias; quarum ea infirmior videtur quæ Firmo Piceni oppido eum ortum contendit, quia Firmianus vocatur. Eam ego præfero quæ Afrum fuisse censet. Nam & in Africa præceptore usus est Arnobio; & Nicomediam accitus à Diocletiano, ut illic literas oratorias doceret, ut ipse scribit, non aliunde venisse videtur quàm ex Africa, cùm apud Hieronymum in libro de viris illustribus legatur ὁδοιπορικὸν suum ab Africa Nicomediam usque versibus hexametris descripsisse. Erat autem Nicomediæ tempore persecutionis quæ sub Diocletiano universam commovit Ecclesiam, etiam quum data pax est. Nam quæ in libro de mortibus persecutorum dicuntur de proposita Nicomediæ constitutione Constantini & Licinij, deque adventu Licinij in eam urbem, ea profectò ab alio scribi non potuerunt quàm ab eo qui quæ scriberet, oculis usurparet. Quum verò postea Constantinus post bellum Cibalense, quod confecit anno Christi CCCXIV. VIII. Idus Octobris, in Thraciam ac Macedoniam profectus esset, tum haud dubiè Lactantius, ei fortean olim cognitus, è Nicomedia ad eum venit, & postea jussu ejus Gallias petiit, ubi Crispum Constantini filium Latinis literis erudivit. Putavit vir doctissimus Petrus Franciscus Chiffletius Crispum à Lactantio institutum fuisse anno Christi CCCXII. eodem nimirum tempore quo primùm Constantinus, ut ille ait, mox mater ejus Helena Christum agnovere, fidei nostræ sacramenta edocti ab Eusebio Episcopo Vesontionensi, & Crispum cum Helena & Lactantio relictum Vesontione à Constantino quum is in Italiam profectus est adversùs Maxentium. Verùm narratio ex qua Chifflerius

hanc historiam contexuit, posterioris ac sequioris saeculi scriptum est, & nullam fidem meretur. Praeterea certum est Lactantium adhuc in Bithynia fuisse quum bellum parabatur adversùs Maxentium & aliquanto pòst. Venit ergo Lactantius in Galliam (quod etiam placuisse video clarissimo viro Iacobo Gothofredo) anno tantùm CCCXV. quum pace post pugnam Cibalensem atque Mardiensem constituta inter Constantinum & Licinium Magnus Gallias repetit. Rediisse enim illum ad uxorem suam facilè colligitur ex Zosimo & Epitome Victoris, ubi scriptum est Constantinum Magni filium, *in Arelatensi oppido ante non multos dies editum*, factum fuisse Caesarem cum Crispo & Liciniano Licinij filio. quod contigisse anno Christi CCCXVII. Kalendis Martiis docent Fasti Idatiani. Nam cùm pugnatum in Pannonia sit anno CCCXIV. exeunte, & ineunte anno CCCXV. natus in Gallia sit Constantinus Constantini filius, necesse est patrem medio temporis in Gallia fuisse, adeoque illuc rediisse post pacem factam cum Licinio. Qua occasione verisimile est Lactantium, virum omnium suo tempore eruditissimum, ut Eusebius ait, à Constantino adductum fuisse in Gallias, ut Crispum imbueret cognitione historiae & ceterarum bonarum literarum. Et quidem facilè assentior doctissimis viris Christophoro Brovvero & Ægidio Bucherio, qui tamquam rem certam tradunt Lactantium Treviris senectutem extremam egisse quum erudiendo Crispo daret operam, & hic verisimiliter libros divinarum institutionum ad Constantinum Imperatorem contexuisse. At Chiffletius, honesto & decoro patriae amore ductus, hunc honorem aequa lance partitur inter Treviros & Vesontionenses, sic Bucherio concedens Crispum Treviris eruditum à Lactantio fuisse ut id tamen factum velit etiam Vesontione. Sed conjectura illa nullum omnino fundamentum habet praeter bonam clarissimi & optimi viri voluntatem & inclinationem in suos Vesontionenses. Ceterùm Lactantium alibi quàm in imperio Licinij fuisse quum is religioni Christi manifestò contrarius apparuit, adeoque tum in Gallia fuisse, docet ipse ad Constantinum scribens in initio libri primi divinarum institutionum. *Nam malis*, inquit, *qui adhuc adversùs justos in aliis terrarum partibus saeviunt, quanto seriùs, tanto vehementiùs idem omnipotens mercedem sceleris exsolvet.* Coepit autem Licinius apertè saevire in Christianos anno CCCXX. ut certis argumentis ostenderunt viri doctissimi. Vnde colligi potest Lactantium adhuc eo tempore in humanis fuisse. Immo ultra hunc annum

eum produxisse ætatem docere ipse videtur in fine libri quarti divinarum institutionum, ubi inter varias hæreticorum sectas numerat etiam Arrianos. Nam cùm illi plenè orbi universo innotuerint post habitam synodum Nicænam, apparet Lactantium superstitem huic synodo fuisse, si vera est lectio. Scio virum clarissimum & eruditissimum Michaelem Thomasium sustulisse ab eo loco nomen Arrianorum in ea quam curavit Lactantianorum operum editione, & habuisse sententiæ suæ suffragatorem Iosephum Isæum. Sed cùm illi destituantur auctoritate veterum exemplarium, & de novem Vaticanis duobusque Vallicellanæ bibliothecæ codicibus, quòd hanc clausulam habeant, fidem faciat illustrissimus Cardinalis Baronius, cùm sciam unum ex Bononiensibus, quem & Thomasius & Latinus Latinius viderunt, tum etiam tres Colbertinos, & veteres editiones, eas nimirum quæ Thomasianam antecesserunt, cùm sciam inquam tot veteres codices & editiones mentionem heic facere Arrianorum, & vix unum aut alterum vetus exemplar proferri in quo eorum nomen non extet, non invitus assentior eidem Baronio Thomasium reprehendenti quòd contra omnium veterum exemplarium & editionum fidem textum Lactantij corruperit, nulla vel levi ratione allata cur id fecisset. Vtcunque se res habeat, cùm constet eum in extrema senectute præceptorem Crispi fuisse, necesse est illum circa ea tempora mortuum quibus Constantinus vicennalia sui imperij celebravit. Acciderine illius mors Augustæ Trevirorum, an alibi, exploratum non est. Ego huc valde inclino ut cum Bucherio sentiam eum in civitate illa & extinctum & sepultum esse, cùm id extrema illius senectus, quam illum egisse in Gallia docet Hieronymus, facilè persuadeat.

LVCII CÆCILII] In veteri codice ita simpliciter conceptus est titulus istius operis. *Lucij Cecilij. Incipit liber ad Donatum confessorem de mortibus persecutorum.* Quòd autem is sit Lactantius, cujus extant libri septem divinarum institutionum & alia quædam opuscula, tanta ac tam manifesta sunt argumenta ut res extra omnem controversiam posita esse videatur. Nam & stylus omnino Lactantianus est, ut facilè periti rerum istarum æstimatores agnoscent; & versus interdum Virgilianos huic operi interserit auctor, ut solet Lactantius; denique pleraque quæ isthìc leguntur, eadem ferè ad verbum in aliis ejusdem libris leguntur, ut suis infrà locis adnotabimus. Adde auctoritatem sancti Hieronymi, qui in catalogo virorum illustrium recensens opera Lactantij, inter ea commemorat li-

brum de persecutione, nimirum hunc nostrum. Neque movere quemquam debet quòd in Lactantij editionibus quæ manibus eruditorum teruntur, non Cæcilius, sed Cœlius appellatur, tamquam hinc colligi posse videatur Lucium Cæcilium libri istius auctorem diversum esse à Lactantio. Nam licèt verum sit eum semper vocari Cœlium in editionibus quæ prænomen ejus habent, ut sunt omnes posteriores, in Romana tamen anni MCCCCLXX. quam curavit Ioannes Andreas Episcopus Alerienſis, vocatur simpliciter Lactantius Firmianus absque ullo prænomine, & in codice 507. bibliothecæ Colbertinæ, in quo continentur vulgatæ Lactantij lucubrationes, disertè in titulo vocatur Lucius Cæcilius Firmianus Lactantius. Immo cùm videam eum appellari tantùm Firmianum Lactantium in codicibus 1095 & 1495. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ & in optimo & vetustissimo exemplari MS. academiæ Oxonienſis, facilè adducor ut credam pleraque vetera lucubrationum ejus exemplaria neque Cœlij prænomen habere neque Cæcilij, ac nihilo minùs verum ejus prænomen esse Cæcilium, cum ita constanter vocetur in titulo istius historiæ & in codice 507. bibliothecæ Colbertinæ, ut monuimus. Cur autem in titulo hujus libri prætermissum sit in veteri codice verum nomen Lactantij, quod est ultimum ex quatuor quæ illi tribuuntur, id (ut in simili causa Sirmondus adnotavit ad Sidonium) librarij oscitantia evenisse credendum est: qui cùm omnia scriptoris istius nomina brevitatis studio adscribere nollet, pro ultimo, quod proprium erat, id potiùs imperitè delegit quod primo loco occurrebat.

AD DONATVM] illustrem horum temporum confessorem, qui novies tormenta pertulit pro nomine Christi, sex annorum spatio tentus in carcere, unde emissus est extremis Galerij Maximiani temporibus, ut legitur infrà cap. XVI. & XXXV. istius operis. Eidem librum de ira Dei nuncupavit Lactantius, scriptum post datam divinitus pacem.

DE MORTIB. PERSEC.] Apud Hieronymum legitur simpliciter Lactantium scripsisse *de persecutione librum unum*. Sed nos retinuimus lectionem veteris exemplaris, quoniam manifestum est consilium institutumque auctoris fuisse ut miserabiles exitus eorum describeret qui persecutionem adversùs Christianos excitaverant. Mortes autem dixit quomodo Cicero libro secundo de finibus: *Præclaræ mortes sunt imperatoriæ*. Item in fine libri primi Tusculanarum quæstionum: *Claræ verò mortes pro patria oppetitæ, non solùm gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent*. Tac-

tus lib. XI. annalium : *multaſque mortes juſſu Meſſalinæ patratas.* Et lib. XIV. *Sequuntur virorum illuſtrium mortes.* Idem lib. III. hiſtor. *varia pereuntium forma & omni imagine mortium.* Item lib. I. *laudatis antiquorum mortibus pares exitus.* Et Statius in libro nono Thebaidos : *Deſertaſque tulit ſine funere mortes.* Et paulò pòſt : *Nil opus arma ultrà tentare & perdere mortes.* Sanctus Auguſtinus epiſt. LXVIII. *Inſuper etiam ſi quas mortes ſibi ultrò ingerunt, nobis volunt eſſe invidioſas.* Idem lib. I. contra Gaudentium cap. VI. *Hæc eſt innocentia partis Donati, ut hoc faciatis adjunctis mortibus veſtris, quod etiam apud Carthaginem in invidiam noſtram de baſilicis quæ veſtræ fuerunt, ſicut potuiſtis, & cum quibus potuiſtis, feciſſe aſſeveramini ſine mortibus veſtris.*

EXCITAVIT DEVS PRINCIPES] Conſtantinum & Licinium, qui tum quum hæc ſcribebat Lactantius pacem Eccleſiæ dederant, nondum commota à Licinio perſecutione adversùm noſtros. CAP. I.

QVI ADVERSATI] In veteri libro legitur *illuſtrati.* quod nos mutavimus, quia emendatio certa erat

TEMPLVM SA. EVERTERANT] Ex his quæ infrà cap. XIII. dicet Lactantius & ex libro quinto divinarum inſtitutionum cap. XI. patet heic agi de templo Nicomediæ, quod à Diocletiano & Maximiano everſum fuit.

NOCENTES ANIMAS PROFVDERVNT] Diocletianus nimirum, Maximianus Herculius, Galerius Maximianus, & Maximinus Daza, quorum horrendæ mortes deſcribuntur in hoc libro.

VIRTVTEM AC MAIEST.] Lactantius lib. IV. inſtitut. cap. XXVI. *virtutem majeſtatemque Dei ſingularis interpretari.* Et lib. VI. cap. IX. *virtutem ac majeſtatem Dei ſingularis enarrat.*

POST DIEM DECIMVM] Hic in primis locus confirmat librum iſtum verè eſſe Lactantij. Nam idem ipſe libro quarto divinarum inſtitut. cap. X. loquens de Iudæis ait : *Exinde Tetrarchas habuerunt ad Herodem, qui fuit ſub imperio Tiberij Cæſaris, cujus anno quinto decimo, id eſt, duobus Geminis Conſulibus, ante diem decimum Kalendarum Aprilium Iudæi Chriſtum cruci affixerunt.* Sic enim legitur in antiquis Lactantij exemplaribus manuſcriptis, in editione Romana anni MCCCCLXX. in Veneta anni MDXXI. & apud Paulum de Middelburgo in Paulina. Xyſtus tamen Betuleius contendit in melioribus Lactantij editionibus legi *ante diem ſeptimum Kalendarum*, Romanamque illam ſugillat quæ *ante decimum* habet. Sed tandem anno MDCL. CAP. II.

Iosephus Isæus veterem lectionem huic loco restituit auctoritate plurimorum veterum exemplarium, quæ nunc confirmatur ex ista quoque Lactantij lucubratione. Vide porrò doctissimi viri Michaëlis Thomasij Notas ad locum illum ex divinarum institutionum libro quarto.

POST DIEM DECIMVM] In libro quarto institutionum legitur *ante diem decimum*. Verùm hæc discrepantia nullam importat repugnantiam. Idem enim valet *post diem* ac *ante diem*, ut monet Paulus in l. *Anniculus*. 132. Dig. de verbor. significat. *Anniculus amittitur qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat, Ante diem decimum Kalendarum, Post diem decimum Kalendarum.* Sed hic locus Pauli non caret difficultate. Nam Marcellus Francolinus in tractatu de tempore horarum canonicarum cap. LXXIII. contendit heic per verba *post diem* non posse intelligi aliquem dierum qui sunt ante Kalendas, sed decimum post Kalendas, id est, nonum mensis diem; idque confirmare nititur pluribus exemplis. Frustra. Nam cùm Lactantius eandem rem duobus in locis referens, in uno quidem dixerit *ante diem decimum*, in alio verò *post diem decimum*, manifestum est horum verborum eundem debere sensum esse. Præterea Romani nunquam à Kalendis denominaverunt dies qui sequuntur post Kalendas, sed eos tantùm qui antecedunt, ut nemini paulò erudito est obscurum.

CONGREGAVIT DISCIPVLOS] Lactantius lib. IV. institut. cap. XX. *Discipulis iterum congregatis, scripturas sanctas litteras id est Prophetarum arcana patefecit, quæ antè quàm pateretur perspici nullo modo poterant.* Et cap. XV. *Sicut etiam voces Prophetarum, quæ cùm per annos mille quingentos & eo amplius lectæ fuissent à populo Iudæorum, nec tamen intellectæ sunt nisi postquam illas Christus & verbo & operibus interpretatus est.*

ORDINAVIT] Lactantius ibid. cap. XXI. *Ordinata verò discipulis suis evangelica ac nominis sui prædicatione, circumfudit se repentè nubes, eumque in cœlum sustulit.*

PER ANNOS XXV.] Ait Lactantius Apostolos, & in his Matthiam & Paulum, qui post mortem Christi Domini reliquis adjuncti fuerant, evangelium per omnem terram prædicavisse per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperij, & Petrum Romam profectum quum Nero illic imperaret. Et hanc quidem fuisse tum communem de Petri ad urbem Romam profectione opinionem, tametsi aliter post nonnullos veteres senserit Eusebius, valde probabile est, cùm Lactantius nullam de ea re controver-

siam moveat. Fortassis ergo ex his viginti quinque annis, qui ad prædicationem omnium Apostolorum ex æquo pertinent, orta est opinio de viginti quinque annis quos quidam veteres & innumerabile recentiorum agmen sancto Petro Apostolo tribuunt in sede Romana. Sanè licèt frustra ac supervacaneè à nonnullis negari putem adventum ejus ad urbem Romam, qui clarissimis veterum testimoniis comprobatus est, de tempore tamen multùm ambigo, cùm videam tot tantasque difficultates habere eorum sententiam qui illum Romam venisse volunt Claudio imperante ut coacti sint duplicare profectionem ejus in urbem & duplex item ejus cum Simone mago certamen comminisci, primò quidem temporibus Claudij, dein principatu Neronis. Quæ res quàm absurda sit, cùm id à nullo veterum proditum sit memoriæ literarum, pervident istarum rerum periti. Nam quod à recentiore auctore sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur, ut monuit illustrissimus Cardinalis Baronius. Itaque si fas esset recedere à vulgari & in animis hominum insita opinione, ei Lactantianam lubenter præferrem; id est, Petrum quidem Romæ prædicasse evangelium facilè concederem, non sub Tiberio Claudio, ut vulgò putant, sed sub Nerone Claudio. Quippe stabilita semel hac verissima, ut puto, sententia, conquiescit statim omnis disputatio absque ullo incommodo auctoritatis Romani Pontificis. Neque enim longa annorum series, quibus Petrus fuerit Episcopus Romæ, primatum illius Ecclesiæ stabilivit, sed persona Petri, qui cathedram suam ibi collocavit, & eam suo sanguine solidavit ac confirmavit.

FVNDAMENTA MISERVNT] id est, posuerunt, ut ipse Lactantius scripsit in loco paulò antè laudato: *Discipuli verò per provincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine magistri Dei magna & penè incredibilia miracula.* Agrariæ rei scriptores mittere dicunt pro ponere, ut pluribus ostendit vir clarissimus Nicolaus Rigaltius in glossis.

CONVERTIT MVL. AD IVSTITIAM] id est, ad cultum veri Dei, ut loquitur Lactantius lib. VII. institut. cap. XVII. Idem lib. V. cap. VII. *Reddita quidem terra, sed paucis assignata justitia est, quæ nihil aliud est quàm Dei unici pia & religiosa cultura.* Qua voce passim ad significandam religionem Christi utitur Lactantius in hoc libro & in reliquis lucubrationibus suis. Sulpitius Severus lib. II. sacræ hist. loquens de Romanis ad audiendum Paulum convenientibus: *qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolo-*

rum, quas tum crebrò ediderant, permoti, ad cultum Dei ipsi conferebant.

TEMPLUM FIDELE AC STABILE] Ecclesiam nimirum, *quæ est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum qui credunt in eum ac vocantur fideles*, ut ait Lactantius in libro quarto institutionum cap. XIV. Et in capite sequenti Ecclesiam vocat æternum & immortale Dei templum. quod etiam repetit in capite secundo libri de ira Dei. Hinc infrà de Nerone in hoc ipso libro: *Prosilivit ad excidendum cœleste templum.* Et cap. XV. *Nam Constantius, ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Hinc libro quarto institut. cap. X. ait necesse fuisse *Dei filium descendere in terram ut constitueret Deo templum doceretque justitiam.*

PRIMUS OMNIUM PERSECUTUS] Tertullianus in apologetico cap. V. *Consulite commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferociisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur.* Petilianus Episcopus Constantinienſis, sive Cirtensis, partis Donatistarum apud Augustinum lib. II. contra literas Petiliani cap. XCII. *Relinquam Neronem, qui primus persecutus est Christianos.* Sulpitius Severus lib. II. de Nerone loquens: *qui, non dicam Regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus extitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet.*

NE SEPULT. Q. LOCUS] Contrà Suetonius docet eum funeratum esse impensa ducentorum millium, & reliquias ejus Domitiorum monumento conditas, quod prospiciebatur è campo Martio impositum colle hortorum, & fuisse qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.

VIVUM RESERVATUM] Ea fuit quorundam veterum persuasio, Neronem non esse mortuum, sed adhuc vivere, & venturum ante seculi finem, & vel ipsum fore Antichristum, vel temporibus iisdem per occidentem sævieturum quibus ille per orientem, ut observavit Casaubonus ad Suetonium. Quâ de re vide etiam annales ecclesiasticos illustrissimi Cardinalis Baronij. Sed alia mens Lactantio fuit, qui eos qui ita sentiunt, delirare pronuntiat. Quare falsa prorsùs est conjectura Iosephi Isæi, qui in Notis ad librum septimum divinarum institutionum cap. XVI. suspicatur

Lactantio eam sedisse sententiam ut crediderit Regem illum potentissimum, qui in fine mundi princeps omnium constituetur, futurum Neronem, eoque nomine Lactantium arguit erroris.

SIBYLLA DICENTE] Sic libros Sibyllinos laudare solet Lactantius, tamenetsi illos sciret non unius esse Sibyllæ, sed plurium. Ita ipse libro primo divinar. institut. cap. VI. *Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur. Sed & nos confusè Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum.* Duo autem sunt loca in vulgatis Sibyllarum oraculis ad quæ respexisse hoc loco reor Lactantium. Primus habetur in libro quinto.

Ηξεῖ δ' ἐκ πρώτων γαίης μητροκτόνος ἀνὴρ
Φεύγων ἠδὲ νόον, ὀξὺ στόμα μερμηρίζων,
Ος πᾶσαν γαῖαν καθελεῖ, καὶ πάντα κρατήσει.

Quæ sic Latinè versa sunt à Sebastiano Castalione.

Matris & occisor quidam de finibus orbis
Vir fugiens veniet, spirans immane, fremensque,
Omnes qui terras vastabit, & omnia vincet.

Secundus locus ita habet in libro octavo Sibyllinorum oraculorum.

-- ----- ἵν' ὅταν γ' ἐπανέλθῃ
Εκ πρώτων γαίης ὁ φυγὰς μητροκτόνος ἐλθὼν,
Ταῦτ' ἅπασι διδοὺς πλοῦτον μέγαν Ασσίδι θήσῃ.
---- *ut quando redibit*
Extremo cæsor matris fugitivus ab orbe
Omnibus has donans, Asiam locupletet abundè.

ALTER NON MINOR] id est, Domitianus, calvus Nero dictus à Iuvenale, quem Tertullianus in apologetico cap. V. vocat portionem Neronis de crudelitate, & Eusebius lib. III. hist. eccles. cap. XVII. Neronianæ impietatis & odij adversùs Deum successorem. Tertullianus: *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate: sed quia & homo, facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.* Ita veteres editiones & vetus codex Colbertinus. Posteriores editores maluerunt *qua*; quàm bene, viderint alij. Ceterùm quod heic à Tertulliano dicitur de restitutis Christianis quos Domitianus relegaverat, non ita intelligendum est ut putavit Franciscus Zephyrus, nimirum Domitianum, quia non omnem exuerat humanitatem, neque dignos exilio aut alia mulcta Christianos videret, repressisse impetum, & quos jam in insulas aliaque passim loca relegarat, eundem ipsum restituisse. Falsum enim istud; CAP. III.

neque Christiani revocati sunt ex insulis ante imperium Nervæ, ut constat ex his quæ paulò pòst referemus ex Dione & Clemente Alexandrino, tum etiam ex Lactantio.

ERASA EST] Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XII. *Octobrem verò suo nomine Domitianus invaserat, sed uti infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi.*

MVL. MIR. OP. FABRICASSET] Suetonius in Domitiano: *Plurima & amplissima opera incendio absumta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat, sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria.*

NEQ. IMAG. N. TITVLOR.] Idipsum scribit Eusebius lib. III. cap. XX. historiæ ecclesiasticæ. Suetonius: *Contrà Senatus adeo lætatus est ut repleta certatim curia non temperaret quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret, scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi & ibidem solo affligi juberet, novissimè eradendos ubique titulos abolendamque omnem memoriam decerneret.* Vide etiam Xiphilinum in Nerva, & Procopij Cæsarienſis historiam arcanam pag. 37. editionis Lugdunensis.

ECCLESIA RESTITVTA] Narrat Dio apud Xiphilinum, Nervam omnes qui impietatis in deos rei fuerant absolvisse, exules in patriam reduxisse, edicto insuper vetuisse ne cui liceret aut impietatis sive Iudaicæ sectæ (sic tum vocabant religionem Christi) quempiam dehinc insimulari. Ea porrò occasione Ioannes Apostolus, qui in Patmon insulam à Domitiano fuerat relegatus, exilio solutus, Ephesum reversus est, ut ex Clemente Alexandrino recitat Eusebius lib. III. cap. XXIII.

BONI PRINCIPES] quamvis pagani. Lactantius in fine libri septimi divinarum institutionum ad Constantinum: *Quoniam unus ex omnibus extitisti qui præcipua virtutis & sanctitatis exempla præberes, quibus antiquorum principum gloriam, quos tamen fama inter bonos numerat, non modò æquares, sed etiam, quod est maximum, præterires. Illi quidem natura fortasse tantùm similes justis fuerunt. Qui enim moderatorem universitatis Deum ignorat, similitudinem justitiæ assequi potest, ipsam verò non potest.* De bonis principibus, qui & libertatem credendi nostris hominibus permiserunt, & eorum ministerio in palatio & in provinciis usi sunt, eosque ad maximas dignitates evexerunt, videndus Eusebius in initio libri octavi hist. eccles.

NVLLVS TERR. ANGVLVS] Lactantius lib. IV.

institut. cap. XXVI. *Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus & ceteris altior, crux potius dicta est, quæ significaret illum tam conspicuum tamque sublimem futurum ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cuncta nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus aut sublimitas majestatis ignota sit.*

NVLLA DENIQVE NATIO] In veteri codice legitur, *nulla denique Dei natio.* Sed nos vocem *Dei*, quæ heic omnino superflua erat, abjecimus. Et nostram emendationem confirmat Lactantij locus mox relatus.

PRINCIPALE FASTIGIVM] Lactantius in epilogo libri septimi ad Constantinum : *Te providentia summæ divinitatis ad fastigium principale provexit.* CAP. IV.

ADVERSVM CARPOS] Constantinus in oratione ad sanctorum cœtum cap. XXIV. Getas sive Gothos vocat, auctor Chronici Alexandrini Francos, Zosimus libro primo historiarum Scythas. de quibus etiam interpretatur Cuspinianus. Ac sanè Constantinus in eadem oratione scribit Decium perijsse in campis Scythicis. Res ista sic conciliari potest ut quia Carporum Gothorumque eadem origo erat, & quia utrique propter Istrum fluvium sedes habebant, ut Zosimus docet, facilè eorum nomina permutarentur, & alius ad Gothos referret quæ alibi de Carpis & Scythis leguntur. Quod de Francis quoque hominibus, qui ejusdem cum Carpis Gothisque originis erant, intelligi velim.

NEC SEPVLTVRA] Epitome Victoris : *In solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri.* Rem multò aliter narrat auctor Chronici Alexandrini, qui scribit Decium ab uno aliquo principum mactatum unà cum filio fuisse in Abyrto. Eusebius in Chronico : *Decius cum filio in Abritto occiditur.* ubi vide Notas Iosephi Scaligeri.

VALERIANVS] Mira sunt quæ de modestia ac mansuetudine reliquisque summis Valeriani virtutibus tradit Trebellius Pollio : quæ confirmantur etiam ab Eusebio, qui lib. VII. hist. eccles. cap. x. illum vel ex eo maximè commendat quòd mansuetissimus ac benignissimus fuerit erga Christianos ; additque nullum superiorum principum, ne illos quidem ipsos qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexum esse quantam Valerianus præ se ferebat initio principatus sui, totamque eius familiam Christianis hominibus abundasse, ita ut Dei Ecclesia esse videretur. Sed postea immensùm CAP. V.

mutatus ab illo, crudelissimè sæviit in Christianos; ac mox secuta Dei manus, quæ illum graviter afflixit.

INCLINARE SIBI ROMANVM] Acta sancti Pontij martyris cap. XXIV. *Valerianus scilicet Imperator in captivitatem ductus à Sapore Rege Persarum, non gladio sed ludibrio omnibus diebus vitæ suæ merita pro factis percepit, ita ut quotiensçunque Rex Sapor equum conscendere vellet, non manibus ejus, sed incurvato dorso, & in cervice ejus pede posito, equo membra locaret.* Non stratoris igitur officium exhibebat Sapori Valerianus, sed planè vicem stapedis aut scalæ illi in equum ascensuro præstabat, ut rectè ex hoc actorum sancti Pontij loco, quorum auctorem facit Eutropium, observavit Salmasius ad Trebellium Pollionem pag. 276.

FILIVM IMPERATOREM] nimirum Gallienum; de quo narrat idem Pollio quòd *comperta patris captivitate gauderet*, tantum abfuit ab ea vindicanda. Addit paulò post Trebellius: *Et cùm plerique patris ejus captivitatem mœrerent, ille specie decoris, quòd pater ejus virtutis studio deceptus videretur, supra modum lætatus est.*

DIREPTA EST EI CVTIS] id est, Valeriano. Confirmat hanc historiam Constantinus Imperator in oratione ad sanctorum cœtum cap. XXIV. *Tu quoque Valeriane cùm eandem crudelitatem in famulos Dei declarasses, justum Dei judicium omnium oculis subjecisti, captus ab hostibus, & in vinculis circumductus cum chlamyde purpurea & reliquo imperiali cultu, tandem verò à Sapore Persarum Rege, detracta tibi cute, condiri jussus, sempiternum calamitatis tuæ tropæum spectandum præbuisti.* Qui locus lucem accipit ex Lactantio. Vide porrò quæ illic adnotat vir clarissimus Henricus Valesius.

CAP. VI. VÆSANVS ET PRÆCEPS] Flavius Vopiscus: *Aurelianus, quod negari non potest, severus, truculentus, sanguinarius fuit princeps.* Eutropius lib. IX. de eodem: *Vir in bello potens, animi tamen immodici & ad crudelitatem propensioris.*

EXTINCTVS EST] Eleganter idem Constantinus in eodem capite XXIV. *Tu item Aureliane, fax omnium virtutum, quàm præsenti & perspicua divini numinis vindicta, dum furore percitus Thraciam percurreres, in medio viæ publicæ cursus, sulcos aggeris publici impio sanguine compleviisti.*

COENOFRVRIO] inter Heracleam & Byzantium. Flavius Vopiscus in D. Aureliano: *Sed quum iter faceret, apud Cœnophrurium mansionem, quæ est inter Heracleam & Byzantium,*

Byzantium, malitia Notarij sui & manu Mucaporis interemptus est. Vide Eutropium lib. IX.

FALSA SVSPICIONE] Eam historiam multis enarrat idem Vopiscus, quem consule.

AVARITIA] Idem Vopiscus in Numeriano: *Quum Diocletianus apud Tungros in Gallia quadam in caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druyde quadam muliere rationem convictus sui quotidiani faceret, ac illa diceret, Diocletiane, nimium avarus, nimium parcus es, joco non serio Diocletianus respondisse fertur: Tunc ero largus quum Imperator fuero.* CAP. VII.

TRES PARTICIPES REGNI] Maximianum cognomento Herculium anno Christi CCLXXXV. Constantium cognomento Chlorum & Galerium Maximianum cognomento Armentarium anno CCXCIII. *Quatuor sanè principes mundi*, inquit Vopiscus in Carino, *fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, unum in republica sentientes.* Sed hæc scribebantur de vivis principibus; & adulatio suberat, ut patet ex libro Iuliani Imperatoris de Cæsaribus. In Chronico Alexandrino scriptum est Diocletianum communicasse imperium cum Maximiano Herculio anno tertio imperij sui, & Maximianum Iovium & Constantium in consortium imperij adscitos Nicomediæ XII. Kal. Iun. anno nono imperij Diocletiani, id est, anno Christi CCXCII. ut interpretatur Baronius, seu verius anno CCXCIII. Sed postea dicturi sumus de initiis Maximiani Herculij & aliorum. Nunc satis erit admonere graviter errare auctorem Chronici Alexandrini quum tradit Maximianum Iovium & Constantium factos fuisse Cæsares XII. Kalendas Iunias, quos ad principale fastigium evectos esse Kalendis Martiis extra omnem est controversiam.

ENORMITATE INDICTIONVM] id est, tributorum. Salvianus libro quinto pag. 105. secundæ editionis nostræ: *Quibus enim aliis rebus Bacauda facti sunt nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterunt, & indictiones tributarias praedas suas esse fecerunt?* Et pag. 107. *Decernuntur his nova munera, decernuntur novæ indictiones.* Item pag. 108. extrema: *Nam sicut in onere novarum indictionum pauperes gravant, ita in novorum remediorum opitulatione sustentant: sicut tributis novis minores maximè deprimuntur, sic remediis novis maximè sublevantur.*

DESERERENTVR AGRI] Idem Salvianus pag.

103. *Iam verò illud quale quàm familiare Romanis, quòd se invicem exactione proscribunt.* Item pag. 104. *Inter hæc vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur, in tantum ut multi eorum & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ adflictione moriantur.* & reliqua.

RATIONALES] id est, procuratores Principum, quorum cura erat ut in provinciis bona caduca & vacantia fisco vindicarent, quemadmodum ad Ammianum Marcellinum & ad Eusebium observavit vir doctissimus Henricus Valesius. Rectè autem hoc tempore mittebantur rationales, quia multa bona vacabant ob desertionem agrorum.

AD EXHIBENDOS MILITES] id est, ad præstanda stipendia militibus. Nam in jure civili exhibere significat suppeditare alimenta & cetera ad vitam necessaria, ut in l. 1. Dig. *De off. Præf. urbi*, & l. 34. Dig. *De negotiis gestis*. Sic etiam in jure canonico. Extat enim in libro tertio Extravagantium communium, in titulo *De censibus*, constitutio Benedicti XII. in qua verbum *exhibere* sumitur pro *procurare*, ut heic notat glossa, id est, alimenta ministrare. Immo in capite octavo Actorum legitur eodem sensu: *In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij; qui nos suscipiens, triduo benignè exhibuit.*

LEGEM PRET. RER. VENAL.] Appositè prorsùs ad hunc locum Ammianus Marcellinus lib. XXII. pag. 226. editionis Henrici Valesij, de Iuliano Imperatore agens: *Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quòd nulla probabili ratione suscepta popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnunquam secùs quàm convenit ordinata inopiam gignere solet & famem.* Vilitatem vocabant antiqui quum res parvo pretio constabant, ut pluribus ostendit idem Valesius ad hunc Ammiani locum. Arnobius in libro primo adversùs gentes: *Sæpenumero maximus annonæ fuisse proventus, vilitates, atque abundantias rerum tantas ut commercia stuperent universa, pretiorum auctoritate prostrata.*

LEX NECESSITATE IPSA] *Quoniam leges ea intentione latæ sunt ut proficiant, non ut noceant*, ut ad Avitum Viennensem Episcopum scribit Papa Symmachus. L. Valerius apud T. Livium lib. XXXIV. loquens de abrogatione legis Oppiæ: *Cui non apparet ob inopiam & miseriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniæ in usum publicum vertendæ erant, istam legem scriptam, tamdiu mansuram quandiu causa scribendæ legis mansisset?*

MAGNA PARS CIVITATIS] Nicomediæ, ubi habitabat Diocletianus, quam verò ſtudebat urbi Romæ coæquare, ut ſtatim dicet Lactantius. Sic Conſtantinus M. Conſtantinopolim Romæ deſideravit æquare. Fragmentum de Conſtantio Chloro & Conſtantino M. editum ab Henrico Valeſio poſt Ammianum Marcellinum pag. 475. *Conſtantinus autem ex Byzantio Conſtantinopolim nuncupavit ob inſigne victoriæ; quam velut patriam cultu decoravit ingenti, & Romæ deſideravit æquari.* Eutropius lib. x. loquens de Conſtantino: *Primus urbem nominis ſui ad tantum faſtigium vehere molitus eſt ut Romæ æmulam faceret.*

LICITVM CONSVETVDINE] Comœdia Queroli: *Non facilè intelligo perjurium joculare quid putas. Tamen tranſeamus quòd, ut video, conſuetudo jam fecit leve.* S. Ambroſius epiſt. LXVI. *Numquid ideo licet quia non eſt prohibitum.*

FRATER EIVS] Iſta non ſic accipienda ſunt quaſi Maximianus Herculius fuerit natura frater Diocletiani, ſed *frater imperij*, ut eleganter loquitur Severus Imperator ad Albinum ſcribens apud Iulium Capitolinum, ex more videlicet Regum, qui ſe fratres ſolent vocare, uti pluribus ad Annam Comnenam pag. 274. oſtendit vir eruditiſſimus Carolus Dufreſnius. Nam planum eſt ex panegyrico quem Mamertinus Herculio dixit, non natura illum Diocletiani fratrem fuiſſe, ſed electione, ut verbis utamur ſancti Ambroſij ex epiſtola XLIII. *Diverſum ſanguinem*, inquit Mamertinus, *affectibus miſcuiſtis. Non fortuita in vobis eſt germanitas, ſed electa.* Illud ipſum confirmat etiam Eumenius in panegyrico primo ad Conſtantinum M. ubi poſt laudatam Diocletiani conſtantiam in retinendo vitæ privatæ uſu, addit: *Hunc ergo illum qui ab illo fuerat frater adſcitus puduit imitari.* Denique Diocletianus erat Dalmata, iſte Pannonius. Addè quòd nullus hiſtoricus tradit eos natura fratres fuiſſe. Eodem porrò more Galerius Maximianus, quia Cæſar cum Conſtantio factus fuerat, ejus frater vocatur à Trebellio Pollione in D. Claudio: *Quæ idcirco poſui ut ſit omnibus clarum Conſtantium, divini generis virum, ſanctiſſimum Cæſarem, & Auguſtæ ipſum familiæ eſſe, & Auguſtos multos de ſe daturum, ſalvis Diocletiano & Maximiano Auguſtis & ejus fratre Galerio.* Immo qui eodem aut pari magiſtratu fungebantur in republica, fratres vocabantur, ut patet ex epiſtola CLX. ſancti Auguſtini. Ceterùm in conſtituendis Maximiani Herculij initiis variæ ac multùm inter ſe diſcrepantes ſunt eruditorum virorum ſententiæ, quas in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXI. enumerat Diony-

CAP. VIII.

sius Petavius. Ipse ea ponit in anno Christi CCLXXXV. quo tribunitiæ potestatis perinde ut imperij secundum annum Diocletianus iniit. Id autem colligit vir doctissimus ex eo quòd incertus auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti affirmet Maximianum vigilias & curas imperatorias viginti annis expertum esse, & vicesimo anno Imperatorem, octavò Consulem fuisse, tum etiam quia Aurelius Victor tradit ei anno minùs potentiam fuisse quàm Diocletiano. Sanè anni imperij Maximiani hanc certam, ut mihi videtur, regulam habent quòd vigesimus annus imperij debet concurrere cum octavo ejusdem consulatu. Cùm ergo certum sit octavum consulatum ejus incidisse in annum Christi CCCIV. & ex Fastis Idatianis sciamus initium imperij ejus fuisse Kalendas Apriles, consequens est illum à Diocletiano factum fuisse Cæsarem Kalendis Aprilibus anni CCLXXXV. cùm Diocletianus jam imperaret à mense Novembri proximè præterito. Nam & Eusebius in Chronico Maximianum dicit in consortium imperij adscitum anno secundo Diocletiani, non quidem in editione Scaligeri, sed in tribus antiquis exemplaribus manuscriptis bibliothecæ Colbertinæ, quorum unum est antiquissimum & optimum, tum etiam in veteri illa editione Veneta, & in ea quam Arnaldus Pontacus Episcopus Vasatensis emisit ad veterum exemplarium fidem castigatam. Quod tamen non ita intelligendum est ut Maximianus dicatur adscitus in consortium imperij quum jam Diocletianus imperasset per annum integrum, sed anno secundo ex quo Diocletianus levatus fuerat, incipiendo à Kalendis Ianuariis, ut tum auspicari solebant annum. Ad quam etiam regulam revocanda sunt verba Aurelij Victoris dicentis Maximiano anno minùs potentiam fuisse quàm Diocletiano, inchoato videlicet, non completo. Nam, ut dixi, certa illa est regula, vigesimum annum imperij Maximiani non posse disjungi ab octavo ejus consulatu. Referenda sunt autem verba panegyrici. *Te rursus vicesimo anno Imperatorem, octavo Consulem, ita amplexu quodam suo Roma voluit detinere ut videretur augurari jam & timere quod factum est.* Quæ verba sic interpretari oportet ut dicamus Maximianum Romæ remansisse post discessum Diocletiani, & illic Consulem processisse Kalendis Ianuariis anni CCCIV. imperij sui XIX. exeunte, vigesimum inchoasse Kalendis Aprilibus quæ in consulatum ejus octavum inciderunt, deinde Roma digressum eo anno quo Consul octavùm erat, excitasse querelas & suspiciones civium Romanorum, quasi jam augurarentur & timerent quod factum est, id est, depositionem

imperij, quæ anno sequenti post consulatum ejus octavum evenit, quum ipse iniisset vigesimum primum imperij sui annum. Itaque Diocletianus imperium habuit mensibus tantùm quatuor & duodecim diebus plus quàm Maximianus. Imperavit autem per annos viginti, menses quinque, dies duodecim; Maximianus verò per annos viginti & mensem unum integrum.

IN VTROQVE MENS VNA] id est, Diocletiano & Maximiano, quos notant antiqui pari in societate potentiæ fuisse concordes, & Maximianum Diocletiano in omnibus semper obsecundasse. Mamertinus in panegyrico quem dixit Maximiano: *Vestra hæc concordia facit, invictissimi principes, ut vobis in tanta æqualitate successuum etiam fortuna respondeat. Rempublicam enim una mente regitis, neque vobis tanta locorum diversitas est quò minùs etiam veluti junctis dexteris gubernetis.* Idem in genethliaco: *Intelligimus enim, sacratissimi principes, geminum vobis, quamvis dispares sitis ætatibus, inesse consensum; neque tibi ille cunctatior, sed invicem vosmet imitamini, invicem vestros affectatis annos. Sic vos estis juniores, ambo seniores. Neuter plus suis moribus favet. Vterque se vult esse quod frater est.* Flavius Vopiscus in Carino, loquens de Diocletiano & Maximiano, Galerio Maximiano & Constantio: *Quatuor sanè principes mundi, fortes, sapientes, benigni, & admodum liberales, unum in republica sentientes.* Aliter tamen sensisse video Iulianum Imperatorem, qui in libro de Cæsaribus ait Deos quidem admiratos esse illorum concordiam, sed unum eorum acerbè & intemperanter se gerentem, rerum novarum cupidum, & perfidiæ plenum, neque in omnibus tetrachordo concordem, à Sileno admissum non fuisse in convivium Imperatorum. Quo loco designari Maximianum Herculium satis apparet.

AVARITIA MINORI ALTERO] Hæc sanè corrupta ac depravata sunt. Quippe heic dicere videtur Lactantius Herculium avariorem Diocletiano fuisse, quem tamen paulò pòst scribit non admodum diligentem fuisse in conservandis opibus quas ei Africa & Hispania opulentissimæ provinciæ subministrabant. Et infrà cap. XXIX. de eodem loquens ait: *Thesauros invadit, donat ut solet largè.* Vnde colligi potest quanta fides habenda sit actis sancti Mauritij & sociorum ejus ab Eucherio conscriptis, ubi Herculius describitur *ferus animo, avaritia crudelis.*

LOCVPLETES SENATORES] exemplo videlicet D. Aureliani, de quo hæc scribit Vopiscus in vita ejus. *Dicitur præterea hujus fuisse crudelitatis ut plerisque senatori-*

bus simulatam ingereret factionem conjurationis ac tyrannidis, quo facilius eos posset occidere.

EFFODERENTUR LUMINA] Lactantius lib. VII. institut. cap. XXVI. de Roma : *Precandusque nobis & adorandus est Deus cæli, si tamen statuta ejus & placita differri possunt, ne citius quàm putemus tyrannus ille abominandus veniat qui tantum facinus moliatur ac lumen illud effodiat cujus interitu mundus ipse lapsurus est.* De eodem senatu Romano agens Mamertinus in genethliaco Maximiani sic scribit : *Ipsa etiam gentium domina Roma, immodica propinquitatis vestræ elata gaudio, lumina senatus sui misit.*

CONSTANTIVM] cognomento Chlorum, Constantini M. patrem, principem optimum & benignissimum, uti jure meritòque vocatur in veteri inscriptione Nicomediensi nondum edita, quam in ea urbe ante hos annos ex veteri lapide in area Moscheæ novæ reperto descripsit vir clarissimus Ioannes Vaillant Antiquarius regius, & mecum humanissimè communicavit. Sic autem habet :

OPTIMO. BENIGNISSIMO Q.
PRINCIPI. FLAVIO. VALERIO
CONSTANTIO. NOB. CÆSARI
GERMANICO. MAX. CONS. COLONIA
NICOMEDIENSIVM. D. N. M. Q. EIVS.

Posita est hæc inscriptio post victoriam quam Constantius reportavit de Germanis sive Alamannis, post quam vocatus est Germanicus, anno Christi CCXCIV. quum ipse & Galerius Maximianus essent Consules. De hac victoria sic loquitur Eutropius lib. IX. *Per idem tempus à Constantio Cæsare in Gallia pugnatum est circa Lingones. Ubi una adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cùm repentè barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis medijs adventante exercitu, sexaginta ferè millia Alamannorum cecidit.* Quòd si quis titulum Germanici additum Constantio velit post devictos Francos, potest & ea quoque sententia bona esse.

CAP. IX. MAXIMIANVS] cui prænomen Galerio fuit, cognomen Armentario. Gener fuit Diocletiani, quia Valeriam filiam ejus habuit uxorem, mulierem castissimam & infelicissimam. Sed de ea postea pluribus agemus.

HVIC BESTIÆ] Sic persecutores Christianorum nominare solet Lactantius. Cujus appellationis hanc reddit rationem in libro quinto divinarum institutionum cap. XI. *Nam quis Caucasus, qua India, qua Hyrcania tam immanes,*

tam sanguinarias unquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa est vera bestia cujus una jussione funditur ater ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis extet sepulturæ locus. Non absurda autem conjectura fuerit si quis hæc quoque dicta suspicetur adversùs Galerium Maximianum, hominem crudelissimum, quem & Lactantius & ceteri vocant auctorem persecutionis adversùm Christianos excitatæ, ut observabimus infrà. Eadem ratione Sulpitius Severus in libro secundo sacræ historiæ Neronem vocat immanium bestiarum sordidissimum, & Victor lib. v. de persecutione Vandalica Hunericum Regem bestiam quoque vocat.

MATER EIVS) Romula. de qua paulò pòst.

DACIAM NOVAM) id est, Daciam Aureliani, nimirum eam Mœsiæ partem in quam Aurelianus populos transtulerat quos ex Dacia Trajani abduxerat. Ea amissa fuerat sub Gallieno, sed ab Aureliano revocata ad Romanam ditionem, ac postea rursum ab eo intermissa, quia desperabat posse retineri, abductique ex ea Romani in media Mœsia collocati sunt, ut in libro nono tradit Eutropius. Flavius Vopiscus in D. Aureliano: *Quum vastatum Illyricum ac Mœsiam deperditam videret, provinciam trans Danubium Daciam à Trajano constitutam sublato exercitu & provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri; abductosque ex ea populos in Mœsiam collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit.* Tum ergo hauddubiè Romula mater Galerij, quæ erat Transdanubiana, confugerat in Daciam novam.

TRAIECTO AMNE) id est, Danubio, ubi constitutus erat limes duarum Daciarum illius temporis.

CARO INGENS] Consentanea Lactantio narrat Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. XVI. & libro primo de vita Constantini cap. LVII. nimirum Galerio Maximiano totam corporis molem ob nimiam alimenti copiam in immensam quandam pinguedinem excrevisse, etiam ante morbum quo perijt.

PER ARMENIAM] majorem, ut docet Sextus Rufus. Duæ itaque fuere Armeniæ, Euphrate fluvio invicem disterminatæ. Minor Cappadociæ juncta erat, major Per-

sarum regno contigua. Itaque quum bellum in Armenia majore parabatur, procul erant exercitus à Nicomedia, adeoque Diocletianus tutus erat adversùs timorem de Persis. Narrat ergo Sextus Rufus Maximianum Cæsarem, quum prima congressione pulsus fuisset à Persis, à Diocletiano vix *impetrasse ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu eventum Martis repeteret. In Armenia majore ipse Imperator cum duobus equitibus exploravit hostes, & cum viginti quinque milibus superveniens castris hostilibus, subitò innumera Persarum agmina adgressus ad internicionem cæcidit. Rex Persarum Narseus effugit. Vxor ejus & filiæ captæ sunt, & cum maxima pudicitiæ custodia reservatæ. Pro qua admiratione Persæ non modò armis sed etiam moribus Romanos superiores esse confessi sunt, Mesopotamiam cum Transtigritanis quinque regionibus reddiderunt.* Insignis est hic locus, & qui merebatur à nobis describi.

FVGATO NARSEO] Ista contigisse anno Christi CCXCVII. pluribus probat Henricus Valesius in Notis ad Eusebium pag. 170. quem consule. Quamquam, fatendum enim est, victoriam Galerij de Persis contigisse anno XVII. imperij Diocletiani disertè scriptum est in optimo illo & antiquissimo Chronico Eusebiano bibliothecæ Colbertinæ: in veteri verò editione Veneta revocatur ad annum XIV. Triumphus autem de Narseo victo actus est Romæ tempore vicennalium anno CCCIII. ut ostendemus infrà ad caput XVII.

DETRECTARET CÆSARIS NOMEN] Non fuit ille solus qui imperium habere quàm expectare mallet. Iulianus Cæsar cum secutus est; qui Cæsaris nomine non contentus, Augustum se appellari & voluit & passus est. Quod ubi ad Constantium Imperatorem perlatum est, ille Leonam Quæstorem suum, ut in libro XX. tradit Ammianus Marcellinus, in Gallias cum litteris datis ad Iulianum pergere celeri statuit gradu, eum, si saluti suæ proximorumque consuleret, tumenti flatu depositio, intra Cæsaris se potestatem continere præcipiens. Sed Iulianus restitit, sub nomine celsi se imperij multò officiosiùs pariturum asseverans, ut legitur in Epitome Victoris.

DIOCLES ANTE IMPERIVM] Infrà cap. XIX. *Huic purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, & Diocles iterum factus est.* Epitome Victoris: *Diocletianus Dalmata, Anulini senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatus, ubi orbis Romani potentiam cepit,*

Græum nomen in Romanum morem convertit. Vide Valesium in Notis ad Eusebium pag. 165. Emendandus ergo Flavius Vopiscus in loco à nobis suprà relato ex vita Numeriani: ubi legendum, *Diocles, nimiùm avarus*, pro eo quod ibi legitur, *Diocletiane.*

SVMMA FELICITATE REGNAVIT] Vide quæ adnotamus infrà ad caput XVII.

SCRVTATOR RER. FVTVR.] Aurelius Victor: *Namque imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades &c.* CAP. XI.

QVIDAM MINISTRORVM] Et hic quoque locus aperte ostendit librum istum esse Lactantij. Similia enim omnino ipse habet in libro quarto institutionum cap. XXVII. *Nam cùm dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpe causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, impositio frontibus signo deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent aruspices, instigantibus ijsdem dæmonibus quibus prosecrant, conquerentes prophanos homines sacris interesse, egerunt principes suos in furorem ut expugnarent Dei templum.* Quo loco, ut illud obiter admoneam, lapsus graviter est Iosephus Isæus putans heic agi de templo Iovis, Apollinis, vel cujusvis alterius dæmonis expurgato, cùm tamen hic locus intelligendus sit de templo Christianorum apud Nicomediam, quod idem Lactantius lib. v. cap. XI. ait eodem tempore eversum esse quo ipse in Bithynia oratorias litteras accitus docebat, id est, in initio persecutionis quam Diocletianus & Maximianus commoverunt adversùs Ecclesiam. Neque certè furore, sed pietate potiùs opus est ad expurgandum templum; ad expugnandum verò templum, quòd Deus, qui in templo Christianorum colebatur, sacra turbasset quibus Imperatores operam dabant, furor animum addidit. Meliùs Thomasius, qui vocem *expugnarent* heic retinuit, aliam rejecit; quoniam *si legeremus* expurgarent, *per Dei templum esset intelligendum Apollinis vel alterius hujusmodi, quod Lactantius non templum Dei sed dæmonis profanum domicilium nominasset.* Sed idem tamen hujus loci sensum assecutus non est. Existimat enim heic per templum intelligi viros illos Christianos qui sacrificiis intererant, qui martyrio affecti sint ob querelas dæmonum & eorum sacerdotum, cùm certum sit heic agi de templo Christi Nicomediensi expugnato & everso. Errandi itaque occasio fuit vox *expurgarent*,

quam quædam editiones habent pro *expugnarent*. Porrò legendum esse *expugnarent*, docent tres vetusti codices bibliothecæ Colbertinæ, item alij duo vetusti codices Bononienses quos & Thomasius & Isæus viderunt, ut testatum fecit Latinus Latinius in ora sui Lactantij, quem mecum pro amicitia nostra communicavit clarissimus & eruditissimus conterraneus meus Antonius Faure Doctor Theologus Parisiensis & Præpositus Ecclesiæ Remensis. Quo etiam modo Petrus Ciaconius legendum esse monuit in margine Lactantij sui, quem mihi utendum dedit idem vir clarissimus. Atque ita sanè habent vetus illa editio Romana, Veneta anni MDXXI. & Basileensis Xysti Betuleij.

IMMORTALE SIGNVM] Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVII. *quos signum immortale munierit tamquam inexpugnabilis murus*. Alibi dixit *cæleste signum*.

TAGIS] Puto hæc oratorio more dicta esse, quia Tages Thuscus fuit olim magnus aruspex & magister aruspicum. Arnobius libro secundo adversùs gentes: *Antequam Thages Thuscus oras contingeret luminis, quisquam hominum sciebat aut esse noscendum condiscendumque curabat an fulminum casus aut extorum aliquid significaretur in venis?* ubi vide observationes Gebharti Elmenhorstij. Hinc illud Ammiani Marcellini ex libro XVII. pag. 101. *In Tageticis libris legitur Vejovis fulmine mox tangendos adeo hebetari ut nec tonitrum nec majores aliquos possint audire fragores*. Sic hunc locum emendavit Henricus Valesius, cùm antea legerent *Tagetis Thusci*. In veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ scriptum est *Tagetinicis*.

PRÆPOSITI] Nomen id dignitatis militaris, & quidem post Tribunos, qui tamen præerant cohorti perinde ac Tribuni, ut observat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum. Lactantius cap. XLVI. istius historiæ: *Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per Præpositos Tribunosque mittuntur*. Ex eorum numero fuit Dorotheus ille cujus encomium enarrat Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. 1. ut ex actis martyrum Indis & Domnæ collegit idem Valesius.

MILITES COGI] Rectè itaque adnotat Eusebius in eodem capite primo libri octavi orsam primùm persecutionem fuisse ab iis qui militabant. Neque tum illa processit ulteriùs.

BITHYNIAM] In veteri codice legitur *Bethaniam*, manifesto errore. Certum quippe est ea quæ deinceps narrantur, peracta esse apud Nicomediam Bithyniæ metropolim.

MATER EIVS] Galerij Maximiani, quam Romulam suprà vocavit. CAP. XI.

DEOR. MONTIVM CVLTRIX] Commodianus lib. I. cap. XXI. *Montesses deos dicitis.* Sic enim legitur in vetustissimo codice MS. sancti Albini Andegavensis ex quo instructiones Commodiani descripsit Iacobus Sirmondus, cùm in utraque editione Rigaltij scriptum sit : *Montus & deos dicitis.* Malè. Nam vel ipse titulus, qui *Montesianis* inscriptus est, admonebat retinendam esse lectionem veteris exemplaris. Difficile est autem interpretari qui fuerint dij montenses. Nam vetus inscriptio Romana, in qua istorum deorum mentio extat, eorum explicationem reddit difficiliorem. Habetur apud Gruterum pag. XXI.

ARAM. IOVI. FVLGERATORIS. EX. PRECEPTO. DEORVM. MONTENSIVM. VAL. CRESCENTIO. PATER. DEORV. OMNIVM. ET. AVR. EXVPERANTIVS. SACERDOS. SILVANI. CVN. FRATRIBVS. ET SORORIBV. DEDICAVERVNT.

Porrò alij fuere Montesses qui commemorantur à Prædestinato lib. I, cap. LXIX. & in constitutione Honorij Aug. edita in Appendice Codicis Theodosiani titulo XII. quos sanctus Augustinus in epistola ad Quodvultdeum vocat Montenses, ut & multi alij quos recenset vir clarissimus Carolus Dufresnius in verbo *Montenses.* Hi fuere Donatistæ, ut satis notum est vel ex libro secundo Optati Milevitani.

IEIVNIIS INSISTEBANT] Sic Maria ancilla Tertulli principalis, ut in actis ejus legitur. *Natale itaque filij celebrante Tertullo, cùm impuris idolis vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis.*

INTER SE] id est, inter Diocletianum Aug. & Maximianum Cæsarem, quod sequentia docent.

ILLOS LIBENTER MORI] Sulpitius Severus in libro secundo hist. eccles. de hac ipsa persecutione loquens : *Quippe certatim tum gloriosa in certamina ruebatur.* Nihil vulgatius in actis martyrum quàm voces illæ ultroneæ : *Christianus sum, Mori volo*, & cetera hujusmodi. Hinc sancta illa Christianorum invidia erga defunctos, quòd digni non fuissent eorum mortis esse participes, ut Valerij in actis sancti Pontij martyris. Hinc etiam quorundam calidus zelus ac pius, ut ita dixerim, furor sese ultro morti ac tormentis offerentium ; adversùs quos exarsit Mensurius Episcopus Carthaginensis, ut testatur sanctus Augustinus in Breviculo Collationum cum Donatistis lib. III. cap.

XIII. ubi docet scriptam à Mensurio fuisse epistolam ad Secundum Episcopum Tigisitanum, in qua legebatur *eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, & ultro dicerent se habere scripturas quas non traderent, à quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos.* Quò etiam spectat canon LX. Eliberitanus. Elegans autem est & cumprimis memorabilis locus Pontij Diaconi in vita sancti Cypriani, ubi loquens de fuga ejus quum ad martyrium quæreretur, ait : *Fuit verò formido illa, sed justa, formido qua Dominum timeret offendere, formido qua præceptis Dei mallet obsequi quàm sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare.* Hinc denique quorundam preces ad martyres orantium ut martyrij consortes esse mererentur; ut Eulampiæ in Menologio Græcorum ad diem decimam Octobris in tomo secundo antiquæ lectionis Henrici Canisij. Sufficiunt enim hæc exempla ex multis ac propè innumeris quæ recitari facilè possent.

ALIOR. CVLPÆ ASSCRIBERET] Eutropius lib. IX. *Diocletianus moratus callidè fuit, sagax præterea, & admodum subtilis ingenio, & qui severitatem suam alienâ invidia vellet explere.* Eadem de illo narrat Suidas, ingenio fuisse dicens vario & callido, sed singulari prudentia & acumine vitia naturæ sæpe celavisse, res omnes asperiores in alios conferendo.

PROPRIO ADV. CHRISTIANOS ODIO] Lactantius lib. v. institut. cap. XI. de hac ipsa persecutione loquens : *Alij suo proprio adversùs justos odio.*

TOLLENDOS ESSE] Acta passionis sancti Savini Episcopi & martyris : *Pars major populi clamabant dicentes: Christiani tollantur, & voluptas constat.*

TIMENTES] Lactantius ibidem : *Alij præ nimia timiditate plus ausi sunt quàm jubebatur.*

GRATIFICARI VOLENTES] Idem ibidem: *Nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent.*

APOLLINEM MILESIVM] Hanc historiam narrat Eusebius in libro secundo de vita Constantini cap. L. sed non explicat ad cujus Apollinis templum pertineat. Tradit Pausanias in Arcadicis Xerxem Darij filium Milesiis ademisse æneum Apollinem qui in Branchidis fuerat, quem multis pòst annis Seleucus iisdem remisit. Branchidæ porrò locus erat in agro Milesio supra Panormum portum, celebris Apollinis oraculo quem Iones & Æoles olim consulere

solebant, ut ex libro primo Herodoti observat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum pag. 382. Lactantius lib. VII. institut. cap. XIII. *Polytes quidam consuluit Apollinem Milesium.* Macrobius lib. I Saturnal. cap. XVII. *Meandrius scribit Milesios ἀπόλλωνι οὐλίῳ pro salute sua immolare.*

VT DIV. RELIG. INIMICVS] nimirum justos viros in terris degentes, id est, Christianos, obstare sibi quò minùs vera prædiceret, atque idcirco falsa ex tripode oracula reddi, ut docet Eusebius in libro secundo de vita Constantini. Quæ verba transscripsit & sua fecit auctor actorum sancti Georgij martyris apud Surium.

AD SEPT. KAL MART.] Rectè. Hoc enim die signantur Terminalia in veteri Kalendario Romano quod editum est tempore Constantini, & ab Hervvarto & Bucherio factum publici juris. Sanctus Augustinus lib. VII. de civitate Dei cap. VII. *Terminalia mense Februario celebrari dicunt cùm fit sacrum purgatorium quod vocant februum.* Dies igitur primus istius persecutionis, quod notandum est, fuit VII. Kalendas Martias, ipso Terminalium die. quod probatur etiam ex capite XLVIII. ut illic observabitur. CAP. XII.

AGENTIB. CONS SEN B. AMB.] id est, Diocletiano & Maximiano Herculio, quos anno Christi CCCIII. Consules VIII. & VII. fuisse constat. Hæc porrò verba certò indicant tempus istius persecutionis, de quo tanta contentione inter se digladiantur viri docti Nam Onuphrius, Baronius, Petavius, ne singulos commemorem, contendunt eam cœpisse anno Christi trecentesimo secundo, Scaliger, Valesius, & alij multi, anno sequenti. quorum opinionem esse veram probat hic locus Lactantij. Nam præterea apparet ex capite XVII. ista contigisse paulò antè quàm Diocletianus Romam pergeret. Atqui certum est eum Romam profectum esse anno decimo nono imperij sui exeunte, ibique triumphasse de Narseo Rege Persarum, ut rectè notat Iosephus Scaliger ad Chronicon Eusebij. Præterea Lactantius infrà cap. XLVIII. historiam istius persecutionis colligens, cùm dixisset edictum Constantini & Licinij pro Christianis, quo pax data est Ecclesiæ, propositum fuisse Nicomediæ die Iduum Iuniarum Constantino & Licinio ter Consulibus, ait ab eversa Ecclesia Nicomediensi usque ad restitutam fuisse annos decem, menses plus minùs quatuor. Atqui si à die septimo Kalendas Martias anni CCCIII. (quo diruta est Ecclesia Nicomediensis) usque ad diem Iduum Iuniarum anni CCCXIII. colligas, invenies ab eversa Ecclesia illa usque ad restitutam fluxisse

annos decem, menses tres, dies novendecim. Denique persecutionem cœpisse anno CCCIII. hinc etiam probari potest quòd Eusebius lib. VIII. cap. XVI. ait eam post octavum annum aliquantisper remittere cœpisse. Nam si tempora numeres à festis paschalibus anni CCCIII. usque ad mensem Aprilem anni CCCXI. quo Galerius Maximianus in extremis agens persecutionem quiescere jussit, facilè reperies annos octo integros effluxisse ab initio persecutionis & initium noni fuisse. Itaque remittere cœpit post annum octavum, ut observavit Eusebius. Quare argumenta quæ Petavius in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXII. adducit ex Sulpitio Severo ut probet persecutionem cœpisse anno CCCII. infirma esse constat, cùm eo fundamento nitantur quòd ea desierit anno CCCXII. quam certum sit nonnisi anno demum sequenti conquievisse.

SIMULACRUM DEI QUÆRITUR] Nimirum ut inter paganos, qui non putabant templa esse posse sine simulacris. Et tamen Plinius lib. II. cap. VII. dixerat: *Effigiem Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ reor.* Simulacris itaque carebant Ecclesiæ Christianorum, ut plurimis observat Desiderius Heraldus ad librum sextum Arnobij. Vide etiam Casaubonum in Notis ad Alexandrum Severum Ælij Lampridij.

SCRIPTURÆ INCENDUNTUR] Narrat ista Eusebius lib. VIII. hist. eccles. cap. II. ac plures alij quos supervacaneum esset commemorare. Res enim est notissima. Hinc natum contumeliosum traditoris vocabulum adversùs eos qui metu pœnarum libros divinos tradiderant judicibus imperialibus. Qua de re consulendi in primis Africani scriptores, præcipuè verò Donatista ille qui descripsit acta sanctorum martyrum Saturnini, Dativi, & sociorum. Neque interim omittenda gesta purgationis Cæciliani Episcopi Carthaginensis & Felicis Episcopi Aptungitani.

CAP. XIII. POSTRIDIE] id est, sexto Kalendas Martias. Hoc igitur die propositum est Nicomediæ edictum Diocletiani & Maximiani adversùm nostros, cœpta jam persecutione. Verùm Eusebius lib. VIII. cap. II. scribit propositum fuisse mense Martio, appetente die festo dominicæ passionis; & auctor Chronici Alexandrini propositum ait die XXV. Martij, ipso die Paschæ. Ista verò sic conciliari posse mihi videntur ut primò quidem edictum illud propositum fuerit Nicomediæ, velut in civitate regia, VI. Kalendas Martias, deinde missum ad ceteras imperij civitates, mense quidem Martio propositum in eo loco ubi tum Eusebius habitabat,

in Palæstina mense Aprili, Alexandriæ vel alibi ipso die Paschæ.

CARERENT OMNI HONORE] Ista sic expressit Ruffinus apud Eusebium lib. VIII. cap. II. *Si quis inter nostros alicujus honoris prærogativa muniretur, sublata hac maneret infamis.*

LIBERTATEM NON HABERENT] Hæc apertiùs explicantur ab Eusebio lib VIII. cap. II. secundùm interpretationem Ruffini. Reliqui enim interpretes sensum legis non satis feliciter assecuti sunt. Sic ergo habet Ruffinus. *Si quis servorum permansisset Christianus, libertatem consequi non posset.* Primùm enim pœnæ constitutæ sunt adversùs honoratos, tum adversùs plebem, postremò adversùs servos; quibus adempta omnis spes libertatis, si permansissent in professione religionis Christianæ. Vt constet falli virum alioqui eruditissimum Henricum Valesium, qui in Notis ad Eusebium pag. 164. ait hanc Ruffini interpretationem ferri non posse. Longiùs etiam aberravit Nicephorus Callistus, qui lib. VII. cap. III. ita intellexit hunc locum edicti ut putaverit servis libertatem datam esse qui Christianismum abjurarent.

QVOD EDICTVM QVIDAM] Ex silentio Lactantij, qui tum Nicomediæ erat, satis datur intelligi ignotum fuisse nomen istius hominis, quia haud dubiè de plebe erat. Nam si fuisset vir illustris & secularium honorum prærogativa conspicuus, ut eum describit Eusebius, qui ita vel fando audiverat vel ex traditione majorum acceperat, ejus nomen neque ignorasset Lactantius neque tacuisset, & ad Eusebium quoque perveniisset. Intererat quippe rei publicæ Christianæ ut nomen illius viri cunctis Ecclesiis innotesceret qui magnum illud facinus fuerat ausus. Quare suspecta mihi valde sunt quæ in vetustis quibusdam martyrologiis leguntur ad diem septimam mensis Septembris; ubi descriptis Ruffini verbis Eusebium interpretantis, hæc facta dicuntur à quodam beato Ioanne. Nam cùm ex Lactantio & Eusebio certò colligatur virum hunc statim productum, statim morti traditum fuisse, adeoque expirasse exeunte Februario, quomodo fieri potest ut natalis ejus dies incidat in mensem Septembrem, tam procul ab initio persecutionis? Ac sanè licèt illorum martyrologiorum auctoritas apud me vacillet, assentiri tamen non possum clarissimo viro Godefrido Henschenio, qui tomo tertio Februarij pag. 107. contendit hanc historiam intelligi debere de sancto Georgio martyre, quem passum ait Nicomediæ anno Christi CCCIII. die XXIII.

mensis Aprilis, instante dominicæ & salutiferæ passionis solennitate. Præterquàm quòd enim certum est persecutionem cœpisse exeunte Februario, & eum qui edictum diripuit ac conscidit, eodem mense extinctum fuisse, duobus videlicet mensibus ante diem vigesimam tertiam mensis Aprilis, acta illa sancti Georgij, quæ Henschenius edidit, non id dicunt, & tot fabulis ac portentosis narrationibus plena sunt ut planè constet nihil boni sanique ex illis posse colligi. Vna Alexandræ Imperatricis historia, quæ cùm Christiana esset, capite damnata dicitur à Diocletiano, ipso proferente sententiam, historia est quæ omnia poëtarum figmenta superat, cùm certum sit, ut dicemus paulò pòst, nullam aliam Diocletianum toto principatus sui tempore conjugem habuisse quàm Priscam. Præterea cùm ipse Henschenius scribat Pascha incidisse anno CCCIII. in diem XVIII. Aprilis, & dominicam passionem in diem decimam sextam, planum est hanc historiam non posse intelligi de sancto Georgio: qui si passus fuit anno quo Pascha incidit in diem XVIII. Aprilis, ut vult Henschenius, certè passus non est imminente solennitate Paschali, sed post transactos dies festos. Atqui hoc erat validius Henschenij argumentum sumptum ex præfatione libri Eusebiani de martyribus Palæstinæ, ubi scriptum est edicta de destruendis Ecclesiis & comburendis sacris codicibus proposita fuisse in Palæstina mense Aprili, cùm salutaris passionis dies immineret. Quod ut verum esse potest ratione Palæstinæ, falsum est ratione Nicomediæ, ubi certum est edictum fuisse propositum VI. Kalendas Martias, postridie Terminalium.

ETSI NON RECTE] Rufinus apud Eusebium lib. VIII. cap. V. *calore nimio fidei ignitus*, tamquam reprehenderet imprudentem & intempestivum illius ardorem pro fide Christi.

VICTORIAS GOTHOR. ET SARMAT.] Quia Imperatores se in titulo edicti vocabant Gothicos & Sarmaticos, ut in veteri inscriptione quam refert Cuspinianus in libro de Cæsaribus pag. 135. In titulo autem edicti posita fuerunt non solùm nomina Diocletiani & Maximiani Imperatorum, sed etiam Constantij & Galerij Maximiani Cæsarum; ut facilè colligi potest ex historia passionis sanctorum martyrum Saturnini, Dativi, Felicis, & sociorum, & ex martyrio sanctarum Agapes, Chioniæ, & Irenes.

LEGITIME COCTVS] Modus coquendi Christianos vivos explicatur infrà cap. XXI. Legitimè autem coctum dixit, quia coctus erat secundùm leges quas Augusti tulerant;

tulerant; sicut lib. v. institut. cap. XI. legitima sacra vocat ea quæ secundùm veterem morem fiebant, quia mos vim legis obtinet. Eadem ratione dixit lib. VI. cap. IX. injurias hostibus legitimè inferri, scilicet postquàm, servato belli jure, bellum per legatos denuntiatum & indictum est. Fallitur enim heic vehementer Iosephus Isæus, qui vocem *legitimè* ironicè positam putat hoc loco esse, quia videlicet non intellexit veram ejus significationem.

CVM ADMIRABILI PATIENTIA] Verba sunt Rufini interpretantis & explicantis Eusebium. *Continuò omni in eum crudelitatis genere desævientes, ne hoc quidem solum efficere quiverunt ut eum mœstum aliquis videret in pœnis, sed lato atque hilari vultu, cùm jam viscera in suppliciis defecissent, spiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo tortores sui gravius cruciabantur, quòd omnia suppliciorum genera consumebant in eum quem ne tristem quidem ex his reddere poterant.*

SVBIECIT INCENDIVM] Eusebius lib. VIII. cap. VI. agens de hoc incendio, nescire se fatetur quo casu excitatum fuerit. Alij palatium fulmine ictum conflagrasse scribunt, ut Constantinus in oratione ad sanctorum cœtum cap. XXV. CAP. XIV.

OMNES SVOS PROT. PRÆC.] In veteri codice legitur, *omnes suos protinus cepit.* Nos emendavimus.

DATA POTESTATE] Lactantius lib. v. institut. cap. XI. de hac ipsa persecutione agens: *Accepta enim potestate pro suis moribus quisque sæviit. Alij præ nimia timiditate plus ausi sunt quàm jubebatur. Alij proprio adversùs justos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent & hoc officio viam sibi ad altiora munirent. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit.*

TORQVEBANT] Sic scriptum est in veteri libro; sed supra ultimam lineam, ut ferè fit, appositum est signum quod ostenderet legendum esse *torquebantur*, manifesto sanè errore. Atque hunc esse fontem plurimorum erratorum quæ in vetustis auctoribus occurrunt nos sæpe deprehendimus in codicibus manuscriptis. Librarij enim primò describebant libros, qui deinde tradebantur emendatoribus. Isti verò frequenter bonam lectionem vertebant in malam per speciem emendationis.

ERANT CERTANTES] Lactantius in loco paulò antè laudato: *Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quàm victoriam excogitant.*

FAMILIAM CÆSARIS] id est, Galerij. Hanc itaque placuit excipere, tamquam abominabile esset ullum scelus adversùs Diocletianum suspicari de familia Cæsaris, & ne auctores incendij, qui ex domo ejus prodierant, detegerentur, si locus inquisitioni datus fuisset.

PROFECTIONE PARATA] Bellum ea tempestate nullum, quod sciam. Sed ita contumaciter & superbè egit homo væsani ac ferocis animi ut hoc agendi modo Diocletianum vehementiùs impelleret ad excidium Christianæ religionis, quem videbat molliter hactenus tanto operi incumbere.

CAP. XV. FILIAM VALERIAM] nuptam Galerio Maximiano Cæsari, quæ miseram vitam traduxit post mortem mariti, & miserabili morte cum matre periit sub imperio Licinij, ut docet Lactantius in fine hujus operis. Ex qua narratione pessumdatur omnino conjectura illustrissimi Cardinalis Baronij, qui ad annum CCXCIV. scribit filiam Diocletiani, quæ conjugio juncta fuit Galerio Maximiano, haud diù post nuptias fuisse superstitem, cùm nulla ejus memoria extet in antiquioribus monumentis, sed nec ex ea proles aliqua legatur esse suscepta. Addit deinde patrem, ut filiæ defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem ejus nomine institui atque cognominari voluisse; citatque in eam rem librum XIX. Ammiani Marcellini. Verùm id non dicit Marcellinus, sed tantùm eam Pannoniæ partem ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & institutam & ita cognominatam. Referam autem ipsa ejus verba. *Valeriam venit partem quondam Pannoniæ, sed ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & institutam & ita cognominatam.* Porrò nec institutam à Diocletiano nec cognominatam, sed à Galerio Maximiano, docet Aurelius Victor in libro de Cæsaribus : *Provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit.* His ita constitutis, tamquam certa essent, addit Baronius Diocletianum, cùm Valeriæ morte resoluta esset affinitas quæ inter eum & Galerium contracta erat, quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum conjungere festinasse, Susannam nimirum filiam Gabinij germani Caij Papæ; qui ambo Diocletiano sanguine conjuncti erant, utpote nati ex fratre ejusdem Diocletiani, ut patet ex actis ejusdem sanctæ Susannæ. Verùm tota hæc historia ruit ruente fundamento super quo posita fuerat, id est, morte Valeriæ, quam diù supervixisse Galerio constat. Adeo autem periculosi sunt magnorum virorum errores ut hic Baronij lapsus plerosque viros doctos

secum traxerit, Odoricum Raynaldum, Ioannem Bollandum, alios.

CONIVGEM PRISCAM] quæ postea, vivo adhuc marito, in exilium cum filia Valeria projecta est à Maximino, & demum jussu Licinij capite plexa, ut docebit Lactantius in fine hujus operis. Sed heic se offert ingens difficultas. Nam in vetustis actis sanctæ Susannæ virginis, quæ martyrium Romæ consummasse scribitur sub imperio Diocletiani, mentio est Serenæ Augustæ uxoris ejusdem Principis, quæ occultè Christiana erat, & sancta dicitur in vetustis martyrologiis, ubi dies natalis ejus consignatus est ad diem XVII. Kalendas Septembres. Gravis sanè difficultas, si de actorum illorum veritate & auctoritate constaret. Sed cùm illa multa eaque magna suppositionis indicia habeant, tum ex hoc sanè capite falsa esse probantur quòd Serenam uxorem Diocletiani fuisse volunt. Quippe ostensurus sum Diocletiano nullam aliam toto principatus sui tempore uxorem fuisse quàm Priscam. Etenim si ea mater Valeriæ fuit, ut sanè fuit, necesse est eam Diocletiano nupsisse antequam is fieret Imperator, id est, ante annum Christi CCLXXXIV. cùm Valeria Galerio Maximiano juncta matrimonio sit anno CCXCIII. ætatis suæ ut minimùm duodecimo. Vixisse autem tum Priscam matrem ejus hinc certò colligitur quòd diù postea superstes fuit & anno tantùm CCCXIII. extincta est post victoriam quam Licinius reportavit de Maximino. Hæc monumenta non senserat illustrissimus annalium ecclesiasticorum conditor Cardinalis Baronius, & tamen suspicabatur futuros qui eam de Serena Augusta historiam in dubium revocarent, quòd nulla penitùs de ea mentio alibi habeatur, neque apud scriptores ethnicos, neque in antiquis inscriptionibus; ac tamquam ei difficillimæ quæstioni finem imposuisset, interrogat litteratulos, si his displiceat nomen Serenæ Augustæ, ut dicant quonam alio nomine Diocletiani conjux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur, & cùm non invenerint, non faciant de nomine controversiam. Satisfactum est igitur cumulatissimè interrogationi ejus. Rejecta itaque supposititia illa Diocletiani uxore, videamus an Eleutheria, quam vir clarissimus Hadrianus Valesius in defensione disceptationis suæ de Basilicis uxorem Diocletiani fuisse collegit ex vita Vigilij Papæ quæ extat in gestis pontificalibus quæ vulgò tribuuntur Anastasio Bibliothecario, verè Diocletiani uxor fuerit. Venerat Vigilius Constantinopolim ex præcepto Iustiniani & Theodoræ; & cùm ad ea cogeretur quæ facere nolebat, ait: *Vt*

video, non me fecerunt venire ad se Iustinianus & Theodora piissimi Principes; sed hodie scio quòd Diocletianum & Eleutheriam inveni. Ex hoc itaque loco collegit vir ille clarissimus Eleutheriam Diocletiani uxorem fuisse, quòd certum sit illic comparationem institui inter Iustinianum & Diocletianum, & inter Theodoram Iustiniani conjugem & Eleutheriam, propterea Diocletiani uxorem. Verùm ex argumentis quæ adversùs Serenam allata sunt efficitur etiam Eleutheriam, sive Lutheriam, ut est in vetustissimo codice MS. 417. bibliothecæ Colbertinæ, aut Leuterem, quo modo scriptum legitur in codice 733. bibliothecæ regiæ, non fuisse uxorem Diocletiani, cùm certum sit, ut antea dixi, nullam aliam eum uxorem habuisse quàm Priscam toto principatus sui tempore. Erravit ergo Vigilius in historia, aut corruptus in hoc loco est gestorum pontificalium liber. Sanè in codice 736. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ ita habetur: *Sed hodie scio quòd Diocletianum & Decium vel Leutherium inveni.* Iam ergo femina illa in virum mutata est. Porrò ex his quæ hactenus dicta sunt de Serena & Eleutheria facilè colligere quivis potest quæ fides adhibenda sit historiæ sancti Georgij martyris, in qua scriptum est Alexandram Imperatricem Diocletiani conjugem, viso quodam insigni miraculo in persona martyris perpetrato, veritatem agnovisse, id est, Christi fidem esse amplexam. Hæc nimirum est Alexandra, Diocletiani conjux, mater conjugis Maximiani; ut refertur in vita ejusdem Georgij, cujus fragmentum in tomo tertio Aprilis pag. 103. edidit Godefridus Henschenius. Eandem defunctam, ab inferis oratione sola ejusdem Georgij revocatam tradit Nicephorus Callistus lib. VII. cap. XV.

EVNVCHI NECATI] & inter hos Petrus, cujus martyrium describit Eusebius lib. VIII. cap. VI. Item Indes, ut produnt acta martyrij ejus.

AD EXVSTIONEM RAPTI] Confirmat ista Eusebius ibidem, scribens imperiali jussu quotquot Nicomediæ erant Dei cultores, acervatim cum suis familiis, alios gladio, alios flammis consumptos periisse.

MARI MERGEBANTVR] Eusebius ibidem: *Alios quoque innumerabiles vinctos & scaphis impositos carnifices in profundum mare projecere.* Idem in libro de martyribus Palæstinæ cap. VI. narrans martyrium Agapij, ait illum appensis ad pedes ejus lapidibus medio mari submersum esse.

HOMO NON ADEO CLEMENS] Herculium Maximianum fuisse hominem asperum, crudelem, ac in-

humanum tradunt vetusti scriptores. Eutropius lib. IX. *Herculius autem propalam ferus, & incivilis ingenij, asperitatem suam etiam vultus horrore significans.* Item lib. X. *Vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitùs expers.* Etiam Diocletianus, qui summum imperium cum eo communicaverat, ejus asperitatem reprehendere solitus erat, ut docet Flavius Vopiscus in D. Aureliano. Vide etiam Iulianum Imperatorem in libro de Cæsaribus.

PARIETES DIRVI PASSVS EST] Contrà Eusebius lib. VIII. cap. XIII. apertè scribit Constantium neque Ecclesiarum ædes (sive conventicula, ut heic dicit Lactantius, itemque Ruffinus in versione hujus loci Eusebiani) subvertisse, nec quicquam adversùs nostros esse molitum.

VERVM DEI TEMPLVM] id est, hominem Christianum. Lactantius lib. V. institut. cap. VIII. *cujus templum est, non lapides, aut lutum, sed homo ipse, qui figuram Dei gestat. quod templum non auro & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur.* Idem lib. VI. cap. XXV. *Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt; in suo cuique consecrandus est pectore.* Et infrà: *Secum denique habeat Deum semper in corde suo consecratum, quoniam ipse est Dei templum.* Idem lib. II. cap. II. & lib. VI. cap. X. ait hominem esse Dei simulacrum.

PRÆTER GALLIAS] Libellus precum Constantino M. oblatus à Donatistis apud Optatum Milevitanum lib. I. *Rogamus te, ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia, petimus ut è Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua,* Galliæ ergo fuerunt immunes ab hac persecutione, quòd illic imperaret Constantius benignissimus Imperator, & qui, ut Eusebius tradit, persecutionis adversùm nos concitatæ expers omnino fuit, & cultores Dei sub ipsius imperio degentes ab omni noxa & injuria immunes servavit, ac neque Ecclesiarum ædificia subvertit, nec novi quicquam adversùs nos statuit. Quin & Eutropius in initio libri decimi dicere videtur Gallicum sanguinem non fuisse fusum in hac persecutione. Loquens enim de Constantio, ita ait: *Hic non modò amabilis, sed etiam venerabilis Gallis fuit, præcipuè quòd Diocletiani suspectam prudentiam & Maximiani sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant.* Sed adversùs hæc reclamant historiæ nonnullarum Galliæ civitatum ac CAP. XVI.

provinciarum, quæ suos martyres hac persecutione ad Deum translatos prædicant, ita ut vix ulla civitas fuerit intra Gallias quæ tum non dicatur maduisse sanguine Christianorum. Ista sic conciliari possunt, initio quidem Gallias à persecutione non fuisse prorsùs immunes, occupato videlicet Constantio contra barbaros, (ut illustrissimus Episcopus Montpelliensis Franciscus Bosquetus ait in libro quarto historiarum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 11.) ac pro consuetudine & solito gentilium furore multos Christianos in Galliis cæsos fuisse. Confirmat hæc Eusebius in fine libri de martyribus Palæstinæ. *Nam quæ ulteriùs sitæ sunt regiones*, inquit, *Italia videlicet tota & Sicilia, Gallia quoque, & quæcunque ad occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania, & Africa, cùm vix duobus primis persecutionis annis integris furerem belli expertæ essent, divini numinis præsentissimum auxilium & pacem brevi sunt consecutæ.*

TRES BESTIÆ] id est, Diocletianus, Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus. Perstat itaque Lactantius in sententia, & Constantium Galliis imperantem non ponit in numero persecutorum.

FLACCINVM PRÆFECTVM] Bithyniæ, in qua præsidatum gessit Hierocles antequam præfecturam Ægypti, qua eum ornatum fuisse in annotationibus ad Eusebium pag. 177. docet Henricus Valesius, administraret. Crudelem autem fuisse Flaccinum hinc colligitur quòd eum Lactantius vocat non pusillum homicidam. Eadem tempestate vixit Flavianus Præfectus Ægypti, cujus mentio extat in Menologio Græcorum ad diem octavam Iulij, quod editum est ab Henrico Canisio in tomo secundo lectionis antiquæ.

HIEROCLEM] Hic locus confirmat conjecturam illustrissimi Cardinalis Baronij, qui sequentia Lactantij verba, quæ nos descripturi sumus ex libro quinto divinarum institutionum, existimaverat esse intelligenda de Hierocle. Fuit autem Hierocles Præses Bithyniæ, uti jam dictum est, & multam carnificinam de Christianis exercuit.

AVCTOR ET CONSILIARIVS] Lactantius lib. v. institut. cap. 11. *Alius eandem materiam mordaciùs scripsit, qui erat tum è numero judicum, & qui auctor in primis faciendæ persecutionis fuit.*

PRISCILLIANVM] Bithyniæ Præsidem, ut legitur in Menologio Græcorum ad diem XII. mensis Iunij. *Eodem die sanctæ martyris Antoninæ. Apud Niceam Bithyniæ, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Priscilliano Præside, Antonina in Christianæ fidei confessione constanter perseverans*

demum gladio percussa, martyrio coronata est. Eadem habentur in Martyrologio Romano.

ZABVLVM] id est, diabolum. Sic apud Commodianum lib. II. cap. XVII. *cuncta de zabuli pompa.* & cap. XVIII. *aut tota zabuli pompa.* Et lib. I. cap. XXXV. *Zabolicam legem omnes omnino vitate.* Rursum lib. II. cap. XXXI. *Germine zabolico ut faciatis turbe pronate.* Referimus autem hæc loca juxta fidem veteris codicis. Nam editio diversa est. Nihil vulgatius quàm zabuli vox in antiquis libris. Eadem ratione scribebant *Zaritorum* pro *Diaritorum*, ut in collatione prima Carthaginensi cap. 139. Quod cùm non animadverteret Papirius Massonus, heic pro *Hipponensium Zaritorum*, quæ est vera lectio, scripsit *Hyppensis Zaritorensis.* quam lectionem retinuit etiam Petrus Pithœus in sua editione collationis Carthaginensis. Quare in veteri Notitia Africæ quam Sirmondus edidit, & post eum Chiffletius, pro eo quod illic legitur, *Marianus Hippzaritensis,* scribendum est *Marianus Hipponensium Zaritorum,* id est, Diaritorum, sive Diarrhytorum, ut apud Plinium lib. v. hist. naturalis cap. IV. Sic etiam apud Commodianum Zacones pro Diaconibus.

TRIVMPHASTI] Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVI. *Postremò etiam mortem suscipere non recusavit, ut homo illo duce subactam & catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet.*

ADVERSARIVM VICISTI] Cyprianus epist. VII. ad Rogatianum & ceteros confessores: *Quantum dolemus ex illis quos tempestas inimica prostravit, tantum lætamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem caritatem, ut qui adversarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti & perseveranti virtute teneatis.*

IOCVNDVM SPECTACVLVM] Cyprianus epist. IX. *O quale illud fuit spectaculum Domino, quàm sublime, quàm magnum, quàm Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum!*

ELEPHANTOS] Nam & elephantos ad currum junxerunt antiqui, ut patet ex Lampridio in vita Antonini Heliogabali & ex aliis locis. Auctor est Flavius Vopiscus in triumpho quem D. Aurelianus egit de Zenobia & Tetrico, elephantos viginti præcessisse. Ioannes Abbas Biclarensis ad annum IX. Iustini Imperatoris adnotat Iustinianum Ducem Romanæ militiæ XXIV. elephantos Constantinopolim direxisse pro triumpho qui de Persis devictis agendus erat. Vide Sirmondum in Notis ad panegyricum Anthemij apud

Sidonium, & Bulengerum in libro de triumphis cap. XXI.

DOMINATORES DOMINANTVR] passiva significatione, ut apud Ciceronem in libro primo officiorum: *O domus antiqua, heu quàm dispare dominare domino!* Virgilius in secundo Æneidos: *multos dominata per annos.*

DESIIT PROVOCARE] Emissus est Donatus è carcere extremis Galerij Maximiani temporibus, ut legitur infrà cap. XXXV.

CAP. XVII. FELICITAS AB EO RECESS.] nimirum à Diocletiano, quem per totos viginti annos imperij fuisse felicem produnt antiqui historiarum scriptores. Neque opus est referre testimonia singulorum Sufficiet unicus auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti in nuptiis Faustæ. Sic ergo ille. *Sed profectò exegit hoc ipsa varietas & natura fortunæ, cui nihil mutare licuerat dum vos imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur.*

PERREXIT ROMAM] Diocletianus, duabus de causis, ut vicennalia celebraret, & triumphum ageret de Narseo Rege Persarum ante aliquot annos victo. Hoc enim anno actus est triumphus, non autem anno decimo octavo imperij, ut putavit Henricus Valesius, qui propterea cum triumpho conjunxit vilitatem annonæ quam Imperatores jussisse docent Fasti Idatiani, tamquam id ab eis post triumphum constitutum esset in gratiam populi Romani. Rectè igitur Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij adnotat triumphum à Diocletiano & Maximiano actum anno vicesimo imperij, aliquot mensibus antequàm purpuram deponerent. Sed postremum illud falsum. Nam retinuerunt adhuc imperium ferè per sesquiannum, ut posteà videbimus. Porrò triumphum actum esse tempore vicennalium, quod nobis incumbit probandum, patet ex capite decimo Lactantij: ubi, post narratam victoriam de Persis, ait Diocletianum in orientem profectum, & annum illic egisse qui persecutionem antecessit, deinde hyematum venisse in Bithyniam, ac tum quidem captum consilium destruendarum Ecclesiarum, & mense Februario sequenti cœptam persecutionem. Igitur certum est Diocletianum non fuisse Romæ anno XVIII. imperij sui, quo eum triumphasse contendit Valesius secutus Eusebium, quem propterea reprehendit Iosephus Scaliger. Sanè, quod negari non potest, in vulgatis Chronici Eusebiani editionibus & in plerisque antiquis exemplaribus triumphus ille notatur in anno XVIII. Diocletiani. Verùm in vetustissimo & optimo co-

dice Colbertino, & in aliis antiquis quos Pontacus vidit, ponitur in anno XIX. sed præpostero ordine, cùm antecedat historiam persecutionis. Quæ fuit occasio errandi clarissimo Valesio. Probabile autem est dilatum tamdiu à Diocletiano triumphum de Persis ut eum conjungeret cum festis vicennalium & ea sic faceret clariora atque celebriora. Nunc referenda sunt Eusebij verba. *Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei conjuge, sororibus, liberis, & omni præda qua Parthos spoliaverant.* Eadem habet Eutropius in fine libri noni, ubi ait Diocletianum & Herculium deposuisse purpuram *post triumphum inclytum quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei conjuges sororesque & liberi ante currum ducti sunt.* Sed emendandus heic est Eutropius ubi de conjugibus Narsei ante currum ductis loquitur. Quippe Sextus Rufus in duobus locis & Eusebius in Chronico, qui accepisse videtur ex Eutropio, de una tantùm Narsei uxore loquuntur. Igitur Diocletianus in oriente fuit anno CCCII. eoque exeunte venit Nicomediam; ineunte anno CCCIII. cœpta persecutione, Romam postea profectus est ut triumphum ageret & vicennalia celebraret.

VICENNALIVM DIEM] Hæc agenda erant ineunte anno vigesimo imperij; & non uno solùm die agebantur, sed continuatis diebus, ut patet etiam ex his quæ de Romano martyre narrat Eusebius in libro de martyribus Palæstinæ. Ad ista Diocletiani quod attinet, certum est ea Romæ celebrata fuisse per mensem integrum, cùm Lactantius dicat illum iis solennibus celebratis, impatientem & ægrum animi prorupisse ex urbe, & tredecim dies tolerare non potuisse ut Romæ potiùs quàm Ravennæ procederet Consul. Porrò Diocletianum eo ipso anno vicennalia celebrasse quo cœpta est persecutio adversùs Christianos, vel hic locus evincit. Celebrata autem fuerunt eo anno quo ipse consulatum octavum agebat. Nam prorupit ex urbe paucis diebus ante Kalendas Ianuarias, quibus nonus consulatus illi deferebatur.

XII. KAL. DECEMB.] Quoniam imperium Diocletiani fundus est istius historiæ, res postulare videtur ut ejus initia brevi sermone constituamus, ut finis tandem imponatur dissidiis quæ ex ea occasione emerserunt inter viros doctos. Ac de anno sanè quo is ad remp. administrandam accessit non arbitror ambigi nunc posse, cùm eum fuisse annum Christi CCLXXXIV. luculenter probaverit in libro XI. de doctrina temporum cap. XXX. vir istarum & mul-

tarum aliarum rerum peritissimus Dionysius Petavius. Denique si persecutio adversùs Ecclesiam commota est anno Christi CCCIII. ut certum faciunt plurima loca istius Lactantianæ lucubrationis, quæ nos suprà retulimus, commota autem sit anno imperij Diocletiani XIX. ut omnes consentiunt, negari non potest principatum ejus incipere ab anno CCLXXXIV. exeunte. Major itaque difficultas est in constituendo die quo factus est Imperator. Ante Petavium persuasum erat hominibus eruditis illum Palilibus ipsis id est XI. Kalendas Maias à militibus Imperatorem esse sublatum. quam sententiam, ut falsam, meritò refellit idem vir eruditissimus, & addit. *Resipiscant itaque deinceps Chronologi omnes, & hanc de primo Diocletianei imperij die* πρόλη*ψιν tam levi imò nullo argumento subnixam dediscant ac meliùs commutent. Gratiæ verò Alexandrino illi Chronico debentur, cujus auctor ex actis publicis diem nobis designat quo primùm Chalcedone Diocletianus Imperator est appellatus, nimirum* XV. *Kal. Octobres.* Si Petavius nunc viveret, certus sum eum, ut erat veri amantissimus, gloriam constitutæ illius diei, quam falsò tribuit auctori Chronici Alexandrini, redditurum Lactantio, & XV. Kal. Octobres mutaturum in XII. Kal. Decembres. quem diem Lactantius docet fuisse natalem imperij Diocletiani, quo vicennalia Romæ celebraturus erat. Atque eo modo solvitur difficultas quam Valesius in annotationibus ad Eusebium pag. 175. indicavit, nimirum ex eo quòd Eusebius dicit Romanum die XVII. Novembris martyrium consummasse, cùm Diocletiani vicennalia agerentur, cùm si illud verum est, sequi videatur primum diem imperij Diocletiani incidere in mensem Novembrem, non autem in Septembrem ut tradit auctor Chronici Alexandrini. Incidit itaque in mensem Novembrem, sed posteriùs die decima septima ejusdem mensis.

LIBERT. P. R. FERRE N POTERAT] immoderatam videlicet, eò acriorem quòd intermissa erat. Magnam enimverò oportuit fuisse populi Romani petulantiam & loquendi libertatem, quæ Diocletianum, satis bonum alioqui Principem, si persecutionem adversùs nostros motam excipias, coëgerunt urbem relinquere sic præcipitanter. Eadem licentia Constantinum etiam movit ut Romam relinqueret & sedem imperij aliò transferret, ut in libro secundo historiarum suarum narrat Zosimus. Quamquam alia causa transferendi imperij habetur in Donatione Constantini.

PRORVPIT EX VRBE] XIII. Kalendas Ianuarij

post terminata vicennalia. Nam vicennalium festa duraverunt per mensem integrum, ut jam diximus.

NONVS CONSVLATVS] Hæc etiam evincunt persecutionem excitatam esse anno Christi CCCIII. cùm nonum consulatum Diocletiano destinatum fuisse dicat ad Kalendas Ianuarias quæ proximæ post commotam persecutionem fuerunt. Nonus enim consulatus Diocletiani incidit in annum Christi CCCIV.

DEFEREBATVR] à senatu nimirum. Sed ista explicanda sunt. Nam certum est nominationem Consulum fuisse prorsùs in potestate Imperatorum. Itaque senatus non designabat quidem Consules, sed eos declarabat, eis insignia consulatus tradebat, & sic quodam modo consulatum deferre ac tribuere videbatur. Ita nos docet Valerianus Imp. in oratione ad Aurelianum, qui postea fuit Imperator, apud Flavium Vopiscum : *Nam te Consulem hodie designo, scripturus ad senatum ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à senatu, quando fit Consul, accipere.* Itaque Diocletianus sibi consulatum destinaverat in annum sequentem ; & si mansisset Romæ, ejus insignia pro more Consulum accepisset à senatu. Sed tredecim dies tolerare non potuit ut sumeret, propter nimiam populi Romani licentiam.

RAVENNÆ] Discedens igitur Roma Diocletianus profectus est Ravennam, quà rectum iter est in Illyricum & Bithyniam.

PROCEDERET CONSVL] Ælius Lampridius in Heliogabalo : *Denique Kal. Ianuariis, quum simul tum designati essent Consules, noluit cum consobrino procedere.* Fasti Idatiani Diocletiano II. & Aristobulo : *His Coss. occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo Consul processerat.* Chronicon Alexandrinum pag. 641. *Diocletianus Imperator* XV. *Kalendas Octobr. Chalcedone renuntiatus,* V. *Kalendas Octobres Nicomediam purpuratus intravit, & Kalendis Ianuariis Consul processit.* Antiquorum Consulum processio, ut ego quidem arbitror, & ut sunt omnia ferme initia, modesta erat & simplex. Postea vanitas & ambitio multa addidit, quæ dein omnem modum excessere. Hinc illa querela Flavij Vopisci in D. Aureliano : *Vidimus proximè consulatum Furij Placidi tanto ambitu in circo editum ut non præmia dari aurigis sed patrimonia viderentur, quum darentur tunicæ subsericæ, lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim ut jam divitiarum sit non hominum consulatus : quia utique si*

virtutibus defertur, editorem spoliare non debet. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt. Profusa autem plurimorum liberalitas in editione consulatus varias extorsit Principum leges, quibus modum ponerent immensitati donorum, ut colligitur ex Novella CV. Iustiniani, qui processiones Consulum enumerat per annum septem, & statuit quomodo illæ celebrandæ sint. De munificentia ejusdem Iustiniani in editione primi consulatus sui vide Marcellinum Comitem.

PROFECTVS HYEME] Henricus Valesius in Notis ad Eusebium pag. 168. disputans adversùs Iosephum Scaligerum, qui contendit Diocletiani triumphum actum esse Romæ anno imperij ejus vigesimo, aliquot mensibus antequam purpuram deponeret, adversùs eum inquam disputans Valesius ait istam opinionem ferri non posse, quòd ea sequatur Diocletianum hiberno tempore triumphasse, & media adhuc hyeme ab urbe Roma profectum Nicomediam venisse. *Quorum neutrum probabile est*, inquit, *cùm nec triumphi per hiemem agi solerent ab Imperatoribus Romanis, nec Diocletiani ætas ac valetudo tam longi itineris laborem hibernis mensibus sustinere valuerit.* Hæc tamen, quæ absurda visa sunt viro clarissimo, vera sunt, & ea pro veris agnovisset ipse si hanc Lactantij lucubrationem vidisset. Nam & certum est triumphum actum eodem tempore quo vicennalia, & Diocletianum Roma profectum hyeme, sæviente frigore, & dein Nicomediam venisse, non quidem ipsa hyeme, sed post æstatem sequentem. Neque verum est, quod paulò pòst subdit idem Valesius, morbum illum quo Diocletianus de statu mentis paululùm deturbatus est, primùm Nicomediæ eum corripuisse paulò post excitatam ab eo persecutionem. Neque id dicit Constantinus. Is morbus eum corripuit post triumphum & vicennalia, cùm in itinere esset, ut heic scribit Lactantius.

RIPÆ STRIGÆ] Aut mendum cubat in hoc loco, aut ripæ strigæ nomine intelligitur ora Propontidis circa Nicomediam.

CIRCVM DEDICARET] apud Nicomediam, quam vir ædificandi cupidissimus urbi Romæ coæquare studebat.

ANNO P. V. REPLETO] id est, ut ego arbitror, XII. Kalendas Decembres. Sic enim postulat sensus. Sanè postea Lactantius cum aliquo intervallo memorat Idus ejusdem mensis. Non deposuit ergo purpuram Diocletianus anno Christi CCCIV. ut placuit viris eruditissimis, sed altero post actum triumphum & celebrata vicennalia, id est,

anno Christi trecentesimo quinto. Meliùs igitur Scaliger, qui in animadversionibus ad Chronicon Eusebij ait Diocletianum deposuisse purpuram aliquanto tardiùs quàm vulgò censent viri docti, eo inter cetera argumento quòd certum sit Diocletianum gessisse decimum consulatum, & dici non possit eum fuisse Consulem post depositam purpuram. Nam Cassiodorus ait Diocletianum & Maximianum deposuisse purpuram eo anno quo Diocletianus decimum & Maximianus septimum consulatum agebant. Quod etiam legitur in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ litteris uncialibus scripto, qui inscriptus est *Chronica Georgij Ambianensis Episcopi*. Quamquam, ut verum fatear, decimus ille Diocletiani consulatus mihi multùm suspectus est, & valde huc inclino ut existimem conflatum esse per errorem ex illis verbis Fastorum, *Item Decies & Maximiano septimum.* quæ referenda sunt ad Maximianum Herculium & Galerium Maximianum. Ista tamen non impediunt quin abdicatio facta dicatur anno trecentesimo quinto, præsertim cùm res eadem aliis adhuc testimoniis probetur. Nam cùm Zosimus scribat à consulatu Chilonis & Libonis, quo Severus ludos seculares exhibuit, centum & unum annos effluxisse usque ad eum quo Diocletianus & Maximianus abdicaverunt, quem falsò notat incidere in Diocletiani IX. & Maximiani VIII. consulatum, & scriptorum omnium consensu ludi illi seculares anno Christi CCIV. celebrati fuerint, luce clarius est rem quæ centesimo primo pòst anno gesta est, anno Christi CCCV. evenisse. Quod adeo verum est ut quum Ioannes Fridericus Hervvartus in capite CCXXX. suæ chronologiæ retulisset hunc Zosimi locum, in eaque sententia esset ut Diocletianum abdicasse anno CCCIV. censeret, centum & unum annos qui à ludis Severi usque ad annum abdicationis fluxerant sic interpretari coactus est ut utrumque extremum eo numero includi assereret, CCIV. nimirum & CCCIV. Videbat enim quòd si inciperet ab anno CCV. ut par erat, numerus annorum centum & unius non congrueret cum anno abdicationis imperij, quam, ut dixi, putavit anno CCCIV. evenisse. At si sciviſſet eam sequenti tantùm anno peractam, non redactus fuisset in has angustias. Porrò abdicationem contigisse anno quo diximus probatur etiam ex capite XLVI. Lactantij, in quo ille scribit annum octavum nuncupationis Maximini cognomento Dazæ completum fuisse Kalendis Maiis anni quo ille pugnam commisit cum Licinio: quæ cùm pugnata fuerit anno CCCXIII. consequens est Diocletianum abdicasse & Ma-

ximinum fuisse nuncupatum Cæsarem anno CCCV. Kalendis Maiis.

CELARI MORTEM] ut fieri olim solebat post mortem Principum. Nam id de Augusto narrat Tacitus in libro primo annalium, de Constantino Ruffinus lib. I. cap. XI. historiæ ecclesiasticæ. Possunt inveniri etiam alia exempla. Sed ista tanti non sunt.

KAL. MARTIIS] anni sequentis, id est, anni trecentesimi quinti. Nam cùm certum sit Diocletianum vicennalia celebravisse Romæ anno CCCIII. & hinc digressum medio Decembri, Nicomediam pervenisse post æstatem anni CCCIV. & circum dedicavisse anno post vicennalia repleto, id est, mense Novembri, deinde ita ægrotasse ut mortuus crederetur Idibus Decembribus, manifestum est Kalendas Martias quæ post Idus illas subsecutæ sunt incidisse in annum CCCV. adeoque adhuc eo tempore Diocletianum fuisse Imperatorem. Sed paulò pòst eum visuri sumus cum Galerio deliberantem de abdicando imperio.

DEMENS FACTVS EST] Eusebius lib. VIII. cap. XIII. rectè hunc Diocletiani morbum, cujus vi demotus est de mentis suæ statu, accidisse ait post acta vicennalia & post motam adversùs nostros persecutionem. Rectè quidem. Sed idem tamen in eo castigandus est quòd vicennalia ab eo expleta ait antè quàm bellum inferret Christianis, cùm ex Lactantio teste oculato constet motam primò persecutionem, vicennalia deinde acta exeunte anno. Meminit autem amentiæ Diocletiani & Chrysostomus oratione in sanctum Babylam martyrem.

CAP. XVIII. EXEMPLVM NERVÆ] qui senio gravis, ac ideo se contemni videns, Trajanum adoptavit, eodemque die in senatu Cæsarem designavit, ut Xiphilinus tradit ex Dione. Eandem causam adoptionis affert Plinius in panegyrico: *O novum atque inauditum ad principatum iter! Non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena utilitas, alienus timor Principem fecit.* Et infrà: *Vt dare posset imperium Imperator qui reverentiam amiserat, auctoritate ejus effectum est cui dabatur. Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator & consors tribunitiæ potestatis.*

INDECENS ESSE] Heic incipit dialogus inter Diocletianum & Galerium, isto socerum urgente ad deponendum imperium, altero repugnante. Quod valde animadvertendum est. Hactenus enim existimavimus spontaneam fuisse Diocletiani abdicationem & longo tempore meditatam. quod certè evidentissimè colligebatur ex vetustis auctoribus,

qui vulgatas tantùm historias scribebant, arcana rerum non noverant. At Lactantius, qui Nicomediam à Diocletiano fuerat accitus, qui frequens erat in palatio, meliùs totam hanc historiam scire potuit quàm illi qui postea animum ad scribendas historias appulerunt.

INHIAVERAT] In veteri codice legitur *invenerat*.

DISPOSITIONEM] formam constituendæ seu regendæ reipublicæ. Recepta tum erat ea vox. Epistola D. Aureliani ad Flavium Arabianum apud Flavium Vopiscum: *Nunc tuum est officium, Arabiane jucundissime, elaborare ne mea dispositiones in irritum veniant.* Valeriani epistola ad Ragonium Clarum apud Trebellium Pollionem in triginta tyrannis cap. XVII. *Dispositionem Balistæ prosequere. Hac in forma remp. vides.* Vide Lactantium lib. II. institut. cap. XVI. & lib. III. cap. VII. & X. & Iacobum Gothofredum ad titulum Codicis Theodos. *De proximis.*

DISPOSIT. CONSERVARI] ut quia ipse primus orbem Romanum in quatuor partes divisisset, quarum duas à duobus Augustis, reliquas duas à duobus Cæsaribus in spem imperij allectis teneri instituerat, jam & ipse hanc dispositionem non immutans, sed custodiens, cederet imperio cum sene Maximiano, & se Constantiumque, qui tum Cæsares erant, Augustos diceret, in istorum verò loco duos novos Cæsares faceret. Daret exemplum posteris quo modo conservari oporteret immensum reipublicæ corpus.

INTER DVOS CONCORDIAM] Proponebat tacitè Galerius exemplum Diocletiani & Maximiani Herculij, qui per tot annos mira concordia imperium tenuerant, ut ostenderet rem non esse difficilem. Re autem vera res est difficillima concordia, præsertim ubi summa potentia est; rectèque Tacitus in libro quarto annalium scribit potentiam & concordiam eodem loci esse vix posse. Idem lib. XIII. loquens de Seneca & Burrho rectoribus juventæ Neronis Imperatoris adnotat, tamquam rem difficilem & extraordinariam, eos pari in societate potentiæ fuisse concordes. Denique discordia quæ postea fuit inter Constantinum & Licinium, qui Romanum imperium æqua potestate tenebant, probavit concordiam difficilè servari inter duos Imperatores.

MINOR ET EXTREMVS] Infrà cap. XX. *Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat.* Hæc loca ostendunt priorem in adoptione locum datum esse Constantio, haud dubiè propter nobilitatem generis, quod referebat ad Claudium Imperatorem. Sed de hoc postea.

ITA PLANE] Familiaris Lactantio phrasis. Lib. I. divinar. institut. cap. XI. *Ita planè. Nam cùm idem neque virginibus neque maritatis unquam pepercisset.* Et lib. II. cap. II. *Ita planè: quemadmodum vulgus existimat mortuorum animas circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrare.*

ILLOR. FILIOS NVNCVPARI] Æquum sanè ac rationi consentaneum erat quod proponebat Diocletianus, ut filius Herculij Maxentius & Constantij filius Constantinus fierent Cæsares, ne Principum filij privati viverent. Sed contrà obtinuit pervicax Galerius, & alios Cæsares fecit, præsente etiam Constantino.

NEQVE PATREM] Eadem de Maxentio referuntur in Epitome Victoris. *Is Maximianus* (Leg. *Maxentius*, ut patet etiam ex libro XI. historiæ miscellæ) *carus nulli unquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio.* Erat ille, ut vulgò scribitur, Herculij Maximiani filius. Sed tamen paulò antè in eadem Epitome ista leguntur. *Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium & Faustam conjugem Constantini, cujus patri Constantio tradiderat Theodoram privignam. Sed Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere marem animum laborantis auspicio gratissimi partus cœpti à puero.* Hanc enim ego lectionem meritò, ut opinor, reliquis præfero. Historiam hanc confirmat incerti panegyricus Constantino dictus post victum Maxentium: *Ut enim omittam illa quæ non decet comparari, quòd erat ille Maximiani suppositus, tu Constantij pij filius; ille despectissimæ pravitatis,* (Leg. *parvitatis*) *detortis solutisque membris, nomine ipso abusiva appellatione mutilato, tu, quod sufficit dicere, tantus ac talis.*

TEMVLENTVM, EBRIOSVM] Fragmentum de Constantio Chloro & Constantino: *Severus Cæsar ignobilis & moribus & natalibus, ebriosus, & hoc Galerio amicus.* Censuit enim auctor hujus fragmenti Galerium fuisse ebriosum, quem tamen alibi non facilè reperias temulentiæ accusatum. Sic ergo ille: *Galerius sic ebriosus fuit ut cùm juberet temulentus ea quæ facienda non essent, à Præfecto admonitus constituerit ne jussu ejus aliquis post prandium faceret.* Confudit haud dubiè auctor fragmenti Galerium Maximianum cum Galerio Maximino, quem narrat Eusebius lib. VIII. cap. XIV. temulentiæ & crapulæ eò usque obnoxium fuisse ut in compotationibus insaniret & fureret, & ea imperaret ebrius quorum postridie sobrium pœnitebat. Et ita quidem verba Græca Eusebij verterunt Christophorsonus & Valesius. At Ruffinus alium sensum his dedit, dicens Maximinum

Maximinum adeo temulentum fuisse ut insanus & mente captus vini furore putaretur, & ea ebrius fieri juberet quæ die postera se jussisse nesciret. De eodem hæc habentur in Epitome Victoris, quæ magis congruunt cum interpretatione virorum clarissimorum. *Vini*, inquit, *avidior: quo ebrius, quædam corrupta mente aspera jubebat, qui cùm pigeret factum, differri quæ præcepisset in tempus sobrium ac matutinum statuit.* Denique victus à Licinio, cùm Tarsum profectus esset, neque ullum speraret refugium, angore & metu confugit ad mortem quasi ad remedium malorum, & prius se cibo infersit ac vino ingurgitavit, ut dicet infrà Lactantius cap. XLIX.

EVM MISI AD MAXIMIANVM] Audax sanè nimiùm fuit Galerius, qui nondum consulto Diocletiano, Severum miserat ad Maximianum ut ab illo fieret Cæsar. Qui locus etiam ostendit quàm præceps & væsanus fuerit Galerius, & quàm parum libera ac spontanea Diocletiani abdicatio.

VT AB EO INDVATVR] purpura videlicet. quod erat insigne principalis fastigij. Itaque idem Severus ab Herculio postea victus ad Ravennam, *vestem & purpuram eidem à quo acceperat reddidit*, ut ait infrà Lactantius cap. XXVI.

OSTENDENS DAIAM] sive Dazam, filium sororis Galerij, ob hoc ipsum Galerium Maximinum dictum in adoptione. Epitome Victoris: *Galerius Maximinus sorore Armentarij progenitus, veroque nomine ante imperium Daza dictus.*

IVSSERAT MAXIMINVM] In veteri codice & heic & ferè semper legitur *Maximianum*, sueto Græcis Latinisque librariis errore ut Maximiani & Maximini nomina persæpe confundant. Quoniam verò certum est istum, non Maximianum, sed Maximinum fuisse vocatum, nos ubique emendavimus, ne qua lectorem difficultas remorari posset.

PROCEDITVR KAL. MAIIS] anno Christi CCCV. ut diximus. Mendum itaque est apud Zosimum & in Fastis Idatianis, ubi ista contigisse dicuntur Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conss. die Kal. Aprilis. Alij abdicationem Imperatorum ponunt in die XI. Kal. Maij, ipsis Palilibus; Labbeus Kalendis Augusti, nescio quo auctore. Sed nunc neque de anno neque de die disputare fas est post tam luculentam & accuratam abdicationis istius historiam quam nobis exhibet Lactantius. CAP. XIX.

CONSTANTINVM O. INTVEB.] Ex hoc loco &

ex pluribus aliis veterum scriptorum testimoniis probari potest Constantinum apud Diocletianum fuisse eo tempore quo ista agebantur. Quare necesse est mendum esse in fragmento de Constantio Chloro & Constantino pag. 472. ubi scriptum est Severum & Maximinum Cæsares factos, *Constantino nihil tale noscente*. Vbi legendum est *Constantio*, absque quo & abdicatio facta & Cæsares suffecti, ut docet Lactantius.

MAXIMIANVS IPSE] Galerius, cognomento Armentarius.

PVRPVRAM SVMPSERAT] Magni momenti sunt hæc verba, neque leviter prætereunda. Signant enim locum ubi Galerius Maximianus adoptatus est à Diocletiano, nimirum prope Nicomediam. Quippe altum de ea re silentium est apud antiquos historiarum scriptores, nisi quòd in Chronico Alexandrino scriptum est Maximianum Iovium & Constantium in consortium imperij adscitos esse Nicomediæ. Sigonius in libro primo de occidentali imperio putat id factum esse in Illyrico. Sed errare illum evincit hic locus Lactantij. Rursum heic adnotandum est, Diocletianum & Maximianum, sicut uno eodemque die imperium deposuerunt, prior ad Nicomediam, alter apud Mediolanum, ita uno eodemque die Cæsares adoptatos ab illis fuisse, Galerium quidem à Diocletiano ad Nicomediam, Constantium verò ab Herculio in Italia, ac fortean Mediolani.

REQVIEM PETERE] Hinc haud dubiè orta communis opinio, Diocletianum semet volentem ac spontaneum imperio exuisse propter senium & infirmam valetudinem, & id ab eo factum post diutinam deliberationem; ut colligunt, & rectè, viri docti ex veteri panegyrico qui Maximiano Herculio & Constantino dictus est post nuptias Constantini & Faustæ. Verùm Lactantius arcanum istius historiæ aperuit, quod se ignorare fassus est Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XVIII. ubi ait seniores Augustos *nescio quo pacto* imperio se abdicasse. Ruffinus lib. VIII. cap. XV. ait Diocletianum Augustum in id vanitatis atque amentiæ perveniisse quò depositis cum collega pariter Augusto regni insignibus, privati & plebeij post imperium viverent. At Constantinus in oratione ad sanctorum cœtum cap. XXV. (cui adstipulari videtur Eusebius lib. VIII. cap. XIII.) disertè affirmat Diocletianum ob mentis alienationem sponte se imperio abdicasse. quem Valesius in annotationibus suis refellit, & meritò. Sed errat idem Valesius in eo quòd ait consilium de abdicando imperio diù ante persecutionem

cepisse Diocletianum, tunc scilicet quum de Persis aliisque barbaris nationibus Romæ triumphavit. Nam ex serie istius lucubrationis Lactantianæ constat consilium de abdicando imperio captum fuisse post commotam persecutionem, post reditum Diocletiani ab urbe, post vicennalia repleta, adeoque post difficilem illum morbum cujus vi demotum de mentis suæ statu visum fuisse Diocletianum tradit Eusebius. Præterea triumphus actus non est ante persecutionem, ut suprà ostensum est.

SEVERVM ET MAXIMINVM] Fasti Idatiani Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus: *His Conss. deposuerunt purpuram privati effecti Diocletianus & Maximianus, & vestierunt Severum & Maximinum*, Severum quidem Herculius apud Mediolanum, Maximinum Diocletianus ad Nicomediam. Sed malè apud Eusebium in Chronico, ubi scriptum est Galerium solum biennio Augustum imperium tenuisse, & anno post seniorum Augustorum abdicationem Maximinum & Severum à Galerio Maximiano Cæsares factos. Ita quidem in plerisque editionibus. Sed in Veneta anni MCCCCLXXXIII. & in antiquis codicibus manuscriptis à Pontaco laudatis, tum etiam in vetustissimo & optimo codice Colbertino, ea desunt quæ de Galerio solo imperium per biennium obtinente illic dicuntur, & substitutio Severi & Maximini Cæsarum ponitur in eodem anno quo facta est abdicatio. Petavius tamen vulgatam Eusebiani Chronici lectionem propugnat in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXIV. & verba illa de Galerij biennio sic interpretatur ut is biennio solus, id est, nondum creatis Cæsaribus, imperasse dicatur, Cæsares autem electos anno illo quo Constantius excessit è vivis. Itaque in libro XIII. (qui est chronologicus) colligere se ait ex fragmento anonymi scriptoris qui post Ammianum Marcellinum Valesij editus est, Severum aliquanto antea copiis in Italia præfuisse quàm Cæsar fieret, neque tam citò eam dignitatem adeptum, sed eodem ferè tempore quo Constantinus Constantij filius. Quæ omnia falsa esse agnosceret sanè Petavius si librum istum Lactantij videret.

SEVERVM ET MAXIMINVM] Certum est hæc acta Nicomediæ fuisse, ubi tunc erant Diocletianus & Galerius Maximianus. Et tamen Socrates in initio suæ historiæ, ut quidem verterunt Musculus, Christophorsonus, & Valesius, ait Galerium post abdicationem Diocletiani & Maximiani Herculij profectum in Italiam, duos Cæsares, Maximinum in oriente, Severum in Italia constituisse.

Aliter vertit Epiphanius scholasticus, & quidem congruentiùs ad veritatem historiæ : *Cùm Diocletianus & Maximianus Herculius privatam elegissent vitam, & Maximianus Galerius, qui cum eis imperaverat, tenens Italiam duos Cæsares fecisset, Maximinum in oriente, & Severum in Italia, tunc Constantinus in Britannia patre mortuo ordinatur Imperator.* Vtcunque se res habeat, manifestum est Socratem existimasse Maximinum & Severum factos fuisse Cæsares postquàm Italia cessit in ditionem Galerij, quæ tempore abdicationis venerat Constantio. Atque in eadem sententia fuisse videtur etiam Eutropius in initio libri decimi; ubi scribit Galerium, cùm Italiam quoque sinente Constantio administrationi suæ accessisse sentiret, Cæsares duos creavisse. Errat ergo uterque, cùm ex Lactantio appareat Cæsares factos esse apud Nicomediam eodem tempore quo seniores Augusti deposuerunt imperium. Occasio illis errandi, ut arbitror, illa fuit quòd cùm Maximianus Herculius abdicasset apud Mediolanum, præsente Severo, qui ab eo factus est Cæsar, & ab eo purpuram accepit, crediderunt haud dubiè utrumque Cæsarem in Italia factum esse à Maximiano, non distinguentes inter Maximianum Herculium & Galerium Maximianum, id verò fieri non potuisse nisi post abdicationem. Vide Sigonium in libro secundo de occidentali imperio.

SVSVM] *in superiori parte, in loco signato*, ut ait Papias. Veteres dicebant *susum* pro *sursum*, ut pluribus ostendit in suo Glossario vir clarissimus Carolus Dufresnius. Et Rigaltius ad librum secundum testimoniorum sancti Cypriani ad Quirinum cap. XXVIII. ubi legitur, *Vocavit cœlum sursum*, adnotat in Beneventano & Veronensi codicibus legi *susum*.

SCISCITARI] In veteri libro scriptum est *stare*, & in margine *hesitare* per speciem emendationis. Ego utramque lectionem puto falsam esse, & vocem *sciscitari* meliùs convenire huic loco.

CONSTANTINO REPVLSO] Vel unicus hic locus, quamvis alia argumenta non desint, ostendit Constantinum non fuisse factum Cæsarem cum Severo & Maximino. Illud ipsum probatur etiam ex silentio scriptorum illius ævi & ex quibusdam antiquis inscriptionibus exaratis post abdicationem Diocletiani & ante obitum Constantij; in quibus post Constantium & Galerium Augustos, Severi & Maximini Cæsarum nomina inscripta sunt, omisso nomine Constantini. Harum unam exhibet Onuphrius Panvinius in libro secundo Fastorum, alteram Gruterus pag. CLXXVIII.

Præterea hæc erat disposítio à Diocletiano introducta in administratione reipublicæ, quam in perpetuum conservari debere contendebat Galerius, ut quatuor tantùm essent Principes, *duo majores, qui summam rerum teneant, item duo minores, qui sint adjumento*, ut docet Lactantius cap. XVIII. hujus operis. Itaque quum postea Galerius accepisset mortem Constantij, & Constantinum in loco ejus positum, cùm valde cuperet imperium tenere solus, nec tamen vellet ordinem mutare in republica constitutum, maluit collegam Augustum assumere quàm tertium Cæsarem *extra numerum* nuncupare, ut ait Lactantius in capite XXV. ejusdem historiæ. Ex his quæ hactenus dicta sunt manifestè colligitur Constantinum non fuisse factum Cæsarem cum Severo & Maximino. Et tamen in Epitome Victoris ista leguntur: *Constantius Constantini pater atque Armentarius Cæsares, Augusti appellantur, creatis Cæsaribus, Severo per Italiam, Maximino Galerij sororis filio per orientem. Eodemque tempore Constantinus Cæsar efficitur.* Negari sanè non potest quin Constantinus fuerit Cæsar, cùm id nummi plures proferant, in quibus visitur imago ejus laureata, cum hac inscriptione: CONSTANTINVS NOB CÆS. In uno verò & prænomina etiam Constantini leguntur hoc modo. FL VAL CONSTANTINVS NOB C. Credidit vir eruditissimus, innixus auctoritati Aurelij Victoris, Constantinum à Maximiano Augusto & socero consecutum esse dignitatem Cæsaris eodem mense quo Constantius pater ejus Augustus est renuntiatus. Contrà Iosephus Scaliger in animadversionibus ad Eusebium pag. 247. contendit eum non fuisse Cæsarem sub patre, sed sub Galerio, tametsi postea adnotat nullam historiam referre eum Cæsarem à Galerio dictum. Si isthæc Lactantij historia viris doctissimis nota fuisset, haud dubiè ab his scribendis abstinuissent, quæ veritati consentanea non sunt. Nam primò certum est, uti diximus, Constantinum non fuisse factum Cæsarem cum Severo & Maximino. Deinde non potuit eodem tempore fieri Cæsar à Maximiano Herculio, cùm apud eum non esset, sed apud Diocletianum. Neque tum Herculius socer ejus erat, quandoquidem Constantinus Faustam Herculij filiam duxit tantùm post obitum Constantij, ut dicemus suo loco. Denique videbimus infrà Lactantium docere Constantinum Cæsarem à Galerio dictum fuisse. quod apud nullum historicum reperiebatur ætate Scaligeri.

PVRPVRAM INIECIT] ut eum veste imperatoria indueret ac vestiret quem Galerius veste privata exuerat.

Vestire enim est vocabulum quo tum significabantur insignia summæ potestatis. Fasti Idatiani : *Vestierunt Severum & Maximinum.* Et Lactantius in hoc capite loquens de Severo: *Missi ad Maximianum, ut ab eo induatur.*

VETERANVS REX] Eleganter Diocletianum vocat veteranum Regem, quia regnaverat per annos viginti integros, tamquam si propterea meruisset privilegia similia iis quæ concessa erant militibus qui per viginti annos in legione vel vexillatione militaverant.

IN PATRIAM DIMITTITVR] id est, Diocleam prope Salonas Dalmatiæ oppidum, ubi præclaro otio consenuit.

SCVTARIVS] Varia Scutariorum genera fuerunt in palatio Imperatorum Romanorum, de quibus agit Henricus Valesius in annotationibus ad Ammianum Marcellinum pag. 33.

PROTECTOR, MOX TRIBVNVS] Per eosdem gradus, sed non ita citò, ad imperium pervenerat Constantius. Fragmentum editum ab Henrico Valesio pag. 471. *Constantius D. Claudij optimi Principis nepos ex fratre, Protector primùm, exin Tribunus, postea Præses Dalmatiarum fuit.* Protectores autem dicti sunt ex eo quòd Principis latus protegerent & ad custodiam corporis ejus electi erant. Horum alij in comitatu manebant, alij in provincias cum Comitibus & Magistris militum mittebantur. quidam etiam ad custodiam limitis ex ea schola erant deputati. De his pluribus agit Henricus Valesius in annotationibus ad Ammianum Marcellinum pag. 33. 46. 152.

CAP. XX. SENIBVS EXPVLSIS] id est, Diocletiano & Herculio, quorum primus secessit in Dalmatiam, alter in Lucaniam, ut plerique tradunt.

SOLVM ORBIS DOMINVM] non quòd revera esset solus Imperator, cùm collegam haberet Constantium; sed quia cùm istum contemneret, illum pro nullo habebat. Apud Socratem quoque lib. 1. hist. eccles. cap. 11. scriptum est Galerium Maximianum totius imperij clavum tenuisse. Quæ benignè intelligenda esse ait Henricus Valesius. *Neque enim*, inquit, *Galerius totius imperij revera clavum tenuit, cùm duo alij eodem tempore essent Augusti, Constantius in Galliis, & Maxentius Romæ. Verùm summam imperij nihilominus administrasse dicitur, eò quòd ipse senior erat Augustus, & à junioribus Augustis instar patris colebatur.* Ista viri doctissimi observatio habet aliquid veri, sed non omnia. Nam quamvis concederem Galerium à Constantino, ut erat

ille vir multæ civilitatis, cultum fuisse instar patris, certum est non ita cultum fuisse à Maxentio, quamvis socer ejus esset, immo nunquam bene inter eos convenisse, etiam vivente Diocletiano, & bellum inter eos fuisse gravissimum ex eo tempore quo Maxentius sumpsit purpuram usque ad imperium Licinij.

PRIOREM NOMINARI] Suprà cap. XVIII. Galerius Maximianus alloquens Diocletianum ait, *si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor & extremus esset.* Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XVIII. ait Constantium, quum seniores Augusti imperio se abdicassent, primum Augustum renuntiatum esse, & primum Augustum appellatum inter quatuor qui postmodum designati sunt. Idem semper priore loco nominatur in Fastis Idatianis, à Zosimo, Eutropio, in veteri inscriptione de consecratione Thermarum Diocletianarum, & in aliquot aliis inscriptionibus quæ apud Gruterum leguntur pag. LVIII. CLIX. CLXI. CLXVI CCLXXIX. MLXIII. Et tamen Ælius Spartianus in Ælio vero & Flavius Vopiscus in Carino Galerium Maximianum nominant ante Constantium, & id quidem tempore Diocletiani. Sanè æquum videbatur ut is qui adoptabatur à Diocletiano, & qui filiam ejus Valeriam habebat uxorem, priorem locum haberet supra eum qui adoptabatur à Maximiano secundi loci Principe. Contrà, rationi consentaneum erat ut vir magnæ nobilitatis, cujusmodi erat Constantius, non postponeretur homini agresti, pastori pecorum, atque illum post se haberet in administratione reipublicæ. Ego crediderim Spartiani & Vopisci testimonia postponenda esse auctoritati veterum inscriptionum & eorum auctorum qui disertè aiunt primum locum datum esse Constantio; præsertim cùm ij qui illum Galerio tribuunt, non tractaverint hanc historiam ex professo, sed per transennam, & aliud agentes. Quod etiam dicendum est de auctore vitæ sancti Procopij martyris, quæ habetur in tomo quarto Surij, ubi Galerius primo loco nominatur ante Constantium.

A TRIBVS] id est, à Galerio, Severo, & Maximino.

LICINIVM V. C. AMICVM] Idem tradit Socrates lib. I. cap. II. ubi ait Galerium Maximianum abiisse è vita cùm Licinium priùs Imperatorem creavisset, veterem amicum & contubernalem suum, qui ex Dacia erat oriundus.

NE FILIVM NOMINARET] Ego arbitror hunc istorum & sequentium verborum sensum esse. Cùm Galerius Licinium haberet veterem amicum & contubernalem,

bonum militia, ut Taciti verbo utar, *& victoriæ socium*, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur, noluit tamen illum facere Cæsarem, ne filium eum nominaret cum quo per omnem vitam vixerat velut frater; sed destinata in longum jaciens, eum in locum Constantij aut brevi morituri aut certè per vim deturbandi substituere cogitabat, ut sic Augustum & fratrem nuncuparet. Nam qui fiebant Cæsares, in filiorum numerum veniebant, & filij Augustorum dicebantur. Qui verò nuncupabantur Augusti, fratres Imperatorum appellabantur, ut suprà vidimus de Maximiano Herculio.

VICENNALIA CELEBRARET) ad exemplum Diocletiani, qui post emensos novendecim annos imperij Romam veniens, initia vigesimi tanto apparatu celebravit ut propterea dixerit Sextus Rufus notam esse pompam victoriæ quæ sub Diocletiano Principe reportata de Persis est. Sed multùm eo tempore distabat Galerius à vicennalibus suis. Nam ex capite XXXV. hujus libri colligitur ea celebrari debuisse Kalendis Martiis quæ mortem ejus subsecutæ sunt. Igitur mortuus est anno ex quo Cæsar factus est decimo nono ineunte, cùm obierit mense Maio qui fuit proximus ante diem vicennalium. Mortuus est autem quum ageret octavum consulatum, ut scriptum est in hac historia & in Fastis Idatianis. At si ista vera sunt, quomodo fieri potest ut Galerius imperaverit annis uno & viginti? Tot enim numerantur à consulatu Tiberiani & Dionis, quo Galerius dicitur factus Cæsar, usque ad consulatum ejus octavum. Deinde ipse in hoc libro Lactantij cap. XVIII. docet se eo tempore quo Diocletianum impellebat ad abdicationem, jam per annos quindecim in Illyrico vel ad ripam Danubij luctasse cum gentibus barbaris interim dum alij intra laxiores & quietiores terras delicatè imperarent. Profectò si annos sex, quibus ille rempublicam administravit post secessum Diocletiani, addas ad quindecim qui effluxerant quum hæc dicebantur à Maximiano, manifestum erit illum mortuum esse *vicesimo primo imperii sui anno*, ut legitur in vulgatis editionibus Eusebiani Chronici. Quamquam in vetustissimo & optimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ & in variis antiquis exemplaribus quæ Pontacus testatur se vidisse, hæc tantùm leguntur: *Galerius Maximianus moritur*. Verùm cùm ea sit auctoritas Lactantij ut ei contradici non possit, & Aurelius Victor scribat Galerium potentiam Cæsaris annos tredecim gessisse, imperium quinquennio, tum Eutropius in initio libri noni & auctor Chronici Alexandrini pag. 651. doceant Constantium, qui Cæsar cum Galerio factus

est, obiisse Eboraci in Britannia anno decimo tertio principatus sui, in fragmento præterea de Constantio Chloro pag. 472. legatur Galerium imperasse annis novendecim, necesse est ut in eam sententiam concedamus quæ potentiam ejus intra novendecim annos coërcet, & quindecim illos annos per quos cum gentibus barbaris luctavit interpretemur partim de bellis quæ illic gessit quum adhuc privatus esset, partim postquam Cæsar factus est, & initia principatus ejus revocemus ad Kalendas Martias anni CCXCIII. ut sic per annos XIII. Cæsar fuisse dici possit anno CCCV. quo Diocletianus deposuit imperium.

CÆSARE FILIO SUO] Galerij, ut opinor. Infrà cap. XXXV. *commendatis Licinio conjuge sua & filio.* Nuspiam alibi legimus Galerio filium fuisse. Sanè si habuisset, ex priore uxore habuisset. Quo casu, Cæsares duos extra suam familiam non quæsiisset, sed filium suum primo saltem loco nominasset. Ex Valeria non habuit. Sterilis enim fuit, ut docet infrà Lactantius in capite quinquagesimo. Hæc itaque intelligenda sunt de Candidiano, qui paulò pòst nominatur, & quem Lactantius infrà in eodem capite quinquagesimo adnotat ex concubina natum, à Valeria Galerij uxore adoptatum ob sterilitatem, ac desponsum filiæ septenni Maximini Augusti. Hunc ergo Cæsarem facere destinabat pater post celebrata vicennalia. Occisus est autem à Licinio Candidianus anno Christi CCCXIII. ætatis suæ XVI.

IPSE DEPONERET] imperium. Meditabatur ergo Galerius secessionem à republica post celebrationem vicennalium, ut fortunam Diocletiani imitaretur. Sed Deus cuncta illius cogitata dissolvit. Nam neque vicennalia celebravit, neque Candidianum fecit Cæsarem, nec consequi potuit otij dulcedinem.

TORQVEBANTVR DECVRIONES] Rem istam adnotavit Lactantius tamquam actam contra jus & morem. Nam jure civili Romanorum non licebat torquere Decuriones, ut patet ex epistola Constantini ad Probianum Proconsulem Africæ. Quare Baronius ad annum CCCXIV. admonet acta purgationis Felicis Episcopi Aptungitani corrupta esse eo loco ubi Ælianus Proconsul ait ad Ingentium, *Noli itaque tibi blandiri quòd cùm mihi dicas Dei cultorem te esse, ac propterea non possis torqueri*, & *Decurionem* legendum hèic esse pro *Dei cultorem*. Postea tamen, ut illic observat Baronius, Constantinus legem tulit ut Decuriones torqueri liceret in crimine falsi.

CAP. XXI. PERFECTISSIMI VIRI] Lactantius lib. v. institut. cap. XV. *Nemo Perfectissimus nisi qui omnes gradus implevit.* Perfectissimatus dignitas, ut ait Valesius ad librum XXI. Ammiani Marcellini, minor erat clarissimatu; & ut Clarissimi apud Præfectum urbi conveniebantur, sic Perfectissimi apud Vicariam præfecturam. Vide etiam Notas Balduini in Eumenij orationem de scholis instaurandis, Iuretum in Notis ad epistolam XL. libri decimi Symmachi, & Iacobum Gothofredum ad Codicem Theodosianum to. III. pag. 418.

GYNÆCEVM] Gynæcea, ut vox ipsa loquitur, erant loca destinata operibus muliebribus, in quæ interdum pœnæ loco dejiciebantur & viri & feminæ. Plura de istiusmodi gynæceis observavit vir clarissimus Carolus Dufresnius in suo Glossario, & nos etiam in Notis ad Reginonem pag. 568. & ad Capitularia pag. 1009. Vide quoque Valesij annotationes ad Eusebium pag. 211.

LVSORIVM] theatrum, sive amphitheatrum, ubi ludi publici edebantur, ut pluribus ostendit idem Dufresnius. Salvianus lib. VI. pag. 122. secundæ editionis nostræ: *Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis &c.* Acta sanctæ Seraphiæ virginis & martyris cap. III. *Præses verò post tertium diem paravit lusorium trans pontem super arcum Albini, ubi solebat fieri themelæ.* Aliud sunt lusoriæ apud Vopiscum, naves nimirum quas Romani habebant in fluminibus quæ Romanum imperium disterminabant à barbaris, semper instructas & paratas ad arcendos eorum transitus & incursus, ut explicat Salmasius in Notis ad eundem Vopiscum pag. 475. De quibus etiam fusè agit Iacobus Gothofredus ad tit. Codicis Theodos. *De lusoriis Danubij.* Alibi lusorius idem valet ac derisorius, ut in libro XLIII. Digestor. l. ult. *Ne quid in loco publico fiat.* ubi ita legitur. *Qui adversùs edictum Prætoris ædificaverit, tollere ædificium debet. Alioquin inane & lusorium Prætoris imperium erit.* Item Seneca lib. V. de benefic. cap. VIII. *velut lusorium nomen statim transit.* Apud eundem epist. LXXX. *spectaculum non fidele & lusorium.* Et in epistola Gelasij Papæ ad Euphemium Episcopum Constantinopolitanum, ubi sic vulgò legitur: *aut ad veniam luxuriæ de me cognoscens ista jactare.* Pro quo in vetustissimis & optimis codicibus MSS. Ecclesiæ Bellovacensis & monasterij Corbeiensis scriptum vidi: *aut, da veniam, lusoriè de me cognoscens ista jactare.* Neque insolens est hic error. Observat enim Salmasius in loco

paulò antè laudato, pro eo quod ipse apud Vopiscum edidit *Romanas lusorias barbari incendissent*, vulgò excudi solitum *Romanas luxurias*. Et Iacobus Gothofredus in loco paulò antè laudato commemorat tria loca Codicis Theodosiani, ubi scriptum est *luxuriis* pro *lusoriis*.

SPIRITVS REDDERETVR] Lactantius lib. v. institut. cap. XI. *Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant quàm ut ne torti moriantur.* Et paulò pòst : *Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad pœnam.*

NVLLA POENA PENES) In veteri exemplari legitur, *Nulla pœnis eum levis.* Pessima lectio bonam nobis indicavit. CAP. XXII.

IN CAVSA CAPITIS) Emendatio quoque ista nostra est. Nam vetus codex habet : *In causa pœna capitis & animadversia gladij admodum paucis &c.* Scilicet vox *pœna* in hunc locum irrepsit ex superiore.

BONAM MORTEM) id est, non coactam vi tormentorum, sed facilem & absque cruciatibus. cujusmodi sunt prosectio venarum, strangulatio, & venenum. Infrà cap. XXVI. de Severo : *Quo facto nihil aliud impetravit nisi bonam mortem. Nam venis ei incisis, leniter mori coactus est.* Excap. XXX. de Maximiano Herculio. *Postremò datur ei potestas liberæ mortis, ac nodum informis leti trabe nectit ab alta.* Sed in hoc Lactantius adversantem sibi Tacitum habet quòd ait Severum leniter mori coactum incisis venis. Nam Tacitus lib. XVI. annalium extremo agens de Petronio, qui eo genere mortis extinctus est, ait : *Mox lentitudine exitus graves cruciatus afferente.*

CENSVS IN PROVINCIAS) Censualis professio duo continebat, modum agrorum, & numerum capitum, tam liberorum quàm servilium ; ut pluribus eruditè suo more explicat Henricus Valesius ad Ammianum Marcellinum pag. 167. Ceterùm hic Lactantij locus confirmat conjecturam doctissimi viri Iacobi Gothofredi, qui ex l. 2. Cod. Theodos. *De censu* collegit mutationem aliquam à Galerio Maximiano factam esse per Lyciam & Pamphyliam post abdicationem Diocletiani, nimirum urbanam plebem capitationi subjectam. Quæ lex magnam profectò lucem accipit ex isto capite Lactantij. CAP. XXIII.

SERVI CONTRA DOMINOS) Regula juris est, ut Casaubonus ait ad Flavium Vopiscum, servum in caput do-

mini non posse interrogari. Sed excepta sunt constitutione Severi aliquot crimina, adulterij, fraudati census, & majestatis. Hanc igitur constitutionem lege sua antiquavit Tacitus Imperator. Galerius revocavit, nescio an lege lata, certè in executione. Paulus lib. 1. sentent. tit. XIII. *In caput domini patronive nec servus nec libertus interrogari potest.*

TRAIANVS DACIS] Galerius enim Maximianus ortus erat è Dacia ripensi, è loco quem ipse Romulianum ex nomine Romulæ matris appellavit, haud longè à Sardica, ut docent Eutropius & Eusebius in chronico. Duæ porrò Trajani expeditiones in Dacos fuere, prima quarto ejus consulatu, altera quinto, cùm sextum jam annum imperaret, ut ad Spartianum observavit Casaubonus. Et Xiphilinus quidem ex Dione commemorat utramque Trajani expeditionem in Dacos, sed nullibi meminit tributi eis imperati. Illud tantùm ait, Daciam factam fuisse provinciam. quod etiam tradit Flavius Vopiscus in D. Aureliano. Sed cùm ea fuerit certa ac constans regula apud Romanos, ut quæcunque gens quæ in provinciæ formam redacta fuerat, vectigalis esset, ac populi Romani magistratui obediret, quemadmodum observat Sigonius in libro primo de jure provinciarum, ambigi non potest quin Dacia tributaria fuerit, præsertim cùm Lactantius id expressis verbis affirmet.

INIVRIETATIS) Novum vocabulum, quod alibi non memini me legisse. Sic apud Reginonem lib. 1. de eccles. discipl. cap. CCXVI. esurietas ventrisca legitur pro comessatione. Atque ita illic emendandum est pro eo quod nos edidimus *exuri ætate ventrisca*. Nam exuriem pro esurie legi apud Petrum de Vineis in codice 1460. bibliothecæ Colbertinæ. Luxurietatem quoque puto me alicubi reperisse. Sed locus nunc mihi non occurrit.

CAP. XXIV. CONSTANTINVM REMITTERET] Zosimus, qui inimicus erat Constantino, historiam hanc aliter tractat quàm Lactantius, discessum ejus à latere Galerij non referens ad mandata Constantij, sed ad ambitionem & cupiditatem Constantini jam dudum cum animo suo de imperio cogitantis, qui ex quo Severum & Maximinum Cæsares factos vidit, ea loca relinquenda statuit in quibus agebat & ad patrem Constantium proficisci, qui apud nationes transalpinas erat, & in Britannia plerunque vivebat. Eadem habet Aurelius Victor in libro de Cæsaribus, scribens Constantinum, cujus jam tum à puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur, cùm tolerare nequiret Severum &

Maximinum factos fuisse Cæsares, se videlicet prætermisso, fugæ commento (quod apud Eusebium quoque legitur in libro primo de vita Constantini cap. XX.) in Britanniam ad patrem Constantium vitæ ultima agentem perveniſſe, eoque mortuo, cunctis qui aderant annitentibus imperium cepisse. Sed in Epitome Victoris, ubi eadem repetuntur, malè scriptum est Constantinum juvenculum à Galerio in urbe Roma religionis specie obsidem tentum fuisse. quod post Epitomen illam scripsere etiam Baronius, Camdenus, & Morinus. Verùm Galerius Romam tum temporis non viderat, ut certò colligitur ex capite XXVII. istius operis, & nunquam pedem in urbem intulit. Præterea constans est omnium scriptorum opinio eum obsidem apud Diocletianum & Maximianum fuisse, nimirum in Bithynia, ubi Diocletianus habitabat. Atque id certè docet Praxagoras apud Photium cod. LXII. & colligitur etiam ex Politia sanctorum Metrophanis & Alexandri apud eundem Photium cod. CCLXVI. & ex Eusebio in libro primo de vita Constantini cap. XIX. Si vera essent quæ Nicephorus Callistus lib. VII. cap. XVIII. refert de Constantino, hæc discrepantia facilè conciliari posset. Ait enim Constantium, quem ille Constantem nominat, puerum Constantinum unà cum matre Romam adduci curavisse, veritum autem ne illi absurdi quicquam à Theodora legitima uxore sua, quæ Constantini noverca erat, per zelotypiam & conjugalem æmulationem accideret, eum Nicomediam ad Diocletianum, qui ibi cum Galerio Maximiano genero erat, misisse, ibique illum in palatio apud Imperatorem vixisse. Antequam verò hinc recedam, admonendus est lector hunc locum ex Epitome Victoris in alienum sensum à Baronio esse translatum, dum quæ illic dicuntur de Constantino *religionis specie* obside tento à Galerio, Baronius interpretatur de religione Christiana; sive quòd juvenis Helena Christiana matre natus & patre Constantio erga Christianos propensiore, specimen aliquod edidisset quo patrocinari videretur ei religioni; seu quòd cùm Constantius admodum favorabilis esset nostris hominibus, apud Galerium de prodita avita superstitione in suspicionem venerit. Quam ob causam censet Constantinum in custodia tentum Romæ à Galerio loco obsidis, ut obtentu religionis arrepto impediret ne optimæ indolis juvenis patri succederet. Verùm hac circuitione opus non erat ad explicandum hunc locum Epitomes, cujus simplex & aperta narratio est. Illud tantùm voluit auctor, Constantinum obsidem apud Galerium fuisse *religionis spe-*

cie, id est, specie amoris præcipui & officij, tamquam si eum à patre petiisset erudiendum in re militari & in arte administrandæ reipublicæ. Nam neque tum Helena Christiana erat, nec Christianismum Constantino objecit Galerius, homo superstitiosus, quum Diocletianus censeret filios Herculij & Constantij creandos esse Cæsares. Aliis artibus juvenem à summo fastigio removere conatus est Galerius, insidiis nimirum, exponendo eum variis magnis periculis.

FRVSTRA REPETIERAT] Hæc verba non habentur in veteri codice. Quoniam verò sensus erat mutilus, & constabat heic aliquid deesse, nos hæc duo vocabula addidimus propter auctoritatem fragmenti de Constantio Chloro, in quo ita legitur : *Constantinus obses apud Diocletianum & Galerium sub iisdem fortiter in Asia militavit, quem post depositum imperium Diocletiani & Herculij Constantius à Galerio repetiit. sed hunc Galerius objecit antè pluribus periculis.* Attamen si quis hiatum illum his verbis non posse suppleri existimat, pro his substituere potest *non viderat* aut aliquid simile.

INSIDIIS ADPETIVERAT] Idem fragmentum. *Sed hunc Galerius objecit antè pluribus periculis. Nam & in Sarmatas juvenis equestris militans ferocem barbarum capillis tentis raptum ante pedes supplicem Galerij Imperatoris adduxerat. Deinde Galerio mittente per paludem equo ingressus suo viam ceteris fecit ad Sarmatas, ex quibus, plurimis stratis, Galerio victoriam reportavit. Tunc eum Galerius patri remisit.* Vide etiam Eusebium lib. I. de vita Constantini cap. XX. & annales Zonaræ.

FERIS OBIECERAT] Praxagoras in libro de gestis Constantini ait Galerium Maximianum insidias adolescenti tetendisse & ad pugnam cum fero leone incundam composuisse, illum verò feram superasse & occidisse. Eadem habet etiam Zonaras in imperio Diocletiani.

SIGILLVM] id est, epistolam dimissoriam sigillo munitam. Vide Glossarium Dufresnij.

A SEVERO TENERETVR] Quippe è Nicomedia eunti in Galliam pergendum erat per Italiam, ubi Severus imperitabat. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 471. *Qui ut Severum per Italiam transiens vitaret, summa festinatione veredis post se truncatis Alpes transgressus, ad patrem Constantium venit apud Bononiam.*

SVBLATIS EQVIS PVBLICIS] Zosimus in libro secundo narrat Constantinum veritum ne fortè fugiens

apprehenderetur, equos stabularios, quos respublica alebat, quum primùm aliquod stabulum attigisset, mutilasse & & inutiles reliquisse, quumque id de loco in locum pergens faceret, exclusisse ab ulteriore progressione persequentes. Eadem ferme leguntur in Epitome Victoris.

CVRSVS PVBLICVS] Vide Casaubonum in Notis ad Spartianum, ubi multa doctè & eruditè disserit de cursu publico & fiscali.

PERVENIT AD PATREM] XII. Kalendas Augusti, ut ego quidem arbitror. Nam in veteri Kalendario edito ab Hervvarto hæc ad eam diem scripta sunt: *Adventus Divi*; id est Constantini, ut manifestum est. Quippe Kalendarium illud scriptum est eo imperante. Qui verò putant eum perveniisse ad patrem VIII. Kalendas Augusti, hinc decepti sunt quòd Aurelius Victor in libro de Cæsaribus & alij veteres scribunt illum in Britanniam ad patrem Constantium vitæ ultima agentem perveniisse; quæ verba sic interpretantur quasi necesse sit illum qui in extremis erat, mortuum fuisse statim post adventum Constantini. De ejus porrò adventu ad Constantium patrem, & de his quæ tum circa Constantinum gesta sunt, vide Eusebium in libro primo de vita ejus cap. XXI. & Politiam sanctorum Metrophanis & Alexandri apud Photium. Pervenit autem ad patrem è Nicomedia, non verò è Roma, ut falsò scripsit Camdenus in Britannia sua pag. 52. deceptus ab auctore Epitomes Victoris.

IMP. PER MANVS TRADIDIT] Lactantius lib. II. institut. cap. IV. *Vixit enim usque ad senectutem, regnumque per manus filio tradidit.*

IMPERIVM TRADIDIT] Idem scribit Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XXV. Quare frustra Iosephus Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij redarguit auctorem Politiæ sanctorum Metrophanis & Alexandri quòd scripserit Constantinum à Constantio moriente successorem in imperio designatum. Neque ille consensus militum, cui initia imperij Constantiniani assignat Scaliger, quicquam præjudicat adversùs ea quæ scribit auctor Politiæ. Probat hoc Eumenius in panegyrico Constantini; ubi quum dixisset Constantinum manifesta sententia patris electum fuisse Imperatorem, mox subdit. *Dij boni, quanta Constantium pium etiam in excessu suo felicitate donastis! Imperator transitum facturus in cœlum, vidit quem relinquebat heredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te consensit exercitus, te omnium mentes ocu-*

lique signarunt. Item Iulianus Imp. in oratione prima ad Constantium : *Igitur quemadmodum pater tuus post parentis sui obitum, non modò ipsius judicio, verùm etiam exercituum omnium suffragio imperium sit adeptus, quid est quòd diligentiùs prosequamur?* Orosius lib. VII. cap. XXVI. *Constantius verò Augustus summæ mansuetudinis & civilitatis in Britannia mortem obiit, qui Constantinum filium ex concubina Helena creatum Imperatorem Galliarum reliquit.*

REQVIEM VITÆ ACCEPIT] Fasti Idatiani Constantio VI. & Maximiano VI. Consulibus : *His Coss. diem functus Constantius, & postea levatus est Constantinus* VIII. *Kal. Augusti.* Chronicon Eusebij : *Constantinus sextodecimo imperij anno diem obiit in Britannia Eboraci* ; ibidemque sepultus est, si vera sunt quæ de ejus tumulo narrantur à doctissimo viro Guillelmo Camdeno in pagina 572. Britanniæ. Contigit istud anno Christi CCCVI. ut rectè adversùs Petavium contendit Valesius in annotationibus ad Eusebium. Tum verò, ut Socrates ait, Constantinus creatus est Imperator in locum patris sui Constantij, qui ante diem octavum Kalendarum Augusti excesserat è vivis. Hic est itaque primus annus imperij Constantini. Vnde in vetustimo Kalendario ita legitur apud Hervvartum & Bucherium. VIII. *Kal. Augusti. Nat. Divi Constantini.* Malè ergo in libro primo historiæ tripartitæ & in libro undecimo historiæ miscellæ scriptum est Constantinum factum esse Imperatorem VI. Kal. Augusti. Eumenius in panegyrico suprà laudato : *O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti.*

CHRISTIANOS CVLTVI REDDERE] Lactantius in præfatione libri primi divinarum institutionum ad Constantinum : *Nam cùm ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset quo te Deus summus ad beatum imperij culmen evexit, salutarem universis & optabilem principatum præclaro initio auspicatus es, cùm eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti.*

CAP. XXV. IMAGO EIVS ADLATA] Eumenius in panegyrico Constantini : *Et quamquam tu ad seniores Principes de summa repub. quid fieri placeret retulisses, prævenerunt tamen studio quod illi mox judicio probaverunt.* Vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 20. heic per seniores Principes intelligit Diocletianum, Maximianum Herculium, & Galerium Maximianum, quos ait comprobasse factum militum, qui Constantino purpuram injecerant. Patietur vir doctissimus me ab ea sententia recedere,

cùm

cùm certum sit nullas tum Diocletiani & Herculij partes in repub. fuisse, adeoque nullum operæ pretium fuisse ut ad eos Constantinus referret de imperio sibi delato. Seniores ergo Principes interpretor Galerium Maximianum Augustum, Severum & Maximinum Cæsares. Quamquam huc valde inclino ut existimem relatum ad solum Galerium fuisse, qui tum solus erat rerum dominus, sed Eumenium pro more oratorum ex formula locutum esse, & ad cunctos Principes retulisse quæ de uno tantùm dici debuerant. Laureatam autem imaginem dixit Lactantius, quoniam qui res lætas & bene gestas nuntiabant, laureatas tabellas adferebant, ut pluribus explicat Salmasius in Notis ad Lampridium pag. 235.

PVRPVRAM MISIT] insigne regiæ dignitatis, ut ait Lactantius lib. IV. institut. cap. VII. *Nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ.* Non indigebat Constantinus purpura quam ad eum Galerius mitteret, cùm illam in initio imperij accepisset à militibus. Eumenius in loco paulò antè laudato: *Purpuram statim tibi, cùm primum tui fecit egressus, milites utilitati publicæ magis quàm tuis affectibus servientes injecere lacrymanti.* Sic Probus accepit purpuram. Auctor Flavius Vopiscus in libro de vita ejus: *Ornatus etiam pallio purpureo, quod de statua templi oblatum est.* Item idem in Saturnino: *Ibi tamen quum cogitare cœpisset tutum sibi non esse si privatus viveret, deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus, & adoratus est.* Qua de re vide Casauboni Notas in Capitolinum. Verùm id decentiùs fiebat quum purpura tribuebatur à Principe. Ita Severus accepit ab Herculio, Maximinus à Diocletiano, rursum Herculius à filio Maxentio Romæ imperante. Nam hinc ostendebatur consensus in novum Principem.

EXTRA NVMERVM] id est, præter quatuor, ne mutaret dispositionem Diocletiani, quam ipse tantopere dixerat debere custodiri.

SEVERVM AVG. NVNCVPARET] Certum est Severum hunc nuncupatum fuisse Augustum, cùm id nummi doceant qui apud Adolphum Occonem reperiuntur. De tempore quo titulum Augusti sumpsit non adeo constat. *Sunt qui scribant*, inquit Panvinius in libro secundo Fastorum, *eum, quum adversùs Maxentium cum exercitu veniret, se ipsum Augustum appellasse.* quam sententiam amplectitur Tristanus Santamantius. Dubitari non potest quin id evenerit paulò antè quàm Romam proficisceretur adversùs Maxen-

tium. Verùm id factum non est occasione sumpti à Maxentio imperij, sed eo tempore quo Constantinus Cæsar à Galerio renuntiatus est post mortem Constantij, id est, anno Christi CCCVI. exeunte, ut arbitror. Qua de re postea. Porrò hinc etiam colligi potest Severum dignitate Augusti ornatum fuisse quòd cùm Galerius imperium Licinio dedit, id est, Augustum creavit, eum Lactantius cap. XXIV. scribit substitutum fuisse in locum Severi. Quod planè verum non esset, si Severus non fuisset Augustus. Occo Cæsarem & Augustum à Galerio dictum tradit, sed tempus non adnotat.

SED CÆSAREM] Iam antea ostendimus Constantinum non fuisse factum Cæsarem cum Severo & Maximino. Quia tamen ex nummis constat eum fuisse Cæsarem, & hactenus viri docti frustra quæsierunt tempus quo ad eam dignitatem evectus est, operæ pretium videtur heic aliquantisper immorari, ut istius nuncupationis initia constituamus. Nam cùm auctor panegyrici Maximiano & Constantino dicti post nuptias Faustæ doceat Constantinum, cùm ei pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentum, expectare maluisse ut idem illum declararet Augustum qui patrem ejus Constantium eo titulo decoraverat, neque dicat quo tempore istud factum sit, res nobis integra est, tamquam si vetusti illius scriptoris auctoritate careremus. Itaque sic constituere debemus. Constantius obiit anno Christi CCCVI. VIII. Kalendas Augusti. Huic statim successit Constantinus; & quum laureata imago ejus ad Galerium delata esset, is Constantinum Cæsarem nuncupavit, *ut eum de secundo loco*, quem obtinebat in locum patris suffectus, *rejiceret in quartum*, & sic postremum faceret. Constantinum porrò tum Cæsarem à Galerio nuncupatum fuisse patet etiam ex capite sequenti; ubi scriptum est Galerium, quum ad eum perlatus nuntius esset de Maxentio Romæ facto Imperatore, Severum arcessivisse, & quia *tres Cæsares facere non poterat*, eum hortatum esse ad recipiendum imperium. Ex quo certissima conjectura colligitur jam tum duos in imperio Cæsares fuisse, nimirum Maximinum & Constantinum. Nam Severus nuncupatus erat Augustus post mortem Constantij, adeoque isthic non computatur in numero Cæsarum. Confirmant hanc interpretationem verba quæ statim sequuntur. *Satis visum est*, inquit, *semel fecisse quod noluit*, id est, Constantinum nominasse Cæsarem. Alioqui enim nihil usque ad hunc diem fecerat quod noluisset, immo cuncta fecerat quæ voluerat. Constantinum ergo puto

declaratum à Galerio Cæsarem fuisse anno eodem CCCVI. exeunte. Nam in veteri Kalendario quod eo imperante scriptum, ab Hervvarto primùm, dein ab aliis quoque editum est, hæc leguntur: VIII. *Kal. Ianuary. Natalis Invicti.* Qui locus non videtur ad alium diem referri posse quàm ad eum quo Constantinus pronuntiatus est Cæsar. Nam quòd vir clarissimus Petrus Lambecius in libro quarto commentariorum de bibliotheca Vindobonensi pag. 298. hunc natalem refert ad Constantium auctoritate Fastorum Idatianorum, revincitur ex ipsismet eorundem Fastorum verbis; ubi Vetranio quidem depositus dicitur VIII. Kalendas Ianuarij, sed Constantius levatus est Cæsar tantùm Idibus Martiis sequentibus. Qui est dies natalis Constantij. Præterea quoties in hoc Kalendario legitur simpliciter nomen *Divi* aut *Invicti*, absque alio nomine addito, certum est toties debere intelligi Constantinum Magnum. Ceterùm nova prorsùs est opinio viri clarissimi Petri Franciſci Chiffletij, qui in Notis ad Vigilium Tapsensem pag. 134. opinatur Constantinum à Galerio Maximiano creatum Cæsarem VIII. Kal. Augusti anno Christi CCCV. quum in ejus aula tamquam à patre datus obses versaretur, & deinde rursus Cæsarem declaratum Eboraci in Britannia anno sequenti secundùm obitum Constantij patris. Sed hæc opinio veritate non constat. Postea Constantinus nuncupatus est Imperator à Maximiano Herculio bis Augusto anno CCCVII. quum ducturus esset uxorem Faustam Herculij filiam. Ita nos docet auctor panegyrici paulò antè laudati. *Dixerint*, inquit, *licèt plurimi multique dicturi sint ea quibus omnia facta vestra summarumque virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes Maximiane, velis nolis, semper Auguste, & Constantine oriens Imperator, mihi tamen certum est ea præcipuè isto sermone complecti quæ sunt hujus propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen imperij, & istarum cælestium nuptiarum festa celebrantur.* Et paulò pòst: *Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cùm hac affinitate vestra & tibi, Maximiane, per generum juventa renovata sit, & tibi, Constantine, per socerum nomen Imperatoris accreverit?* Ista quidem certa & manifesta sunt. Ceterùm Labbeus in parte prima Chronologiæ historicæ pag. 223. laudat ejusdem rei testes Eusebium atque Zosimum, apud quos ego nihil istiusmodi reperire potui. Quatuor ergo, ut notatur in veteri Kalendario, fuere natales Constantini, III. Kalendas Martij, VIII. Kalendas Augusti, VIII. Kalendas Ianuarij, & pridie Kalendas Aprilis. Primus, ut rectè observavit vir eruditiſ-

simus Carolus Dufresnius, pertinet ad genuinum Constantini natalem, quo nempe est in lucem editus, secundus ad eum diem quo patri Constantio successit, tertius ad eum quo Cæsar nuncupatus est à Galerio, quartus denique ad eum quo Imperatoris & Augusti nuncupationem sortitus est. Quintum, quem in die III. Kalendas Aprilis locat Kalendarium Philocali, non puto diversum esse ab eo quem aliæ editiones ponunt III. Kalendas Martias, & hinc arbitror emendandam esse Philocali editionem.

CAP. XXVI. MAXENTIVM F. IMP.] Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Subitò in urbe Roma prætoriani milites Maxentium filium Herculij Imperatorem crearunt.* Eutropius lib. X. *Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, Maxentium Herculij filium, qui haud procul ab urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupaverunt.* Idem scribit Eusebius in Chronico. Fuit ille filius Maximiani Herculij, gener verò Galerij Maximiani, ut heic & suprà cap. XVIII. & paulò infrà cap. XXVII. docet Lactantius. Quod etiam in Epitome Victoris ita traditur: *Is Maximianus* (Leg. *Maxentius*) *carus nulli unquam fuit, ne patri aut socero quidem Galerio.* Et fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium.* Quare miror doctissimum virum Iosephum Scaligerum in animadversionibus ad Chronicon Eusebij mirari quòd quum Maxentius fuerit Herculij Maximiani filius, in nummis tamen ejus ita legatur: IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO PATRI SOCERO ÆTERNA MEMORIA. Nummus hic cujus non est in memoriam Maximiani patris, sed Galerij Maximiani soceri.

CASTRA PRÆTORIA SVSTVLERAT] non omnino, sed diminuerat. Alioqui enim quomodo prætoriani, si nulli fuissent, Maxentium Imperatorem nuncupare potuissent? Rectè Aurelius Victor in libro de Cæsaribus: *Hinc etiam quasi truncatæ vires urbis, imminuto prætoriarum cohortium atque in armis vulgi numero.* Vbi fortè legendum, *atque inermis vulgi.*

OCCISIS IVDICIBVS] *Abellio priùs interfecto*, inquit Zosimus, *quòd is Præfecti urbis locum obtinens, horum molitionibus adversari visus esset.*

TVRBATVS EST] Galerius Maximianus.

TRES CÆSARES F. N. POTERAT] obstante dispositione Diocletiani, qui duos Augustos esse debere instituerat, duos Cæsares. eamque dispositionem servaverat Galerius quum Augusti nuncupationem accepit. Postea tamen

tres Cæsares facti sunt à Constantino & Licinio anno Christi CCCXVII. Crispus nimirum, Constantinus Constantini filius, & Licinianus filius Licinij. Deinde victo occisoque Licinio, extinctis quoque Crispo & Liciniano, Constantius & Constans minores filij Constantini facti sunt Cæsares variis temporibus. Ad quæ tempora referenda est illa Eutropij observatio ex libro decimo: *Eo tempore res Romana sub uno Augusto & tribus Cæsaribus (quod nunquam aliàs) fuit, cùm liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæque præessent.*

MAXENTIVM] In veteri libro legitur *Maximianum*, sanè mendosè, sicut paulò antè vidimus eundem errorem commissum fuisse in Epitome Victoris.

PATERNOS MILITES] qui erant in exercitu Severi, ut dicitur paulò suprà.

IN CAMPANIA) Alij omnes Maximianum Herculium tunc temporis in Lucania, quò se contulerat post abdicationem, fuisse consentiunt, ut Eutropius, Zosimus, Suidas. Itaque sic constituenda res est, secessisse quidem Herculium in Lucaniam quum deposuisset imperium, sed tum quum ista agebantur in Campaniam venisse, ut inde, tamquam è propinquo, militum prætorianorum qui Romæ tendebant animos tentare ac sollicitare posset, &, si daretur, aut imperium resumeret, quod invitus deposuerat, aut Maxentio filio procuraret. Nam ista per longum temporis spatium tractata ab Herculio fuisse docet Aurelius Victor in libro de Cæsaribus: *Interim Romæ vulgus turmæque prætoriæ Maxentium, retractante diù patre Herculio, Imperatorem confirmant.* Miror autem celeberrimum in rei nummariæ cognitione virum Santamantium in contrarium omnino sensum traduxisse hunc locum, tamquam si Maxentius *retractante*, ideſt, repugnante patre fuisset factus Imperator, quod etiam placuisse video doctissimo viro Hadriano Valesio. Sed eos decepit haud dubiè falsa Andreæ Schotti admonitio scribentis heic vocem *retractante* idem significare quod *detractante*. Retractare idem significat ac tractare. Lactantius lib. IV. institut. cap. XXVIII. *Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinent retractarent & tamquam relegerent, ij dicti sunt religiosi.* Et paulò pòst: *religiosos à relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter quæ ad cultum deorum pertineant.* Hinc libri retractationum sancti Augustini. Sufficiunt enim hæc exempla. Postquam ergo Maxentius factus est Imperator, statim Maximianus ab eo evocatus Romam profectus, paulò pòst Severum morti tradidit; ac mox in Galliam, illic filiæ Faustæ nuptias cum Constantino celebravit ea æstate

qua Galerius exercitum duxit in Italiam adversùs Maxentium, ut visuri postea sumus. Quare mirum in modum deceptus est Petavius auctoritate anonymi scriptoris de Constantio Chloro res eo quo gestæ sunt ordine non referentis. Scribit ergo Petavius in libro XIII. de doctrina temporum pag. 713. Galerium Maximianum cum ingentibus copiis Romam advolasse anno Christi CCCVII. & contemptum & à plerisque suorum destitutum abiisse in Illyricum, Licinium fecisse Cæsarem, & Sardicam regressum esse, tum Maximianum Herculium ad spem erectum resumendi fastigij Romam advolasse è Lucania, Diocletianumque ut idem faceret adhortatum esse, postea Severum perjurio deceptum custodiæ tradidisse ac jugulasse, deinde, quum insidias Maxentio strueret, pulsum Roma in Galliam ad Constantinum venisse, eique filiam Faustam collocasse, & eum Augusti appellatione donasse. Quæ omnia, non sanè contra fidem historiæ, sed perturbato prorsùs temporum ac rerum ordine scripta esse nullus est dubitandi locus. Fœdiùs aberravit Sethus Calvisius, Maxentium tum demum imperium invasisse scribens postquam Constantinus à Maximiano Herculio creatus fuisset Augustus, & Maximianum à Romanis persuasum anno sequenti resumpsisse imperium. At quomodo Constantium declarare potuit Augustum is qui neque Imperator esset neque Augustus?

RERVM NOVAR. CVPIDVS) Eadem de Herculio tradit Iulianus Imperator in libro de Cæsaribus.

DEPOSVERAT INVITVS) Constans est omnium scriptorum sententia, si incertum panegyristam excipias qui Herculij Maximiani & Constantini laudes prosecutus est in nuptiis Constantini & Faustæ, ominum inquam scriptorum sententia est hunc Maximianum invitum deposuisse imperium. Verùm illi aliter hanc historiam narrant quàm Lactantius. Hic enim cap. XVIII. docet Herculium abdicare coactum à Galerio, ab eoque territum injecto armorum civilium metu. Alij contra scribunt Diocletianum, quum ingravescente ævo parum se idoneum moderando imperio esse sentiret, auctorem Herculio fuisse ut in privatam concederent, eique ægrè collegam obtemperavisse, sed tamen obtemperavisse.

LIBENTER ARRIPVIT) purpuram quam deposuerat. Incerti panegyricus paulò antè laudatus. *Fecit enim Roma ipsa pro majestate nominis sui, ut ostenderet posse se etiam Imperatoribus imperare. Abduxit exercitus suos, ac tibi reddidit; & cùm ad sedandos animos auctoritatem privati Principis*

attulisses, supplices tibi manus tendens, vel potiùs queribunda, clamavit: Quousque hoc Maximiane patiar &c. Et paulò pòst: *Imperasti pridem rogatus à fratre, rursus impera jussus à matre.* Purpuram facilè resumebat Herculius, quippe qui ter sumpsisse invenitur. Atque hoc pessimum exemplum causa fuit mortis Licinij: quem cùm Constantinus vicisset, ac ei vitam concessisset, postea *Herculij Maximiani soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reipublicæ sumeret, tumultu militari exigentibus in Thessalonica jussit occidi*; ut legitur in fragmento de Constantio Chloro pag. 475. Bonifacius VIII. timens ne si Cælestinus V. liberam vitam ageret, pontificatum, quo se abdicaverat, resumeret, eum in custodia detineri jussit. Cui præiverat Callisti II. exemplum erga Burdinum.

RAVENNAM CONFVGIT) Zosimus in libro secundo scribit Herculium circumvento sacramentis Severo persuasisse ut Ravenna excedens, quò se contulerat, Romam veniret, eòque pergentem, ubi quendam ad locum venisset quem Tres tabernas vocant, ab insidiis quas eo loco Maxentius collocaverat adprehensum, inserta laqueo cervice necatum. Incerti panegyricus Constantino dictus post victoriam de Maxentio partam: *Duxerat magnum Severus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armaverat.* Auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 472. *Desertus Severus à suis fugit Ravennam. Per Maxentium filium* (sic enim legendum) *evocatus illuc venit Herculius, qui per pejurium Severum deceptum custodiæ tradidit, & captivi habitu in urbem perduxit, & in villa publica Appiæ viæ tricesimo milliario custodiri fecit. Postea cùm Galerius Italiam peteret, ille jugulatus est, & deinde relatus ad octavum milliarium, conditus in Galieni monumento.* Ex quo loco collegit Henricus Valesius falli Eutropium & Aurelium Victorem, qui Severum Ravennæ occisum esse scribunt. De loco igitur ubi Severus vitam finivit controvertitur inter eruditos. Nam Scaliger in animadversionibus ad Eusebium ait non dubitare se quin illæ Tres tabernæ in agro Ravennate fuerint, neque aliter colligi posse ex verbis Zosimi. Contrà Valesius contendit Tres illas tabernas fuisse in via Appia prope Romam. Parum autem probabile est, id quod Sigonius in libro secundo de occidentali imperio collegit ex Zosimo, Severum Maximiani fidem secutum Ravenna excessisse, atque ad Tres tabernas sese contulisse, haud dubia spe ductum urbem se Maximiani opera recepturum. Quam Sigonij opinionem secutus est Hieronymus Rubeus in libro secundo histor. Ravennatum.

VENIS INCISIS] Contrà Zosimus lib. II. & auctor fragmenti de Constantio Chloro scribunt, ut paulò antè vidimus, Severum fractis laqueo cervicibus expirasse.

CAP. XXVII. ADIVNCTO MAXIMINO] cognomento Daia vel Daza, qui orientem administrabat.

PROFICISCITVR IN GALLIAM] Huic narrationi fidem adstruit etiam Zosimus, tametsi in rerum erret ordine narrandarum, Herculium inquiens eo conatu frustratum quo Diocletianum pertrahere nisus erat ad resumendum imperium, rursum versus Alpes contendisse, ut commorantem ibi Constantinum conveniret, & filiam ei Faustam promisisse, eoque promisso impleto, fallere conatum hominem. Errat inquam Zosimus. Nam ex capite XXVII. & XXIX. Lactantij patet illum bis in Galliam profectum antequam Carnuntum peteret, & Diocletianum non vidisse nisi post nuptias Constantini & Faustæ. Atenim quod Lactantius & Zosimus aiunt Herculium Constantino filiam promisisse, aliter legitur in panegyrico incerti auctoris dicto in nuptiis Constantini & Faustæ, ubi scriptum est Constantinum eam postulasse à Maximiano. *Sed profectò sicut tuo, Constantine, socero antè est conciliata divinitas quàm ab eo pignus ipsi carissimum postulares, sic & nunc quoque in hac gratulatione priùs illa dicenda sunt quæ in te considerant tantus iste, & paterni & tui auctor imperij, lætatus est quòd petisti.* Vbi interim observandum est illud quod ait scriptor istius panegyrici, Herculium esse auctorem imperij Constantini. Qua de re vide quæ suprà dicta sunt ad caput XXV.

SVÆ MINORIS FILIÆ] Heic admoneri convenit mendosè in veteri codice scriptum esse, *sic minoris familia.* Intelligit autem Faustam. Sed inquirendum est in tempus quo nuptiæ Constantini & Faustæ celebratæ sunt. Certum est Severum Augustum extinctum fuisse anno Christi CCCVII. ineunte. quamquam de mense non constat. Postea Maximianus Herculius Faustæ pater in Galliam profectus est, ut Constantinum partibus suis conciliaret, promissis illi Faustæ minoris filiæ nuptiis; eoque promisso impleto, ut Zosimus ait, persuadere conabatur Constantino ut discedentem ex Italia Galerium Maximianum persequeretur. Ex quibus verbis colligitur nuptias fuisse celebratas eo tempore quo Galerius erat in Italia, vel certè quum in procinctu esset Italicæ expeditionis. Cùm autem ille in Illyricum ex Italia redux fuerit anno eodem CCCVII. ante mensem Septembrem, ut opinor, & ex capite XXVIII.

istius libri Lactantiani constet Herculium Romam iterum profectum post fugam Galerij, ac cùm rursum eodem anno rediisset in Gallias, ibi aliquantulùm moratum esse, & postea in Illyricum ad urbem Pannoniæ Carnuntum venisse, ibique fuisse III. Idus Novembris, quo die Licinius à Galerio factus est Imperator, manifestum est Constantini & Faustæ nuptias aliquanto tempore ante mensem Septembrem anni CCCVII. coiisse. Si certa essent quæ de Constantini initiis dicuntur à R. P. Petro Francisco Chiffletio in Notis ad Vigilium Tapsensem, non opus esset ea inquisitione in qua nos hactenus exercuimus. Is enim contendit nuptias Constantini cum Fausta & initium augustæ dignitatis in eum collatæ à Maximiano socero evenisse VIII. Kalendas Augusti anni CCCVII. eadem nimirum auctoritate qua Constantinum scribit primò Cæsarem factum à Galerio anno CCCV. VIII. Kalendas Augusti, & rursum Cæsarem declaratum VIII. Kalendas Augusti anni CCCVI. secundùm obitum patris. Sed quia hæc à viro clarissimo non probantur, necessaria fuit ea cura quam nos adhibuimus in investigando tempore istarum nuptiarum.

ILLE INTEREA] Galerius Maximianus. Ceterùm totum hunc apparatum Galerij sic paucis perstringit Zosimus. *Quum autem Maximianus Galerius haud æquo tulisset animo quæ in Severum Cæsarem designata fuerant, ab oriente Romam eundum statuit, & admissorum nomine meritas Maxentio pœnas irrogandas. Vt in Italiam adpulerat, parum fidos erga se militum animos sentiens, ad orientem nullo commisso prælio rediit.*

POPVLVM TRVCIDATVRVS] Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Dehinc Galerius cum ingentibus copiis Romam venit, minatus civitatis interitum, & castra Interamnæ ad Tiberim posuit. Tunc legatos ad urbem misit Licinium & Probum, per colloquium petens ut gener apud socerum, id est, Maxentius apud Galerium precibus magis quàm armis optata mercaretur. Qui contemptus agnovit promissis virorum Maxentij partes suas deseruisse. Quibus perturbatus, retro versus est; & ut militi suo prædam quamcunque conferret, flamminia jussit auferri.* Quid sibi velit hoc loco vox *flamminia* nescire se fatetur Henricus Valesius, & deesse heic nonnulla putat quæ ad Maximianum Herculium pertinebant. Ego potiùs existimaverim postrema hæc verba pertinere ad ea cum quibus conjunguntur, ut sensus sit Galerium, *ut militi suo prædam quamcunque conferret*, id est, ut summam & nullis legibus coërcitam prædandi licentiam daret, etiam

ea flammis tradi jussisse quæ auferri non possent; *ut si quis insequi voluisset, utensilia*, id est, res ad victum necessarias, *non haberet*, ut mox dicet Lactantius. Itaque scribendum censeo *flammis omnia* pro *flamminia*, ob vulgatum errorem librariorum, qui frequenter primas vocabulorum syllabas omittunt. Et admissus fortassis error ab eo qui quum heic *flammonia* vel *flammomnia* vidisset scriptum, neque satis intelligeret quid hoc vocabuli esset, sciret porrò veteres flamonium dixisse pro flaminio, emendandam putavit hanc vocem reducendamque ad suam originem. Nam & veteres glossæ Isidori & aliorum, tum etiam Sidonius, & duæ veteres inscriptiones quas ex Gruteri thesauro descripsit Iacobus Gothofredus ad l. XXI. Cod. Theod. De Decurionibus, & harum unam Savaro & Sirmondus ad Sidonium, flamonium dicunt pro flaminio. Scio inelegantem prosùs locutionem esse neque dici solere flammis rem quampiam auferri. Sed in auctore horum excerptorum non requirimus elegantiam sermonis.

FVGAM CAPESSIVIT] Hadrianus Valesius in libro primo rerum Franciarum scribit Licinium creatum Cæsarem à Galerio fuisse anno CCCVIII. eique tutela Illyrici delegata, Galerium cum maximis copiis ingressum Italiam, Maxentium generum suum Romæ obsedisse, & ante Maximiani Herculij ab urbe repulsum esse. Ostensuri postea sumus Licinium factum Imperatorem post reditum Galerij ex Italia. Nunc verò id tantùm observandum, parum probabile videri quod ait vir clarissimus, Galerium ante Maximiani Herculij ab urbe repulsum esse, cùm ex capite XXVII. & XXVIII. Lactantij certò constet illum in Galliis apud Constantinum fuisse per totum illud tempus quo Galerius fuit in Italia. quod etiam colligi facilè potest ex verbis Zosimi.

OPPRIMI POTVIT] Apud Zosimum Herculius dicitur persuadere voluisse Constantino ut discedentem ex Italia Galerium persequeretur. Sed cùm ille natura inquietus & infidus esset, non mirum si Constantinus ejus consilia sprevit.

TITVLVM IMMVTARI] Hæc alibi non leguntur. Et mirùm est ab aliis historias prætermissa fuisse.

DACISCVM] quòd ipse natus esset ex Dacia.

CAP. XXVIII. MAXIMIANVS ALTER] cognomento Herculius, qui resumpserat imperium, illudque habebat commune cum filio Maxentio.

PRIOR FILII POTESTAS] ratione nimirum ha-

bita novi imperij. Nam pater depoſuerat antea imperium & in privatam vitam conceſſerat. Poſtea in conſortium imperij adſcitus fuerat à Maxentio, qui ad eum purpuram miſit, & bis auguſtum nominavit.

MILITES E. Q. SEVER. RELIQ.] id eſt, milites ex veteri Maximiani Herculij exercitu, à Galerio miſſi cum Severo ad expugnandum Maxentium, qui tranſlatis ſignis, Severum deſerentes, ſe Maxentio tradiderant. Hos, quia ſui olim fuerant, exiſtimabat Maximianus ſibi adhæſuros.

DIRIPVIT PVRPVRAM] Eutropius lib. x. *Herculius tamen Maximianus poſt hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, ſeditionem & convitia militum tulit.* Incerti panegyricus Conſtantino dictus poſt devictum Maxentium: *Ipſe denique qui pater illius credebatur, diſſiſſam ab humeris purpuram detrahere conatus &c.* Apud Socratem lib. I. cap. II. legitur Herculium recuperandi imperij cupiditate raptum, conatum eſſe interficere ſive de medio tollere filium ſuum Maxentium. Ita quidem verſiones Chriſtophorſoni & Valeſij, propter vocem ἀποκτεῖναι, quæ varias ſignificationes habet. Meliùs, ut arbitror, Epiphanius ſcholaſticus: *Hinc ejus pater imperandi cupidine voluit filium regno privare.* Nam iſta interpretatio meliùs congruit cum narratione Lactantij & aliorum.

SVPERBVS ALTER] id eſt, Tarquinius ſuperbus Rex Romanorum ultimus. Lactantius lib. IV. inſtitut. cap. XIV. *Tarquinius ſuperbus exactus eſt.*

MAXIMIANVM] Galerium.

CAP. XXIX.

ADERAT IBI DIOCLES] Aurelius Victor loquens de fuga & exitu Severi: *Hoc acrior Galerius, adſcito in conſilium Iovio, Licinium vetere cognitum amicitia Cæſarem creat Auguſtum; eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciæ relicto, Romam contendit.* Sed in hoc erraſſe convincitur Victor quòd ait Licinium creatum eſſe Auguſtum poſt mortem Severi & antè quàm Galerius exercitum in Italiam duceret adversùs Maxentium; cùm è contrà teſtimonio Lactantij & aliorum certum ſit Licinium factum eſſe Imperatorem in locum Severi poſt reditum Galerij ex Italia, & eam tum Galerio mentem fuiſſe, quum imperium Licinio tribueret, ut eo uteretur in bello quod ſuſceperat adversùs Maxentium. Zoſimus: *Maximianus Galerius ex ſocietate ſuperiorum temporum familiarem ſibi Licinium Imperatorem creat, quòd ejus opera bello Maxentium perſequi cogitaret.* Auctor fragmenti de Conſtantio Chloro pag. 473. *Licinius itaque ex nova Daciæ vilioris originis, à Galerio factus Imperator velut adver-*

sùm Maxentium pugnaturus. Et tamen Victor eum ait in Illyrico relictum eo tempore quo Galerius maximè cogitabat de bello Italico. Sed id quoque falsum esse necesse est, cùm auctor ejusdem fragmenti pag. 472. scribat Licinium fuisse in exercitu Galerij Romam obsidentis, & ab eo missum in urbem cum Probo ut viam aliquam invenirent concordiæ inter socerum & generum. Quæ etiam evincunt privatum adhuc fuisse, adeoque nondum Imperatorem. Vt mirum valde sit virum doctissimum Hadrianum Valesium sequutum in hac historia scribenda fuisse Victorem potiùs quàm ceteros auctori istius fragmenti consentaneos.

QVOD ANTE NON FECERAT] nimirum ut Licinium faceret Imperatorem. Quod facere jam tum poterat quum Severum & Maximinum fecit Cæsares; sed noluerat, propter rationes suprà allatas in capite vigesimo.

IMPERIVM LICINIO DARET] Digladiantur inter se viri docti in constituendo anno quo Licinius factus est Imperator, quibusdam id evenisse censentibus anno Christi CCCVII. aliis sequenti. Ego utrorumque rationes adferam. Qui priorem sententiam tuentur, his argumentis aut utuntur aut uti possunt. Anno Christi CCCVII. mota sunt arma adversùs Maxentium, qui fine anni superioris imperium invaserat; & Severus Cæsar Augustus, qui ad expugnandum eum Romam accesserat missus à Galerio Maximiano, repulsus ac postremò miserabili mortis genere extinctus est anno secundo imperij sui, ut legitur in Chronico Eusebij, id est, anno Christi CCCVII. ante Kalendas Maias, quibus biennio antea factus fuerat Cæsar ab Herculio Maximiano. Ita Onuphrius Panvinius in commentario ad librum secundùm Fastorum, ad annum V. C. MLIX. qui congruit cum anno Christi CCCVII. *Hoc anno circa Kal. Maij Severus, qui à Galerio Cæsar per Italiam & Africam creatus fuerat, quum adversùm motum prætorianorum atque Maxentij Romam cum exercitu venisset, militum suorum scelere desertus, ipseque fugiens, altero imperij anno Ravennæ interfectus est.* Accensus ea ignominia Galerius, in quem hoc dedecus recidebat ut in auctorem belli, incredibili celeritate ex Illyrico Romam cum immenso exercitu advolat, & ex Italia in Illyricum revolat inglorius, totum illud terrarum spatium bis emensus intra quinque aut sex utplurimùm menses, de castigando pellendoque Maxentio eò acriùs cogitans quòd vincere suetus, nunc cum ingenti dedecore coactus erat terga vertere. Ea de causa Licinium post reditum ex Italia creat Imperatorem, destinans eum Italiæ ad-

versùs Maxentium. Acta hæc III. Idus Novembris, ut legitur in Fastis Idatianis & in Chronico Alexandrino. Sed quamvis hi duo libri consentiant de die, de anno tamen non conveniunt. Nam Chronicon Alexandrinum initia imperij Liciniani refert ad annum quo Fl. Constantinus Augustus solus Consul fuit, Fasti ad annum sequentem, qui sic notatur: *Item decies & Maximiano* VII. Quo etiam modo, ut hoc obiter moneam, Græca illa, παλινδεκάτῳ, quæ leguntur in Chronico Alexandrino, vertenda sunt, pro eo quod Raderus vertit *Palindecato*, coactus admonere in margine hæc intelligenda esse de decimo Diocletiani consulatu. In quo sanè lapsus est vir eruditissimus. Nam si Diocletianus decies Consul fuit, decimus ejus consulatus incidit in annum Christi CCCV. ut suprà vidimus. Itaque hic locus intelligendus est de decimo Maximiani Herculij consulatu, qui tum imperium resumpserat. Sed his omissis, ad quæ per transennam tantùm & quasi aliud agendo animum advertimus, persequamur argumenta quibus probari potest Licinium factum esse Imperatorem anno Christi trecentesimo septimo. Certum est Constantinum fuisse factum Imperatorem post mortem partris anno Christi CCCVI. mense Iulio exeunte. Itaque primus imperij ejus annus finitus est eodem mense Iulio anni sequentis. Cùm autem Eusebius in Chronico imperatoriam Licinij dignitatem ponat in anno secundo imperij Constantini, dubium non est quin secundùm Eusebij testimonium ejus initia referenda sint ad annum CCCVII. exeuntem. Denique si tribunitia potestas Imperatorum illius ævi numerabatur à die quo imperium adepti erant, ut placet viris eruditissimis, hinc etiam confirmatur Licinium factum esse Imperatorem anno Christi CCCVII. cùm in edicto quod Galerius moriturus edidit anno CCCXI. in gratiam Christianorum, quod verò Nicomediæ propositum est pridie Kalendas Maias, adnotatus sit annus quartus tribunitiæ potestatis Licinij apud Eusebium in editione Valesij & apud Nicephorum. Atqui si annos Licinij colligas, & illos à mense Novembri anni CCCVII. incipias, nullo negotio reperies annum CCCXI. fuisse quartum tribunitiæ ejus potestatis, adeoque etiam imperij. Et hæc sunt quæ dici possunt pro confirmanda eorum opinione qui arbitrantur Licinium anno CCCVII. evectum ad dignitatem imperatoriam. Sed adversùs hæc reponi potest magnam esse auctoritatem Fastorum Idatianorum, in quibus historia illa refertur ad annum sequentem, & meritò. Primùm enim non potuisse Galerium Maximianum sic raptim &

præcipitanter proficiſci in Italiam cum ingentibus copiis, Romam obſidere, ac reducere exercitum in Illyricum ut omnia facta dici poſſint intra quinque aut ſex menſium ſpatium, adeoque probabilius videri exceſſum Galerij ex Italia contigiſſe anno trecenteſimo octavo. Præterea credibile non eſſe Maximianum Herculium, hominem ſenem, qui apud Carnuntum cum Diocletiano erat eo tempore quo Licinius factus eſt Imperator, intra ſex menſium ſpatium Italiam Galliaſque emenſum eſſe, nuptias Conſtantini & Fauſtæ celebraviſſe, rurſum in Italiam rediſſe poſt fugam Galerij, tum etiam iterum in Galliam, & hinc in Pannoniam profectum ad Diocletianum. Denique in Epitome Victoris legi Maximinum Dazam Cæſarem quadriennio fuiſſe, Auguſtum triennio. Cùm autem ille factus fuerit Cæſar anno CCCV. Kalendis Maiis, conſequens eſſe ut Cæſaris nomine contentus fuerit uſque ad annum CCCVIII. exeuntem. Alioqui quadriennio Cæſar non fuiſſet, ſed triennio, ſi Licinius factus fuiſſet Imperator anno ſuperiore. Iſta quidem magnum momentum habere ſtatim videntur. Sed profectò ſi conſideremus ſtatum reipublicæ illius temporis, ingenium Galerij ferox, iracundum, præceps, & ſuperbum, inſtabilitatem & perfidiam ac mobilitatem Herculij, quæ ſanè vitia ſemper eos præcipitant quibus inhærent, quia in animis hominum potentiora virtutibus ſunt, ut ait Lactantius in libro primo divinarum inſtitutionum, facilè intelligemus ea quæ primo intuitu ferè impoſſibilia videntur, fieri tamen potuiſſe ab hominibus inquietis & ſummum imperium retinere cupientibus. Nam, exempli gratia, Illyricum, ubi Galerius habitabat, Italiæ adjacet; adeoque facile illi fuit in Italiam venire & dein recedere, etiam cum exercitu, intra illud ſex menſium ſpatium quod diximus; præſertim cùm ex Zoſimo & auctore fragmenti de Conſtantio Chloro intelligamus illum ex Italia diſceſſiſſe nullo commiſſo prælio, hoc eſt, parvam ejus in Italia moram fuiſſe. Herculium verò, cupidum imperij, quod invitus depoſuerat, quis miretur tanta celeritate tot itinera feciſſe, quem dubium non eſt illa feciſſe abjecta omni cunctatione ac tarditate? Solvebat à Roma, & mare trajiciens, cùm Maſſiliam perveniſſet, citò ad Auguſtam Trevirorum, ubi ſedes erat Conſtantini. Quæ omnia itinera confici profectò poſſunt intra menſem ab homine diligenti. Poſtea aliquanto tempore apud Conſtantinum fuit occaſione nuptiarum. Menſe dein altero ei opus fuit ad redeundum in Italiam, unde brevi pulſus eſt. Adde alium menſem pro ſecunda profectione in Gallias, ubi non

multùm moratus est, & mensem pro itinere ab Augusta Trevirorum usque ad Carnuntum in Pannonia. Patet jam totum hunc numerum mensium satis congruere spatio temporis quod fluxit à morte Severi (nam tum primò Herculius in Galliam profectus est) usque ad diem tertium Idus Novembris, quo die Licinius factus est Imperator. Immo suspicor Severum diù ante Kalendas Maias occisum esse, nimirum mense Februario. Nam in veteri Kalendario quod Hervvartus edidit, natalis Constantini notatur pridie Kalendas Apriles. Quod quum de die quo factus est Cæsar interpretari debere putaverit vir eruditissimus, ego crediderim intelligendum esse de eo die quo Maximianus Herculius eum nuncupavit Augustum. quod quidem evenisse anno CCCVII. nullus, ut opinor, dubitandi locus esse potest. Itaque si Maximianus exeunte Martio Constantinum dixit Augustum, jam pro sex mensibus, quos ab exitu Severi usque ad imperium Licinij numerabamus, habemus ferè novem, intra quos utrique Maximiano facile fuit hos cursus & has peregrinationes conficere de quibus antea diximus. Porrò natalem Constantini pridie Kalendas Apriles non posse referri ad diem quo factus est Cæsar hinc puto colligi quòd aut factus fuit Cæsar cum Severo & Maximino, aut quum perveniisset ad patrem, aut certè quum Cæsar nuncupatus est à Galerio. Atqui jam ostendimus factum non fuisse Cæsarem cum Severo & Maximino. Quod tamenetsi factum fuisset, tamen natalis ille non posset congruere, cùm constet Severum & Maximinum fuisse factos Cæsares, non pridie Kalendas Apriles, sed Kalendis Maiis. Non potest etiam congruere tempori quo patri successit, quum id evenerit exeunte mense Iulio. Congrueret ergo tantùm huic tempori quo Constantinus à Galerio factus est Cæsar. Verùm ne illud quoque incidet in pridie Kalendas Apriles. Quippe ambigi non potest quin laureata Constantini imago ad Maximianum perlata sit statim atque ille in locum Constantij patris successit, id est, exeunte Iulio, non secus ac ejus imago Romam statim adlata est. quod quidem occasio fuit Maxentio invadendi imperij, ut Zosimus docet in libro secundo. At si exeunte Iulio nuntius accepti à Constantino imperij perlatus est ad Galerium, cùm Lactantius non doceat moram fuisse in mittenda purpura ad Constantinum, par est credere & Cæsarem factum & purpuram missam intra eundem annum quo imago adlata est, atque adeo diù ante mensem Martium. Et certè rationi consentaneum est ut dies accepti summi fastigij adnotatus sit in Kalendario: quem si

non referas ad pridie Kalendas Apriles, nullibi notatus reperietur dies quo Constantinus Imperator & Augustus dictus est. Quod attinet ad auctoritatem ex Epitome Victoris allatam, ea non officit his quæ hactenus dicta sunt. Nam multa sunt in hac Epitome quæ non cohærent, nominatim verò in hoc loco, ubi septem tantùm imperij annos tribuit Maximino, quem certum est imperasse per annos octo integros & aliquot menses. Postremò redeundum nobis est ad tribunitiam potestatem, quæ magnum momentum habet in hoc negotio. Quòd quum intelligeret vir clarissimus Henricus Valesius, qui contendit Licinium anno tantùm CCCVIII. factum esse Imperatorem, huc descendit in annotationibus ad Eusebium pag. 171. ut fateatur observationem de tribunitia potestate incommodare sententiæ suæ de initiis Licinij, coactus etiam edictum illud, in quo quartus annus tribunitiæ potestatis Licinij annotatus est, rejicere ad exitum anni CCCXI. ut sic inveniret annum illum quartum tribunitiæ potestatis Licinij. Sed ruit conjectura illa, cùm ex Lactantio constet edictum illud propositum fuisse Nicomediæ pridie Kalendas Maias & Galerium obiisse paulò pòst. Itaque etiam ex illa eruditissimi viri observatione colligimus verissimam esse illorum sententiam qui Licinium anno Christi CCCVII. putant creatum fuisse Imperatorem. Hinc etiam puto confirmari posse Licinium fuisse factum Imperatorem anno CCCVII. quòd Maximianus Herculius & Galerius Maximianus consulatum simul gessisse reperiuntur anno sequenti, & quòd deinceps bellatum non fuit adversùs Maxentium Herculij filium. Concordiam enim, quæ postea inter eos fuit, illo tempore constitutam fuisse oportet quo Herculius & Galerius simul fuerunt apud Carnuntum, cùm videamus Galerium tum maximè de bello adversùs Maxentium gerendo consilia agitasse quum Licinium provehere destinabat ad principale fastigium, & hunc ardorem statim deferbuisse post promotionem ejus. Quòd si consulatus ab Herculio & Galerio, quod negari non potest, communi consensu susceptus est post amicitiam inter eos conglutinatam apud Carnuntum, cùm is in annum Christi CCCVIII. inciderit, manifestum est Licinium exeunte anno CCCVII. factum fuisse Imperatorem. His ita constitutis, reliquum est ut de alia difficultate quæ heic occurrit, an nimirum Licinius primùm factus fuerit Cæsar, ac postmodum Augustus, ut placuit quibusdam, an verò uno eodemque tempore Cæsar & Augustus, ut alij volunt, nonnulla dicamus. Res est quæ facilè decidi potest vel unico Lactantij testimonio,

testimonio, qui imperium Licinio ac primum locum post Galerium datum fuisse scribit, etiam supra Maximinum. quod etiam confirmatur auctoritate Eusebij, ut ostendemus paulò pòst. Itaque difficultas illa non indiget ampliori examine. Orta autem est ex malè intellecto Aurelij Victoris loco ubi agit de Licinio facto Cæsare & Augusto. Vide Scaligerum in animadversionibus ad Chronicon Eusebij.

VTROQVE PRÆSENTE] nimirum Diocletiano & Maximiano Herculio, ut mox dicemus. Venerat Herculius ad Diocletianum, ut Zosimus ait, id temporis Carnunti degentem, ut eum impelleret ad resumendum imperium; sed venerat è Gallia, ut docet Lactantius, non verò ex Italia, ut putavit Cluverius, qui in libro de Vindelicia & Norico cap. v. scribit, auctore, ut ipse ait, Zosimo, Herculium è Lucania Italiæ regione Carnuntum ad Diocletianum profectum fuisse, ac per Ravennam transiisse in eundo & redeundo. Quod utrumque procul dubio falsum est. Nam, ut dixi, Herculius è Gallia profectus est Carnuntum, ubi reperit Diocletianum, & ab eo discedens, in Galliam reversus est; ut etiam colligi potest ex panegyrico quem Eumenius Constantino dixit, ubi varios Herculij errores recto ordine recenset, hoc modo: *Fati necessitas tulit ut ille pietati tuæ hanc referret vicem, quem tu ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti.* Rectè inquam. Nam quum filium Maxentium denudare ac regno privare vellet, exactus ab urbe, pulsus Italia, ad Constantinum confugit. Dein in Pannoniam Illyrici provinciam profectus est ut Galerio strueret insidias; ibique Diocletianum, quem antea per literas frustra tentasse colligi potest ex Eutropio, hortatus ad resumendum imperium, cùm nihil suis suasionibus effecisset, impeditis consiliis, ut Lactantius ait, tertiam fugam molitus, rediit in Galliam. Quæ ita ut in panegyrico leguntur gesta esse probat Lactantius. Memorabilis autem in primis est vox Diocletiani imperium respuentis, quum ad illud resumendum eum hortarentur Herculius & Galerius. Epitome Victoris: *Dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: Vtinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta. Profectò nunquam istud tentandum judicaretis.* Itaque ex hoc Lactantij loco habemus, quem antea nesciebamus, annum quo Herculius ad Diocletianum profectus est, eum nempe quo Licinius factus est Imperator. Cetertùm heic observandum est errasse Arnaldum Pontacum

Episcopum Vasatensem in Notis ad Chronicon Eusebij pag. 678. & Iosephum Scaligerum in libro quinto de emendatione temporum pag. 497. postremæ editionis; ubi redarguentes Zosimum, qui dixerat Diocletianum conventum ab Herculio fuisse Carnuti Celtarum oppido, aiunt id falsum esse, cùm Diocletianus post abdicatum imperium nunquam pedem posuerit in Gallia, imò non extulerit Salonis Dalmatiæ. Prima pars observationis vera est, nempe Diocletianum nunquam pedem posuisse in Gallia post abdicatum imperium. Sed tamen fuit Carnunti in Pannonia, ubi eum Herculius convenit. Et pedem eum extulisse Salonis patet ex responso ejus quod paulò antè retulimus: *Vtinam Salonæ possetis visere olera.* Nam si tum quum hæc dicebat, fuisset Salonæ, locus non erat huic exclamationi. Itaque longè aberat à Salonis. Graviùs etiam errat vir doctissimus Ioannes Morinus in parte secunda libri de Ecclesia per Constantinum liberata cap. 1. pag. 126. 129. & cap. 111. pag. 153. ubi scribit Maximianum Herculium ea scripsisse ad Diocletianum quæ dicta, non scripta, esse jam vidimus, & longam confingit epistolam ad eum scriptam, cujus nullum vestigium extat apud veteres, & Diocletianum, post acceptam epistolam illam, brevi eam responso dignatum esse quod nos retulimus ex Epitome Victoris. His ita constitutis, videndum est an vera esse possint quæ à viro clarissimo Hadriano Valesio in libro primo rerum Francicarum pag. 22. dicta sunt de profectione Maximiani Herculij in Illyricum & de discessu ejus. Ait ergo Herculium, quum videret omnes Romani imperij provincias teneri à Galerio, Maximino, Maxentio, & Constantino, adeoque nusquam sibi locum consistendi esse, nec se sine provinciis & sine exercitu imperatoriam dignitatem tueri diutiùs posse, iterum cessisse imperio postquam annos circiter duos insignia principatus retinuerat, cùmque se odio esse Maxentio & ejus militibus sciret, à Galerio petiisse sibi ut per filium ex Vrbe & Italia expulso in Illyrico reliquum vitæ agere privato liceret, repudiatumque ab Galerio anno secundo post consulatum suum decimum & Galerij septimum, sub specie officij, velut visendi Constantini generi sui gratia, in Galliam profectum, à Maxentio se pulsum simulantem. Hæc sunt enim omnino verba viri clarissimi. Primùm illud stare non potest quod ait Herculium cessisse imperio antequam proficisceretur in Illyricum, quandoquidem Lactantius docet id ab illo factum esse postquam ex Illyrico rediisset ad Constantinum. Deinde certum est eum ad Galerium profectum intra primum an-

num resumpti imperij, non verò postquam annos circiter duos insignia principatus retinuerat. Nam purpuram resumpsit anno Christi CCCVI. exeunte, & sequenti profectus est in Illyricum mense, ut tardiùs, Octobri. Quod autem ait eum petiisse à Galerio ut sibi in Illyrico reliquum vitæ agere privato liceret, cùm id apud neminem alium reperiam, puto Valesium paraphrasticè traxisse ex illis Eumenij verbis ubi legitur Herculium ab Illyrico repudiatum, tamquam si aliter repudiari non potuisset quàm negata ei habitatione Illyrici. Verus autem verborum Eumenij, ut ego quidem arbitror, sensus hic esse debet, ut ab Illyrico repudiatus dicatur, quia illic, ut diximus, suasionibus suis efficere non potuit ut Diocletianus resumeret imperium. Neque verò repudium illud contigit anno secundo post consulatum decimum Herculij, id est, anno Christi CCCX. ut putat Valesius, sed statim post conlatam in Licinium dignitatem imperatoriam. Siquidem Lactantius de discessu ejus ab Illyrico sic scribit tamquam de fuga desperata, adeoque de discessu subito & præcipiti profectione. Denique reditum Herculij ad Constantinum sic narrat Valesius tamquam si nondum ille Constantinum vidisset post exactionem suam ab urbe Roma, adeoque apud eum conquestus non fuisset de filij sui crudelitate adversùm se; cùm tamen certò sciamus ex Lactantio Herculium Roma profugum venisse primò in Galliam ad Constantinum, & hinc in Illyricum ad Galerium & Diocletianum, & ab isto repudiatum rediisse in Galliam ad Constantinum.

VTROQVE PRÆSENTE] Diocletiano nimirum & Maximiano Herculio. Vnum heic occurrit examinandum, an istorum præsentia trahenda sit ad consensum, præsertim cùm ista agerentur à Galerio, homine admodum pervicaci ac superbo, & qui stricto velut ense supplicare suetus erat, & an consensus ille trahendus rursum sit ad ceteros penes quos reipublicæ potestas erat. Nam id dicere videtur Eusebius lib. VIII. cap. XIII. Λικίνιος δὲ ὅτι τοῦτο ὑπὸ κοινῆς ψήφου τῶν κρατούντων αὐτοκράτωρ καὶ σεβαστὸς ἀναπέφανται. Hunc locum interpretes in varios sensus traduxerunt. Et Ruffinus quidem ita vertit: *Sed & Licinius communi omnium sententia adscitus in imperium, Augustus pronuntiatur.* Musculus: *Licinius verò communi sententia potentatuum & ipse Imperator & Augustus creatur.* Christophorsonus: *Licinius deinceps communi eorum suffragio & consensu penes quos summa potestas erat, Imperator & Augustus declaratur.* Denique Valesius: *Licinius communi Imperatorum suffragio Imperator*

& Augustus declaratus est. Ruffinus igitur in ambiguo relinquit quos intelligi velit. Neque clarius se Musculus explicat, quid potentatuum vocabulo significare velit incertum relinquens. At Christophorsonus & Valesius apertè pronuntiant id factum esse communi Imperatorum sive eorum penes quos summa potestas erat suffragio. Verùm ista interpretatio plurimum habet difficultatis. Nam cùm istud consilium præcipitanter, ut palam est, captum à Galerio sit, temporis angustiæ non permiserunt ut Cæsarum qui in provinciis erant consensus expeteretur, & non erat hic mos Galerij. Præterea certò colligi potest ex Eusebio & Lactantio, uti postea dicemus, neque Maximinum neque Constantinum interrogatos fuisse. Neque probabile item est Maxentij consensum fuisse requisitum, adversùs quem bellum parabatur. Reliquum igitur est ut hic Eusebij locus intelligatur de Imperatoribus, nimirum de Diocletiano veterano Rege, de Maximiano Herculio, qui tum imperium resumpserat, & de Galerio Maximiano. Nam hi tres tum erant Carnunti quum Licinius factus est Augustus. Itaque verum non est omni ex parte quod heic ait Eusebius, Licinium factum esse Imperatorem & Augustum communi eorum consensu qui tum rempublicam possidebant.

SEX FVERVNT] nimirum Maximianus Herculius, Galerius Maximianus, Maximinus cognomento Daia vel Daza, Constantinus, Maxentius, & Licinius.

DEPONIT REGIAM VESTEM] id est, purpuram, & sic iterum ad vitam privatam rediit. Factum istud ab Herculio scribit Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 21. antequàm proficisceretur in Illyricum, id est, anno CCCVII. exeunte. Verùm repugnat Lactantius huic sententiæ, qui secundam Herculij abdicationem disertè revocat ad posteriora tempora, sed annum non indicat. Probabile tamen est id factum non ita multò post quàm ad Constantinum rediisset ex Illyrico, id est, anno CCCVIII. ineunte, ipso decies & Maximiano VII. Consulibus. Nam nulla deinceps facinorum ejus mentio habetur usque ad annum CCCX. quo interiit; & vir cupidissimus signandi annos per consulatus suos, Consul deinceps non reperitur fuisse.

QVOD IPSVM NON DECERET] Eumenius in panegyrico Constantini : *Talibus te pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum averterunt in se novi motus ejus hominis quem successibus tuis maximè favere decuisset.*

GENERVM SVVM] Constantinum, qui Faustam se-

nioris Maximiani minorem filiam paulò antè duxerat, eodem anno nimirum quo & Severus occisus & Licinius factus est Imperator. Incerti panegyricus Maximiano & Constantino dictus in nuptiis Faustæ: *O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti.*

GENERI FILIVM] Nam Constantius Constantini pater, repudiata, ut jussus erat, Helena, Theodoram duxit, quam nonnulli tradunt Herculij filiam fuisse, alij privignam.

RELICTA MILITVM PARTE] in potestate soceri sui Maximiani. Sed homo perfidus eos sollicitavit ad defectionem. Testis, præter Lactantium, Eumenius in Panegyrico quem postea dixit Constantino; ubi quum dixisset Maximianum genero suo pejerasse, statim addit: *Hæc est fides, hæc religio palatini sacrarij devota penetralibus, ut lentè & cunctanter, jam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis mansionum, ne quis consequi posset exercitus, repentè intra parietes consideret purpuratus, & bis depositum tertiò usurparet imperium, litteras ad sollicitandos exercitus mitteret, fidem militum præmiorum ostentatione turbare tentaret, securè scilicet usurus exercitu quem venales manus habere docuisset.* Istius loci sensum Livineius ait hunc esse, ut Maximianus Herculius intelligatur resumpsisse purpuram Arelati, quum urbe pulsus, Italia fugatus, ab Illyrico repudiatus, à Constantino est exceptus. Rectè sanè, quantum ad historiam. Sed nescio ubi invenerit acta hæc esse apud Arelatem. Neque enim id dicit Eumenius, sed tantùm eum se concluisse in civitate Arelatensi, quò eum persecutus est exercitus Constantini, & inde Massiliam postea fugisse. Mihi certum videtur Herculium purpuram, quam bis deposuerat, resumpsisse in ipsa civitate Treverorum aut non multò procul. Id mihi colligere videor ex his verbis Lactantij ubi ait eum paucis pòst diebus quàm Constantinus profectus erat adversùm Francos, cùm thesauros publicos invasisset, purpuram repentè sumpsisse, cùm æstimaret Constantinum intrasse fines barbarorum. Nam Francorum limes erat circa Danubium. Et thesauri publici, quos tum invasit Herculius, non alibi potuerunt esse quàm in Palatio Imperatoris, id est, in civitate Treverensi. Itaque Herculius non potuit intra paucos dies purpuram resumere Arelati, quæ longo intervallo distat à Treveris.

REFERT AD MARITVM] Eutropius lib. x. *Detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quæ dolum viro* CAP. XXXI

enuntiaverat, profugit Herculius Massiliam; ibique oppressus, pœnas dedit justissimo exitu. Fallitur Eutropius. Nam Herculius antè Massiliam profugerat quàm hunc dolum componeret, ut patet ex Lactantio. Graviùs etiam erravit Zosimus aiens Herculium, quòd Fausta conatum illius antevertisset ac rem totam Constantino indicasset, in desperationem rerum omnium adductum, apud Tarsum morbo extinctum esse. Confudit heic videlicet Maximianum cum Maximino, qui orientem tenebat, & qui pulsus à Licinio, apud Tarsum postremò in Cilicia obiit, ut adnotabitur infrà. Sed neuter dolum explicavit, quem retulisse videntur ad invasionem imperij. Vnus Eucherius Episcopus Lugdunensis in historia martyrum Agaunensium adnotavit Maximianum Herculium struxisse insidias Constantino ut ei vitam auferret. *Cùm dispositis insidiis*, inquit, *genero suo Constantino tunc regnum tenenti mortem moliretur, deprehenso dolo ejus, apud Massiliam captus, nec multò post strangulatus, teterrimoque hoc supplicio affectus, impiam vitam digna morte finivit.* Rectè sanè & consentaneè Lactantio. Meminit autem hujus Herculij perfidiæ ac dein mortis Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. XLVII. scribens alterum eorum qui se imperio abdicaverant, cùm insidias in necem Constantini pararet, deprehensum, turpissimo mortis genere interiisse. Hæc Eusebius, apertè designans Maximianum Herculium. Sed quoniam statim Eusebius tradit ejus quem ita interiisse scribit imagines & statuas omnes ubique terrarum dejectas esse, & hanc mortem describit longo intervallo post caput in quo egit de profligato Maxentio, huc descendit Valesius in annotationibus suis ut putaverit corruptum esse locum Eusebij, atque ita emendari debere ut Maximinus heic intelligatur, qui unà cum Severo factus est Cæsar. Maximinus enim interiit post victoriam quam Constantinus reportavit de Maxentio, & quidem mortis genere turpissimo, ut ex Eusebij libro octavo & nono colligi posse ait. Et hæc quidem vir doctissimus adnotavit ad hunc locum, quæ ego puto contra veritatem historiæ pugnare. Nam primò certum est Eusebium loqui de altero eorum qui se imperio abdicaverant. Quod de alio quàm de Maximiano Herculio intelligi non potest, qui secundum in imperio locum obtinebat, & cum Diocletiano se abdicavit. Id verò nullo pacto dici potest de Maximino, qui nullibi legitur abdicasse. Deinde ille de quo loquitur Eusebius, extinctus est quum deprehensus fuisset insidias parare in necem Constantini. Quam historiam ad Herculium referendam es-

se nihilo minùs certum est quàm certum est Constantinum insidiis appetitum ab Herculio fuisse. id quod & Lactantius in hoc libro & reliqui historici produnt uno consensu. Sanè utriusque imagines dejectæ post mortem eorum sunt, ut patet ex Eusebio. Narratio porrò de cæde Maxentij, quæ præcedit historiam mortis Herculij, nihil huic sententiæ officit. Eusebius enim (ut observat Socrates in initio suæ historiæ) in libris quos de vita Imperatoris Constantini conscripsit, pleraque obiter tantùm perstrinxit: quippe cui, ut in encomiis fieri solet, Imperatoris laudes & panegyricam orationem contexere magis curæ esset quàm res gestas accuratè commemorare. At in libro octavo historiæ ecclesiasticæ cap. XIII. ubi ordinem temporum sequitur, & ubi hæc eadem de Maximiano narrat quæ leguntur etiam in vita Constantini, docet ea non posse neque debere accipi de alio quàm de Herculio, cùm statim initio sequentis capitis dicat Maxentium ejus filium fuisse de quo antea loquutus est.

COMPONITVR SCENA] In manuscripto legitur *schena*. Facilis fuit emendatio. Apud Tacitum lib. XIII. annal. Agrippina Neronis mater sic loquitur: *Nunc per concubinum Atimetum & histrionem Paridem quasi scenæ fabulas componit*. Acta purgationis Felicis Episcopi Aptungitani: *Semper sic falsum per terrorem, per scenam, per irreligiosam mentem actum est ab his qui catholicæ Ecclesiæ consentire noluerunt*.

VIGINTI ANNOR. VOTA] id est, vicennalia, quæ cum Diocletiano Romæ celebravit.

ELISO GVTTVRE] Epitome Victoris: *Maximianus Herculius à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus, luit*. Orosius lib. VII. cap. XXVIII. *Herculius Maximianus in Galliam profectus est ut Constantino genero æquè dolis junctus auferret imperium; sed per filiam deprehensus & proditus, deinde in fugam versus, Massiliæ oppressus & interfectus est*. Aberrant autem in hoc loco omnes historici, qui in viam reducuntur à Lactantio. Pessimè Suidas, qui Diocletianum à senatu jugulatum esse, Maximianum verò se suspendisse scribit. Ista porrò Maximiani Herculij mors dicitur in Fastis Idatianis evenisse *anno secundo post consulatum decimum & septimum*, qui congruit cum anno Christi CCCX. Non est autem occisus à Constantino Maximianus *ob purpuram tertiùm sumtam*, ut putavit vir doctissimus Hadrianus Valesius, sed quia post violatum jusjurandum, post bellum civile commotum, post sollicitatos

milites, postremò Constantinum occidere voluerat, & occidisset si Faustam sibi consentientem habuisset.

CAP. XXXI. MAXIMIANVM ALTERVM] Galerium, cognomento Armentarium.

PERSECVTIONIS AVCTOREM] Ita etiam Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. LVIII. Rufinus lib. VIII. cap. XV. *Ille verò qui ei secundus in honore, postmodum etiam in primis successor fuit, qui & incentor ac signifer nostræ persecutionis extiterat.* & cap. XVIII. *Ipsum namque auctorem sceleris ultio divina corripuit.* Fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. *Tunc Galerius in Illyrico Licinium Cæsarem fecit. Deinde illo in Pannonia relicto, ipse ad Serdicam regressus, morbo ingenti occupatus sic distabuit ut aperto & putrescente viscere moreretur, in supplicium persecutionis iniquissimæ ad auctorem scelerati præcepti justissima pœna redeunte.* Vide Lactantium suprà cap. X. & sequentibus. Frustra ergo Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebij ait Galerium Maximianum nunquam persecutum esse Christianos, cùm bonus & laudabilis Princeps fuerit, eximius & fortis bellator. Atque heic eum meritò reprehendit Petavius in libro XI. de doctrina temporum cap. XXXIV. & lib. XIII. pag. 714.

ETIAM VIM MAIESTATIS] In hoc loco desiderantur aliquot litteræ in veteri exemplari, in quo ita legitur: *ut in eo et.....im majestatis ostenderet.* Nos ex vestigiis litterarum quæ perierunt conjecimus ita legendum esse sicuti se habet hæc editio. Et conjecturam nostram confirmat ipse Lactantius, cujus hæc sunt verba ex libro primo divinarum institutionum cap. III. *Quid quòd summa illa rerum potestas ac divina vis ne semel quidem dividi potest.* Et lib. III. cap. XVII. *Vim majestatemque veri Dei non intellexerunt.* Alibi virtutem dixit pro vi; ut lib. IV. cap. XXVI. *virtutem majestatemque Dei singularis interpretari.* & lib. VI. cap. IX. *virtutem ac majestatem Dei singularis enarrat.*

DE AGENDIS VICENNALIB.] ad exemplum Diocletiani, cujus imitationem affectabat, ita ut etiam de deponendo imperio aliquando cogitaverit. Sed tamen vicennalia non celebravit, extinctus antè quàm eorum agendorum tempus adesset.

VOTVM] Sic vocabant festa in quibus vota concipiebantur pro incolumitate & diuturna Principum vita, ut sicut vicennalia, exempli causa, celebrabant, sic dij tribuerent ut tricennalia celebrarent. Sed opus non est me plura dicere de hoc argumento, cùm nuper duo eruditissimi viri

Carolus Dufresnius & Henricus Noris hanc materiam abundè tractaverint, ille in dissertatione de numismatibus inferioris ævi, quæ post tomum tertium Glossarij edita est, alter in dissertatione chronologica de votis decennalibus, quæ edita est cum dissertatione de duobus nummis Diocletiani & Licinij. Vide etiam Casauboni Notas in Spartianum.

QVOD NON ERAT CELEBRATVRVS] Hic locus est magni momenti, cùm ex eo certò colligatur Galerium Maximianum non perveniſſe ad vigesimum annum imperij sui.

MAXIMINVS IRATVS] Eusebius lib. VIII. cap. XIII. quum dixisset Licinium & Imperatorem & Augustum factum fuisse, addit: *Quod quidem Maximinus ægrè admodum tulit, qui hactenus Cæsar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ ceteris tyrannico ingenio præditus, Augustus à semetipso renuntiatus est.* CAP. XXXII.

MITTIT ERGO] Galerius ad Maximinum, ut eum placaret.

DISPOSIT. SVAM SERVET] qua Licinium veterem contubernalem & victoriæ socium fecerat Imperatorem secundi loci.

DEFERAT CANIS] Dictum id propter Galerium, qui senex erat. Nam de Licinio non posse intelligi hinc patet quòd quum interiit, nondum erat sexagenarius. Epitome Victoris: *Hic Licinius annum dominationis ferè post quintumdecimum, vitæ proximè sexagesimum, occiditur.* In Fastis Idatianis occisus dicitur sub consulatu Paulini & Iuliani, qui in annum CCCXXV. incidit. Obiit autem sub finem anni. In fragmento de Constantio Chloro dicitur regnasse annos XIX. filio & uxore superstitibus. Quod verum ex omni parte non est. Nam ab anno CCCVII. exeunte usque ad annum CCCXXIV. quo ad vitam privatam mense Octobri rediit victus à Constantino, numerantur anni tantùm XVII. Quòd si anno CCCXXIV. quum ageret decimumseptimum imperij sui annum, nondum natus erat annum ætatis suæ sexagesimum, jam constat eum factum fuisse Imperatorem anno circiter ætatis suæ quadragesimo. Itaque quæ de canis hoic dicuntur, ad eum referri non possunt.

TOLLIT CÆSARVM NOMEN] non quidem ut nomen Cæsarum aboleret, quod Imperatores semper retinuerunt, sed ut ab eo deinceps abstinerent illi qui in spem imperij adoptarentur, & sic excluderetur Maximinus. Hunc puto hujus loci sensum esse.

MAXENTIVM] Ergo pax erat inter Galerium &

Maxentium, tum haud dubiè conciliata quum Herculius Carnunti esset cum Diocletiano & Galerio. Eutychius Patriarcha Alexandrinus tradit in annalibus suis ita inter Galerium & Maxentium divisum fuisse imperium ut Galerius Orientem & Syriam terramque Romanorum, id est, Thraciam & provincias Thraciæ conterminas, teneret, Maxentius verò Romam & ipsius territoria, id est, Italiam & Africam ac fortasse insulas.

CONSTANTINVM FIL. AVG.] Ex hoc præcipuè loco colligo consensum Constantini requisitum non fuisse quum Licinius factus est Imperator. Quippe probabile non est eum qui Imperator & Augustus dictus ab Herculio fuerat, qui filius & gener Augustorum erat, virum præterea spectatum militia, fortissimorum exercituum ducem, & victoriis multis insignem, passurum fuisse sibi præferri hominem novum. Et sanè nescio an ista sic ex omni parte successerint. Nam in edicto anni CCCXI. ubi tres Imperatores nominantur, Galerij quidem nomen, ut senioris Principis, primo loco ponitur, tum Constantini, deinde postremò Licinij. Quod indicat dignitatem istius passam esse aliquam contradictionem apud Constantinum, eamque non aliter sopitam quàm rejiciendo Licinium in tertium locum.

AVGVSTVM SE NVNCVPATVM] Singularis est huicque Lactantij scriptioni planè conveniens locus Ruffini ex libro IX. cap. V. ubi loquens de eodem Maximino ait: *Et quamvis ei agere cuncta ex sententia liceret, quippe qui jam sibi etiam Augusti inconcessam præsumpserat dignitatem, videri tamen vult quòd aliquibus justis hæc rationibus agat.* Confirmat Eusebius lib. VIII. cap. XIII. ubi quum dixisset Licinium Imperatorem & Augustum declaratum esse, addit: *Quod quidem Maximinus ægrè admodum tulit, qui hactenus Cæsar duntaxat ab omnibus appellabatur. Hic ergo præ cæteris tyrannico ingenio præditus, Augustus à semetipso renuntiatus est.*

CAP. XXXIII. DEC. ET OCT. ANNVS] Is est annus Christi CCCX. ut ostendit tempus mortis Galerij. Nam cùm ille inceperit ægrotare anno XVIII. imperij sui, ægrotaverit autem per annum perpetem, & obierit anno CCCXI. mense Maio, planum est annum octavum & decimum imperij ejus congruere cum anno Christi CCCX.

INSANABILI PLAGA] Lactantius lib. VII. institut. cap. XV. *Percussit Ægyptum Deus insanabili plaga.*

IN INF. PA. GENITALIVM] Vide Eusebium lib. VIII. hist. eccles. cap. XVI. & lib. I. de vita Constantini

cap. LVII. Ruffinum lib. VIII. cap. XVIII. fragmentum de Constantio Chloro pag. 472. & Orosium lib. VII. cap. XXVIII.

VERMES INTVS CREANTVR] Vide Eusebium lib. VIII. cap. XVI. & Orosium lib. VII. cap. XXVIII. Similem omnino historiam de Iuliano, qui avunculus Apostatæ fuit, narrant D. Ioannes Chrysostomus oratione in sanctum Babylam, Sozomenus lib. V. cap. VIII. & Theodoretus lib. III. cap. XIII.

DEVM COACTVS EST CONFITERI] Memorabile est quod hoc loco narrat Ruffinus lib. VIII. cap. XVIII. Referam autem ejus verba. *Denique plerosque medicorum*, inquit, *quòd nec morbo aliquid mederi nec vim fœtoris tolerare possent, interfici jubet. In quibus cùm quidam jugulandus potiùs quàm medicaturus assisteret, inspiratus à Deo, Cur, inquit, Imperator erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas posse revocari? Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare quanta in servos Dei egeris, quàmque in religionem divinam impius & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum ceteris potero, tu tamen à medicis non curaberis. Tunc primùm se Maximianus hominem esse intellexit &c.* Eandem historiam compendio perstringit Orosius lib. VIII. cap. XXVIII. & ex eo auctor historiæ miscellæ lib. XI. At Eutychius in annalibus tradit Maximianum sponte sensisse ac dixisse se ea pati quia Christianos interfecerit, & literas in omnes provincias suas dedisse ut Christiani qui in carceribus erant dimitterentur. Sed idem tamen in hoc graviter errat quòd eum ex hoc morbo convaluisse scribit precibus Christianorum, ac postea ad majorem impietatis gradum quàm antea prolapsum, Christianos ubique jussisse occidi & penitùs extirpari. Qui error ei evenit ex confusione nominum Maximiani & Maximini, dum uni tribuit quod à duobus factum esse constat. Fallitur etiam Sethus Calvisius, qui tum putat persecutionem decennalem quievisse post edictum illud mortemque Galerij, quum octavus tantùm persecutionis annus esset, ut suprà diximus.

EDICTVM MISIT] Extat apud Eusebium lib. VIII. cap. XVII. ex Latina lingua translatum ab eo in Græcum sermonem, & dein ex Græco versum in Latinum à Ruffino, ut ipse docet: *Hæc de Latino in Græcum versa nos rursum transfudimus in Latinum.* Quòd igitur hodie legimus prima Latina, beneficium est Lactantij.

AD BONAS MENTES RED.] Lactantius lib. V. CAP. XXXIV.

cap. XIX. ad hoc fortassis edictum respiciens: *Sed hæc ipsa ignoratio efficit ut in persequendis sapientibus tam mali sint, fingantque se illis consulere, illos ad bonam mentem velle revocare.* Acta sanctorum Saturnini, Dativi, & Felicis cap. VII. *Debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra præcepta Imperatorum & Cæsarum facere.*

VT NON VET. INST. SEQ.] Taxat Christianos quòd à prisca illa parentum suorum simplicitate defecissent. Eusebius sanè lib. VIII. cap. I. calamitosum Ecclesiæ illius ævi statum describens, invidias, obtrectationes, quasi bella intestina inter Christianos, antistitum adversùs antistites certamina, & cetera, quæ iram Dei adversùs ipsos excitarunt, hinc ortam esse ait persecutionem Diocletiani & Maximiani adversùs Ecclesiam. Vide etiam Ruffinum lib. eod. cap. I. & Lactantium initio libri de opificio Dei.

SIGNIFICATVRI SVMVS] Malè Ruffinus, *indicavimus*, rem quasi jam peractam narrans, cùm ad futurum referatur. Neque istud tribuendum est errori typographorum, cùm hanc lectionem exhibeant tres vetusti codices manuscripti bibliothecæ Colbertinæ. Christophorsonus & Valesius rectè verterunt *significabimus*.

ET SVA] Hæc verba omisit Ruffinus, quæ rectè alij posuerunt.

IN SEDIBVS] Ruffinus vertit *in laribus*, quemadmodum legitur in uno codice Colbertino. Sed alij & editiones habent *in laboribus*. Christophorsonus vertit *in suis familiis*, Valesius *in suis domiciliis*.

CAP. XXXV. PROPONITVR NICOMEDIÆ] absente nimirum Galerio Augusto, qui apud Sardicam ægrotabat. Itaque verum esse potest quod ait vir eruditissimus Henricus Valesius in annotationibus ad Eusebium pag. 171. hoc edictum emissum fuisse post initium anni CCCXI. ante mensem Martium. Nam anni Galerij Imp. consurgebant ex Kalendis Martiis.

IPSO OCTIES ET MAXIMINO IT. CONS.] In Fastis Maximianus dicitur Consul VIII. solus. Quod etiam tradunt auctor ignotus de Consulibus & auctor quoque de Pontificibus Romanis à Cuspiniano citati. At hèic additur Maximinus iterum. Quod valde mirum est, præsertim cùm de primo illius consulatu nulla uspiam mentio habeatur. Verùm dubitare non licet quin is iterum Consul fuerit, cùm luculentissimum de eo extet Lactantij testimonium.

APERTIS CARCERIBVS] Ruffinus lib. IX. cap. I. *Iudices verò per singulas civitates edicta mittentes, legemque*

præferentes, relaxari cunctos qui tenebantur in carcere, quique in metallis aut quibuslibet vinculis asservabantur, omnes abscedere liberos jubent.

CONIVGE SVA] Valeria Diocletiani filia. Hæc tamen non mansit in aula Licinij, ob ferociam ejus, sed ad Maximinum confugit, ubi pessimè habita est, ut videbimus infrà cap. XXXIX.

FILIO] Candidiano, de quo dictum est suprà cap. XX.

HORRENDA TABE CONSVMPTVS] Ruffinus lib. VIII. cap. XV. ait Galerium tam multis variisque morbis & corporis tabe atque insania mentis affectum esse ut *post longos atque inextricabiles langores scelerum suorum furiis agitatus, sponte vitam nefariam proderet*, id est, ut Orosius explicat in capite XXVIII. libri septimi, *vim vitæ sibi attulit.* Sed hæc vera non sunt. Mortuus autem est anno Christi CCCXI. quo inierat nonum & decimum imperij sui annum. Ita enim colligitur in primis ex Lactantio teste luculentissimo. Nam cùm ex capite XXXIII. constet Galerium ægrotare cœpisse anno decimo & octavo imperij sui, & morbum ejus duravisse per annum perpetem, ac postea illum deficientem anno sequenti edictum misisse ut Christianis liceret Deum publicè colere, mortuumque esse *cùm jam futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus*, clarum est eum non pervenisse ad annum vigesimum imperij sui, sed mortuum esse anno decimo nono. Consentit Lactantio Aurelius Victor in libro de Cæsaribus, ubi ait Galerium potentiam Cæsaris gessisse annos tredecim, quinquennio imperium tenuisse. *Huic quinquennij imperium*, inquit, *Constantio annum fuit, cùm sanè uterque potentiam Cæsarum annos tredecim gessissent.* Quod confirmatur auctoritate Eutropij in initio libri noni & ex Chronico Alexandrino pag. 651. ubi scriptum est Constantium, qui Cæsar cum Galerio factus est, & eodem die Augustus nuncupatus est quo Galerius, obiisse Eboraci in Britannia anno decimo tertio principatus sui, exacto videlicet, quum ab aliquot mensibus iniisset decimum quartum. Atqui suprà cap. XVII. probavimus Diocletianum & Maximianum deposuisse imperium anno Christi CCCV. Kalendis Maij. Itaque qui tum Cæsar erat ab annis tredecim, adoptatus fuerat anno Christi CCXCIII. Kalendis Martiis. Quòd si addas quinquennium seu potiùs sexennium imperij, facilè reperies consurgere numerum annorum novemdecim quibus eum imperasse colligitur ex Lactantio. Nam & auctor quoque fragmenti de Constantio Chloro pag. 472. eundem Galerium tradit

imperasse annos novendecim. Quod cùm videret vir clarissimus Henricus Valesius, persuasumque haberet illum regnasse per annos viginti & unum, sic locum fragmenti interpretatus est ut diceret annos quidem XIX. integros ac plenos imperasse Galerium, sed præterea duos semiplenos seu cavos. In constitutione sanè quam Lactantius suprà descripsit, quæ data est paulò ante mortem ejus, ipse se vocat Imperatorem XIX. apud Eusebium & Ruffinum. Scio eundem virum eruditissimum quem paulò antè nominavi ista ita interpretari ut hoc loco vox *Imperator* non significet dignitatem augustam. aliud enim illam in titulis Imperatorum significare quum primo loco ponitur, aliud quum subjungitur ceteris titulis. Nam vox *Imperator* quæ secundo loco ponitur, designat victoriam Imperatorum, & quoties post partam victoriam Imperatores ab exercitu appellati sint ostendit; ut docet Dio. Neque ego sanè disputare heic velim adversùs hanc interpretationem viri clarissimi. Illud tantùm volui monere, Galerium Imperatorem XIX. nominari in titulo illius edicti. Obiit autem Galerius, ut colligi potest ex Lactantio, mense Maio apud Sardicam. At Onuphrius Panvinius in commentario ad librum secundum Fastorum tradit eum obiisse circa mensem Septembrem. Meliùs Sigonius in libro secundo de occidentali imperio, ubi scribit Galerium vita excessisse non multò post XI. Kalendas Maias. In hoc tamen errat quòd tum Licinium imperij consortem & Augustum nuncupatum apud Carnuntum putat à Galerio, *cùm se imperio gerendo ineptum conspiceret.* Quippe neque ea causa fuit assumendi Licinij in consortium imperij, sed quò pluribus munimentis insisteret, & ut eo uteretur in bello adversùs Maxentium. Deinde illud factum non est extremis Galerij temporibus, sed quadriennio antè, ut suprà ostensum est. Committendi verò hujus erroris hæc occasio fuit, quòd plerique veteres Galerij mortem consecutam scribunt post conlatam Licinio dignitatem imperialem. Eutropius lib. X. *Per hoc tempus à Galerio Licinius Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod adversùs Narseum gesserat strenuus laboribus & officiis acceptus. Mors Galerij confestim secuta.* Zosimus lib. II. *Maximianus Galerius ex societate superiorum temporum familiarem sibi Licinium Imperatorem creat, quòd hujus opera bello Maxentium persequi cogitaret. Posteaquam Galerius hæc agitans consilia ex incurabili vulnere vitam cum morte commutasset, imperium Licinius quoque sibi vindicabat.* Orosius quoque lib. VII. cap. XXVIII. & auctor frag-

menti de Constantio Chloro pag. 472. sic describunt hanc historiam ut statim post levatum Licinium subsequatur mors Galerij. Et Aurelius Victor, qui Licinium Imperatorem factum ait antequam Galerius iret in Italiam, scribit eum paulò pòst quàm Italia decesserat, vulnere pestilenti consumptum esse. Et in Epitome Victoris: *Hic Licinius annum dominationis ferè post quintum decimum occiditur.* numerando videlicet ab excessu Galerij. Et Socrates lib. I. cap. II. ait Maximianum abiisse è vita quum Licinium priùs Imperatorem creavisset. His igitur ducibus erravit Sigonius. quem secutus est Morinus.

MENSIS EIVSDEM] id est, Maij.

KAL. MARTIIS] Eo enim die Galerius Maximianus factus fuerat Cæsar cum Constantio, adeoque Kalendis semper Martiis inchoabantur anni ejus imperij, & vicennalia celebrari debebant Kalendis Martiis impendentis anni, qui futurus erat vigesimus imperij ejus. Fasti Idatiani Tiberiano & Dione Consulibus: *Eo anno levati sunt Constantius & Maximianus Cæsares die Kal. Mart.* Eumenij panegyricus Constantio dictus: *O Kalendæ Martiæ, sicuti olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum!* Sed heic rursum occurrit difficultas de annis imperij. Nam si verum est Galerium factum fuisse Cæsarem sub consulatu Tiberij & Dionis, & illorum consulatum congruere cum anno Christi CCXCI. ut vulgò putant, constabit eum mortuum fuisse anno XXI. imperij ineunte. Cùm autem contradici non possit argumentis ex Lactantio petitis, quærenda aliqua via est qua nos expediamus ex his difficultatibus. Et sanè optimos illos Fastos Idatianos certum est non carere nævis & erroribus, ut facilè probari posset.

LICINIO MORANTE] qui tum erat in Dacia mediterranea apud Sardicam aut non multò procul. Nam illic mortuus erat Galerius. CAP. XXXVI.

FRETVM CHALCEDONIVM] Hunc itaque limitem orientalis imperij constituere volebat Maximinus ut intra illum esset etiam Bithynia usque ad Chalcedonem, provinciæ verò ultra fretum Chalcedonium pertinerent ad imperium occidentale, ita ut sedes imperij, quæ tum erat apud Nicomediam, ad se, qui prior factus fuerat Cæsar, pertineret, non autem ad Licinium.

BITHYNIAM] In veteri codice legitur *Bhianiam.* Certam esse emendationem probat primò iter Maximini, qui ex oriente ad Chalcedonem properabat; deinde ipse Ma-

ximinus, qui in epistola sequenti anno scripta ad Sabinum, quam recitat Eusebius, docet se anno præterito Nicomediæ fuisse. *Cùm anno præterito*, inquit, *Nicomediam feliciter essem ingressus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt.* Quare rectè observatum est ab Henrico Valesio in annotationibus ad Eusebium pag. 185. & seq. Maximinum, mortuo Galerio, Asiam ac Bithyniam occupasse, quas Galerius unà cum Illyrico & Thracia sibi retinuerat.

DIVERSAS RIPAS] nimirum Maximinus, ut palam est, ripam Bithyniæ, Licinius adversam, in qua Byzantium.

IN IPSO FRETO FOEDVS] hauddubiè in faucibus Bosphori Thracij, inter Byzantium & Chalcedonem. Et Bithyniam quidem cessisse in jus & ditionem Maximini colligitur ex martyrio sancti Luciani Antiocheni, quod enarrat Eusebius lib. IX. cap. VI.

INDVLGENTIAM] id est, pacem, cessationem a persecutione. Suprà cap. XXXIV. in edicto : *indulgentiam nostram credidimus porrigendam.* quam vocem in suis versionibus rectè Ruffinus & Valesius retinuerunt, Christophorsonus malè omisit. Acta sanctorum Saturnini, Dativi, & Felicis cap. XIII. *Qui vult ex vobis ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur.* Optatus Milevitanus in libro primo : *Tempestas persecutionis peracta & definita est. Iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta.* D. Augustinus frequenter hanc vocem usurpat adversùs Donatistas quum loquitur de rescriptis Principum quibus libertatem sui dogmatis dederant iisdem Donatistis.

COMMVNI TVTELO] Certum est heic agi de edicto quod extremis Galerij temporibus editum est in favorem Christianorum. *Communi* autem *tutelo* dixit pro communi consensu. Hanc vocem non reperi alibi. Fortassis est corrupta.

SVBORNATIS LEGATIONIBVS] Hæc pluribus explicat Eusebius lib. IX. cap. II. initium factum dicens ab Antiochensibus. *Sed & alios*, inquit Rufinus, *per singulas civitates similiter deterrimos cives ad simile facinus impellit, & ex omnibus provinciis hujuscemodi legationem dirigi componit.* Quæ verba ideo retuli quòd apertiora sint quàm Græca Eusebij.

SACERDOTES MAXIMOS] Hæc confirmantur ab Eusebio lib. VIII. cap. XIV. & lib. IX. cap. IV. Vide Valesij annotationes ad eundem Eusebium pag. 169.

CANDIDIS

CANDIDIS CHLAMYDIB. ORNATOS] Eusebius in locis mox commemoratis adnotat quidem addita ornamenta sacerdotibus per provincias constitutis à Maximino, quæ coërcet ad militare satellitium, id est, ad lictores & apparitores. qua de re vide annotationes Valesij. At Lactantius addit illum jussisse ut Pontifices illi, qui super provincias erant, incederent ornati candidis chlamydibus. Chlamydem autem heic accipio pro paludamento, ut apud Nonium, seu illa albæ tunicæ specie, auro interdum limbatæ, qua utebantur soli ministri Imperatorum. de quibus plura Salmasius in Notis ad Lampridium pag. 241. Itaque Maximinus vestes ministrorum palatinorum communicavit cum summis Pontificibus quos per provincias ordinavit. Et hinc fortassis explicabitur locus ille Trebellij Pollionis in D. Claudio, *chlamydes veri luminis limbatas duas*, ubi Salmasius verum lumen interpretatur de colore purpureo.

DEBILITARI IVSSIT] Vide Eusebium lib. VIII. cap. XII. & in libro primo de vita Constantini cap. LVIII. ubi in interpretatione Valesij irrepsit nomen Licinij pro nomine Maximini.

EFFODIEBANTVR OCVLI] Non adnotassem ista, quæ ab Eusebio quoque commemorantur, nisi admonere voluissem hanc crudelitatem à Suida referri ad Dioeletianum & Maximianum, eumque hoc loco, ut sæpe solet in rebus historicis, lapsum esse.

CONSTANTINI LITTERIS] Constantinus post partam de Maxentio victoriam, quum apud Mediolanum convenisset cum Licinio, constitutionem emiserat admodum favorabilem Christianis, eamque miserat in orientem ad Maximinum, ut is eam in provinciis suis proponi curaret. Auctor est Eusebius lib. IX. cap. IX. illum primùm quidem ad hæc graviter ingemuisse, postea tamen, cùm nec videri vellet Constantino ac Licinio cessisse, nec rursum id quod jussum erat supprimere auderet metu eorum qui jusserant, epistolam ad Sabinum Præfectum scripsisse veluti suopte motu & ex propria auctoritate, in qua eadem ferme de Christianis sancivit quæ in illa Constantini ac Licinij constitutione continentur. Addiderat autem Constantinus litteras ad Maximinum, quarum mentionem facit Eusebius in postrema parte ejusdem capitis. CAP. XXXVII.

A SACERDOTIB. IMMOLAR.] Quod heic ait Lactantius de Maximino cibis immolatitiis quotidie vescente, id ab eo publico edicto constitutum ait Eusebius in libro de martyribus Palæstinæ cap. IX. ita ut cuncti tam viri

quàm mulieres unà cum servulis & infantibus sacrificare & libare diis immortalibus cogerentur & immolatis hostiarum carnibus vesci, & ut cuncta in foro venalia sacrificiorum libationibus inquinarentur. Istud ipsum docent etiam acta passionis sancti Luciani martyris Antiocheni, quem idem Maximinus morte affecit. *Quin etiam ad tantam processit savitiam ut ne infantibus quidem parceret, sed ipsos quoque interimeret, quoniam nec poterat quidem eis persuadere ut gustarent ea quæ sacrificabantur dæmonibus.* Secutum in hoc fuisse Maximinum vestigia magistri sui Galerij docent acta sanctarum martyrum Agapes, Chioniæ, & Irenes, quæ Thessalonicæ martyrium consummaverunt anno secundo persecutionis, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus. In illis enim actis legitur Cassandrum beneficiarium ita scripsisse ad Dulcetium Præsidem: *Scito, mi Domine, Agathonem, Agapen, Chioniam, Irenem, Casiam, Philippam, & Eutychiam nolle his vesci quæ diis sunt immolata.* Eadem habentur in actis sanctorum Sergij & Bacchi, qui sub eodem Maximino passi sunt, item in actis sancti martyris Vari & sociorum ejus, & in actis Theodori Amasæni cognomento tyronis. Immo diù antè hanc superstitionem usurpatam esse reperio in actis sanctorum Terentij, Aphricani, & sociorum; ubi scriptum est Decium Imperatorem in universas Romani imperij provincias edictum misisse ut omnes Christiani ad immolandum & comedendum ea quæ idolis essent immolata pertraherentur. Quare quod ait Lactantius, Maximinum hoc primum invenisse ut animalia omnia quibus vescebatur, non à coquis, sed à sacerdotibus, ad aras immolarentur, intelligendum non est de edicto seu generali lege, cùm multis antè annis id constitutum fuisset à Decio & Galerio Maximiano, sed de privato palatinorum ciborum usu. Porrò hunc usum in regiones quoque extra limitem Romanum positas penetrasse docent acta sancti Sabæ Gothi, qui martyrium consummavit in Cappadocia pridie Idus Aprilis Modesto & Arintheo Conss. id est anno Christi CCCLXXII. Ceterùm ab istiusmodi cibis immolatitiis, quos idolothyta vocabant, semper abhorruisse Ecclesiam notius est quàm ut necesse sit veterum testimoniis comprobari.

PERFUSUM MERO] Lactantius lib. VI. institut. cap. I. *Homines autem neglecta justitia, cùm sint omnibus flagitiis ac sceleribus inquinati, religiosos se putant si templa ac aras hostiarum sanguine cruentaverint, si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint. Quin etiam sacras dapes apparant, & exquisitas epulas quasi aliquid inde libaturis offe-*

runt. Et cap. seq. *Mactant igitur optimas ac pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tamquam sitienti.*

HINC FAMES] Crudelitatem istius famis describit Eusebius lib. IX. cap. VIII. Videndus etiam Ruffinus, qui nonnulla habet quæ apud Eusebium non leguntur. Meminit & hujus famis Eutychius Alexandrinus in suis annalibus.

DONO SVIS DABAT] Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Vnde & montes auri, ut ita dixerim, congregatos familiaribus suis ac satellitibus largiebatur.*

MORE CLEM. LATRONVM] Salvianus in fine libri octavi de gubernatione Dei pag. 191. *Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut quibus non auferunt vitam, dedisse se dicant.*

VINCIT OFFICIVM] Eadem omnino verba habentur in libro sexto divinarum institutionum cap. XXIII. CAP. XXXVIII.

NOBILIBVS FEMINIS] Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Cui etiam inter cetera hoc etiam singulare studium erat ne ullam non dico urbem, sed vel breve oppidum, absque adulterio nobilium matronarum quæ per loca fuissent repertæ, vel corruptione virginum, præteriret.*

PRÆGVSTATOR] metaphora ducta à cibo & potu, qua etiam usus est Cicero in oratione pro domo suo : *Scilicet tu heluoni spurcissimo, prægustatori libidinum tuarum, homini egentissimo & facinorosissimo Sex. Roscio &c.* Prægustator itaque est qui cibos potusque gustu explorat, apud viros principes præcipuè, ne fortè venenum cum cibo potuque hauriant. Ea de causa Antonius, timens sceleratam Cleopatræ solertiam, nonnisi prægustatos cibos sumebat, ut docet Plinius lib. XXI. cap. III. historiæ naturalis. Suetonius in Claudio cap. XLIV. *Et veneno quidem occisum convenit, ubi autem & per quem dato discrepat. Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem prægustatorem.* Tacitus lib. XIII. annalium : *Illic epulante Britannico quia cibos potusque ejus dilectus ex ministris gustu explorabat.* Gregorius Papa XI. in epistola scripta ad Karolum V. Regem Francorum & Iohannam ejus uxorem edita in tomo quarto Spicilegij Dacheriani pag. 300. *Et insuper ut his qui hujusmodi ova, lac, butyrum, & caseum, seu fercula ex eis parabunt, & etiam illi qui de eis vobis servient, duntaxat pro proba facienda, gustare de ipsis valeant, concedimus per præsentes.* Quod heic Gregorius dicit *pro proba facienda*, nos dicimus hodie *pour faire l'essay*. Evodius Vzalensis in libro secundo de miraculis sancti Stephani cap. III. *jubet illi prægustatori vini sui.*

CVBILIA IMPVNE VIOLABANT] Ruffinus lib. VIII. cap. XVII. *Delitiis, luxu, atque omni dissolutionum genere fluitans, turpissima suis militibus præbebat exempla. Denique quicquid lasciuè, quicquid petulanter, quicquid luxuriosè gestum à rectoribus vel militum vel provinciarum fuisset, inultum cedebat ob Imperatoris exemplum.*

A GOTHIS PVLSI] Quum Diocletianus Italiam petiisset vicennalia celebraturus, Gothi sive populi ripam Istri fluminis incolentes, ea occasione usi, aliquam partem vicinæ provinciæ invaserunt, & indigenas expulerunt. Hi verò pulsi sedibus suis, ad Galerium Maximianum Cæsarem confugerunt, & postea se Maximino, quem Galerius adoptaverat, adjunxerunt, & in numerum satellitum ac protectorum ejus adlecti sunt.

CAP. XXXIX. NE AB AVGVSTA QVIDEM] Valeria Galerij vidua, quæ post mortem mariti in aulam Maximini concesserat, spreto Licinio, cui eam Galerius commendaverat.

PATRIS EIVS] Galerij, qui Maximinum adoptaverat & Cæsarem fecerat.

IPSAM CVM MATRE] Diocletiani uxore, de qua pluribus actum est ad caput XV. Eam Octavius Strada mortuam esse ait aliquot annis ante maritum. Sed errare Stradam probat auctoritas Lactantij, qui dicet infrà eam anno CCCXIII. capite plexam fuisse, cùm Diocletianus vita jam excessisset anno superiore.

CAP. XL. ERATINEO] Locus corruptus. Præsidis nomen est.

QVIDAM IVDÆVS] Non hoc primùm à Maximino inventum. Præiverat enim illi vir boni exempli D. Nero, quum Octaviam uxorem repudiare vellet ingratiam Poppææ. Qua de re videndus Tacitus in libro XIV. annalium.

INSTRVCTIBILE] Puto legendum: *instructi milites & sagittarij præcedunt*

CAP. XLI. AVGVSTA VERO] Valeria. Vbi notandum est nihil nunc de matre ejus dici, neque repetitam à Diocletiano quum Valeria repeteretur. Et tamen illa vivebat adhuc, ut patet ex capite LI.

CAP. XLII. SENIS MAXIMIANI STATVÆ] Ruffinus lib. VIII. cap. XVI. ait Maximianum Herculium turpiter deprehensum in insidiis quas Constantino struebat, turpius periisse, *ita ut post interitum statuæ ejus atque imagines auferrentur, & in ædibus publicis vocabula ejus nominis mutarentur.* Apud Eusebium lib. VIII. cap. XIII. hæc historia sic describitur tamquam si Herculius primus fuisset cujus statuæ & imagines disjectæ fuissent. Quod quum falsum esse

videret Christophorsonus, ita Eusebium vertit ut velit illum dixisse eam contumeliam irrogatam viventi. Quod non esse verum patet ex sequentibus Lactantij verbis, ubi ait nulli Imperatorum ante Diocletianum contigisse ut imagines viventis dejicerentur. Itaque Henricus Valesius aliò se convertit, non quidem Herculium fuisse primum omnium Imperatorum qui à primordio imperij fuerunt cui inustum sit hoc dedecus, sed primum eorum qui ætate illa rempublicam administraverant. Sic Trebellius Pollio in triginta tyrannis cap. XXVIII. ait imaginem Celsi *novo injuriæ genere* sublatam esse in crucem; cùm tamen, ut heic adnotat Casaubonus, soliti fuerint Græci Latinique damnatorum imagines dejicere, lutare, frangere, scalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliæ genere afficere. quod probat etiam auctoritate Plutarchi.

CVM VIDERET VIVVS] Diocletianus, cujus viventis imagines deponebantur quia conjunctæ erant cum imaginibus Herculij.

SVSPIRIA] Cuspinianus in Diocletiano: *Quidam dicunt stupore mentis & longa ægritudine confectum, animam inter suspiria efflasse.* quod puto illum accepisse ex Cedreno.

FAME ATQVE ANGORE CONFECTVS] Alij Diocletianum alio mortis genere extinctum tradunt, quidam morbo aquæ intercutis, alij veneno, Suidas suspendio. Vide etiam quæ infrà dicuntur ad caput quinquagesimum. Obiit autem haud procul Salonis in Dalmatia, in villa sua Aspalato, ubi & sepultus est. Vide Henrici Valesij Notas ad Ammianum Marcellinum pag. 112. Variæ porrò sunt doctorum virorum opiniones de anno quo Diocletianus interiit, aliis censentibus id eveniisse anno CCCXIII. aliis triennio seriùs. Istos in hanc sententiam impulit auctoritas Fastorum Idatianorum, in quibus scriptum est Diocletianum diem functum esse in Salona III. Nonas Decemb. Sabino & Rufino Consulibus. Sed horum Fastorum auctorem falsò ea scripsisse jam constat, cùm Lactantius doceat Diocletianum esse mortuum ante nuptias Licinij & Constantiæ, & ante Maximinum Dazam. Cùm ergo mortuus sit post Galerium & ante Maximinum, exeunte anno, manifestum est decessisse anno CCCXII. exeunte. Nam Maximinus periit anno sequenti, ut ostendam. Itaque verum non est quod legitur in Epitome Victoris, Diocletianum annos propè novem egisse in communi vita. A Kalendis enim Maiis anni CCCV. usque ad III. Nonas Decembris anni CCCXII. sunt tantùm anni septem & menses septem cum aliquot die-

bus. Sed adversùs hæc dici potest, id quod quibusdam placuisse video, Diocletianum non potuisse dici mortuum anno CCCXII. cùm in l. 2. Cod. Theodos. *De censu*, quæ data est anno CCCXIII. Kalendis Iuniis, Constantinus eum vocet dominum & parentem, divum vocaturus si mortuus fuisset. Verùm eam argumentationem falsam esse probat epistola Maximini Aug. ad Sabinum apud Eusebium lib. IX. cap. IX. ubi is Galerium Maximianum, quem ab anno superiore mortuum fuisse constat, vocat tamen dominum ac parentem suum; qui tamen in edicto quod ibidem apud Eusebium extat, eundem Maximianum & Diocletianum vocat divos parentes suos. Ceterùm cùm ex hoc Lactantij loco constet Diocletianum mortuum esse ante nuptias Licinij & Constantiæ, consequens est falsum esse quod legitur in Epitome Victoris, nimirum eum morte consumptum esse, ut satis patuit, per formidinem voluntaria. *Quippe cùm à Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quò minùs interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse.* Parum autem probabile est eum qui noluerat iterum accedere ad regimen reipublicæ, & qui vitam privatam imperio antepositi memorabili & sapientissimo illo apophthegmate quod suprà pag. 425. ex eadem Epitome retulimus, suspectum fuisse habitum quòd Maxentio & Maximino faveret, præcipuè verò Maximino, à quo sciret gravissimas contumelias irrogatas filiæ Valeriæ conjugique Priscæ, & à quo contemptum illum fuisse, dum Valeriam repeteret, recentius erat quàm ut oblivisci tam citò potuerit.

CAP. XLIII. VNVS SVPERERAT] nimirum Maximinus cognomento Daza. Adversarios Dei Lactantius appellat Diocletianum, Herculium, Galerium, & Maximinum. In eodem numero non ponit Maxentium; quia licèt crudelis ac sævus fuerit, visus tamen est favere Christianis. Inter eos item non numerat Licinium; quia tum quum hæc scribebat Lactantius, ille videbatur esse amicus Christianorum. Postea se prodidit.

NVPER AMICITIAM] id est, eo tempore quo pax inter Licinium & Maximinum constituta est in Bosphoro Thracio, paulò post mortem Galerij.

CONSTANTINI SOROREM] Constantiam, quæ postea sic Arrio favit ut etiam fratrem suum ad eum defendendum impelleret.

MISIT OCCVLTE] Eusebius lib. VIII. cap. XIV.

istud ipsum commemorat, nimirum Maximinum iniisse clam fœdus cum Maxentio.

BELLVM CONSTANTINO INDIXERAT] Ex hoc loco & ex libro secundo Zosimi apparet consilia agitandi belli à Constantino profecta non esse, sed à Maxentio, atque adeo Constantinum velut invitum ad arma prosiliisse, tum etiam invitatum postea à Romanis tyrannidem Maxentij ægrè ferentibus. Et tamen vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro primo rerum Francicarum pag. 23. bellum istud imputat arrogantiæ Constantini, qui statuas suas Romæ jussu Maxentij eversas adeo iniquo tulerit animo ut eam injuriam armis vindicandam putarit; ejusque memoriam acriter ac contumeliosè sugillat quòd cùm Maximiani soceri sui statuas subverti jussisset in Galliis, parem sibi à Maxentio ejus filio factam injuriam ferre non potuerit. Veri amor & magni Principis memoria postulant ut heic observemus immensum esse discrimen inter hæc duo facinora. Constantinus everterat statuas inimici sui, sed mortui, & qui propterea contumeliam sibi irrogatam ulcisci non potuit. At Maxentius dejecerat venerandas, ut ait Nazarius, imagines Principis viventis ac fortissimorum exercituum ductoris, qui propterea & potuit & debuit eum castigare à quo cum tanta nominia læsus esset. Sanè Diocletianus, ut infrà scribit Lactantius, adeo commotus est quum videret statuas suas everti quæ cum statuis Herculij conjunctæ erant, tamenetsi ista adversùs eum non fierent consilio, sed necessitate, ut hinc acceperit magnum atque incredibilem dolorem, ac propterea moriendum sibi esse decreverit. At Constantinus injuriam illam, qua erat magnitudine animi, remittere Maxentio paratus erat, si is ad æquas pacis conditiones descendere voluisset. Sed ille Constantinum aspernatus est; appetitum ejus (verba sunt Nazarij) refugit, adversatus est, horruit; & cùm voluntas pacificandi alienata esset, eò dementiæ processit, inquit idem Nazarius, *ut ultro etiam lacesseret quem ambire deberet.* Vnde constat arrogantiæ immeritò argui Constantinum in hoc loco: qui si injuriam suam ultus non fuisset adversùs hostem ferocem ac bonitati ejus illudentem, profectò majorem ignominiam ex ea injuriæ oblivione reportasset quàm ut verbis ullis explicari possit.

NECEM PATRIS SVI] Maximiani Herculij, quem Constantinus strangulari jusserat apud Massiliam. Zosimus lib. II. *Maxentius occasiones gerendi adversùs Constantinum belli quærebat, seque dolere propter obitum patris sui simu-*

lans, cui mortis causam Constantinus præbuisset.

INTESTABILEM] Hoc in loco desunt aliquot litteræ in veteri exemplari, ubi hæc tantùm leguntur, *xtabilem*, Ex quo nos collegimus reponendum esse *inteſtabilem*. Inteſtabilis autem idem valet ac deteſtabilis & inviſus.

FINXISSE DISCORDIAM] Eutropius lib. x. *Inde ad Gallias profectus est, dolo compoſito, tamquam à filio esset expulsus.*

CAP. XLIV. INTER EOS] Maxentium & Constantinum.

RESPONSVM ACCEPERAT] Incerti panegyricus Constantino dictus post devictum Maxentium: *Stultum & nequam animal nusquam extra parietes egredi audebat. Ita enim aut prodigiis aut metus sui præsagiis movebatur.*

SEXTO KAL. NOV.] Hic ergo dies dies primus Maxentium vidit Imperatorem; contrà quàm alij scribunt, qui ad diem VII. Kal. Octobris eum imperium invasisse scribunt, pridie extinctum. quorum neutrum verum est. Cæsus enim est die natali suo, ut docent Lactantius & auctor panegyrici paulò antè laudati. Sed iste tamen in hoc fallitur quòd ait Maxentium diem natalis sui cæde sua signasse, ne septenarium illum numerum sacrum & religiosum vel inchoando violaret. Nam si cæsus est ipso die natalis sui, manifestum est cæsum eo die quo imperium inierat. Hunc quippe diem antiqui vocabant natalem Imperatorum. Occisus est igitur Maxentius anno Christi CCCXII. VI. Kal. Novembris, sexto imperij sui anno exacto, in ipsis initiis septimi. Atque ita intelligendi sunt Aurelius Victor & auctor Chronici Alexandrini, quum aiunt eum periisse anno tyrannidis suæ sexto. At Eutropius ait Constantinum quinto imperij sui anno bellum commovisse adversùs Maxentium? Commovit sanè, sed non perfecit. Itaque verba illa veteris Kalendarij à Bucherio editi, V. *Kal. Novembr. Evictio tyranni*, IV. *Kal. Ingressus Divi*, capienda quidem sunt de Maxentio & Constantino, ut rectè censuerunt eruditissimi viri Petrus Franciscus Chiffletius & Henricus Noris, sic tamen ut dies V. Kal. non referatur ad diem quo Maxentius periit, ut illi arbitrati sunt, sed ad posterum, quo corpus ejus inventum est, ut docet auctor fragmenti de Constantio Chloro, quo certa fuit victoria, IV. verò Kal. ad diem quo Constantinus victor urbem Romam ingressus est. Et hæc quidem certa atque extra omnem omnino controversiam posita esse videntur. Et tamen vir clarissimus Petrus Lambecius in libro quarto commentariorum de bibliotheca Vindobonensi pag. 298. evictionem illam tyranni refert ad tem-

pus illud quo Licinius à Constantino pulsus Byzantio & Chalcedone, Nicomediam se recepit, ibique etiam obsessus, rebus desperatis, ut Zosimus ait, quòd sciret nullas sibi restare justas & satis amplas ad dimicandum copias, egressus urbe, supplex Constantino factus est, & adlata purpura, Imperatorem & Dominum clamavit, veniamque præteritorum poposcit. Quæ omnia contigere anno Christi CCCXXIV. Crispo III. & Constantino III. Consulibus, ut est in Fastis Idatianis. Verùm hæc Lambecij sententia vera esse non potest, cùm constet verba illa veteris Kalendarij accipienda esse de Maxentio profligato. Præterea nullibi adnotatum est deditionem Licinij incidisse in diem quintam Kalendarum Novembrium. Quod in primis necessarium esset demonstrare. Immo eam factam aliquanto antè colligi posse videtur ex eo quòd Zosimus ait Licinium, fuso deditoque exercitu, cum equitibus reliquis & paucis peditum millibus Nicomediam se recepisse post captam Chalcedonem, id est, XIV. Kal. Octobris, ut legitur in Fastis. Quàm exiguo autem temporis intervallo victor exercitus pervenire potuerit Nicomediam, nemo est rei geographicæ vel tenuiter peritus qui satis intelligat. Quare profectionem Divi, quæ in veteri Kalendario notatur ad diem V. Kalendas Octobris, valde suspicor accipi debere de Constantini digressu ab urbe Chalcedone ut Nicomediam proficisceretur. Itaque cùm hinc via sit certa neque longa, non absurda conjectura erit si dicamus deditionem Licinij factam esse paucis pòst diebus, id est, sub initium mensis Octobris, cùm ex Zosimo liqueat eum non toleràsse diù obsidionem Nicomediæ, & ex fragmento de Constantio Chloro, quod Henricus Valesius edidit, colligi possit Constantiam uxorem Licinij in castra Constantini fratris venisse sequenti die post adventum ejus. Neque magnum momentum habet quòd idem vir clarissimus adnotat hèic, ut in Codice Theodosiano, Licinium κατ' ἐξοχὴν sive per excellentiam appellari tyrannum. Nam & Maxentium quoque tyrannum dictum legimus in panegyrico quem Nazarius dixit Constantino; ubi agens de his quæ post devictum Maxentium acta Romæ sunt à Constantino, addit: *Quarum rerum miraculo sic omnes devinciebantur ut non tam omnes dolerent quòd illum tyrannum ita diù tulerant quàm quod tali principe tam serò fruerentur.* Et suprà de eodem Maxentio: *Illum ipsum tyrannum non mors virilis, sed fuga turpis prodidit.* Item: *Sequebatur hunc comitatum suum tyranni ipsius teterrimum caput.* Fragmentum de Constantio Chloro pag. 475. *Interea Constantinus apud Veronam victis du-*

cibus tyranni, Romam petiit. Vetus inscriptio posita Constantini memoriæ post victoriam de Maxentio: *Quòd instinctu divinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu suo tam de tyranno quàm de omni ejus factione uno tempore justis rempublicam ultus est armis.* Prudentius libro primo adversùs Symmachum: *Mulvius exceptum Tyberina in stagna tyrannum præcipitans.* Immo in Codice quoque Theodosiano per tyrannum intelligitur Maxentius in l. un. *De ingenuis qui tempore tyranni servierunt*, & in l. 1. *De cohortalibus.*

QVINQVENNALIA TERMINABANTVR] Certum est Maxentium quinquennalia celebravisse. Manifesta est enim auctoritas Lactantij. Sed præterea extat apud Occonem pag. 541. nummus Maxentij, in cujus aversa parte hæc scripta sunt: VICTORIA DD. NN. AVG. ET CÆS. VOT. V. MVLT. X. Quin ergo celebrata à Maxentio sint quinquennalia, & quidem post exactum annum quintum, ambigi non potest. Illud tantùm quæro, quomodo fieri possit ut quæ secundùm morem acta sunt die prima anni sexti, terminata fuerint in fine ejusdem anni. Scio vota illa magno apparatu celebrata fuisse, festa hæc per multos dies durasse, & non solùm in urbe regia usurpata, sed etiam in provinciis. Verùm illa non solvunt difficultatem. Nisi si dicamus hominem voluptuarium & desidiæ amatorem, cujusmodi fuisse describitur Maxentius, voluisse novo more quinquennalia sua commendata facere, ac propterea per annum integrum ea continuasse. quod parum probabile videtur. Vel fortassis, sicut primus anni dies, quo quinquennalia celebrabantur, ludis ac sacrificiis transigebatur, sic eadem solennia repetebantur in ultimo die ejusdem anni, ut sic quinquennalia eo modo terminarentur quo cœperant, pari ferè modo quo processiones Consulum septem erant per annum, ut patet ex Novella CV. Imperatoris Iustiniani. Quid si natales Imperatorum festi erant quum per unumquemque mensem recurrebant? Nam in actis sancti Marcelli centurionis, qui passus est in civitate Tingitana sub imperio Diocletiani, reperio diem XII. Kalendarum Augusti fuisse festam in imperio Romano. *Iam die duodecimo Kalendarum Augustarum*, inquit, *apud signa legionis istius, quando diem festum Imperatoris vestri celebrastis, publica voce respondi me Christianum esse.* Diocletianus quippe factus est Imperator XII. Kal. Decembris. Sic quidam olim natali Epicuri vicesima luna sacrificabant, feriasque omni mense custodiebant, quas icadas vocabant, ut Plinius ait libro XXXV. historiæ natur. cap. 11.

COELESTE SIGNVM] immortale signum, ut alibi dicit Lactantius, id est, signum crucis. Iste porrò locus est magni momenti. Signat enim & locum & diem quo crux, in qua vinceret, ostensa est Constantino. Nam cùm ex testimonio Eusebij, qui se accepisse ait ab ore Constantini, constet visum ab eo crucis tropæum in cœlo horis meridianis, sole in occasum vergente, & addubitanti quidnam hoc spectrum sibi vellet, nocte sequenti Christum Dei dormienti apparuisse cum signo illo quod in cœlo ostensum fuerat, præcepisseque ut militari signo ad similitudinem ejus quod in cœlo vidisset fabricato, eo tamquam salutari præsidio in prœliis uteretur, certum est utramque visionem uno in loco & intra spatium aliquot horarum contigisse. Quod si ita est, ut certè est, habent viri docti unde finem tandem imponant nobili controversiæ de loco ubi signum crucis ostensum est Constantino, & unde fides adstruatur auctori vitæ sancti Artemij ex Duce Ægypti, cujus auctoritatem vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius circuitione & anfractu infringere & elevare conatus est. Hæc sunt verba Artemij memoriam Constantini defendentis coram Iuliano Imperatore: *Ad Christum autem declinavit ab illo vocatus, quando difficillimum commisit prœlium adversùs Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit signum crucis, radiis solis splendidius, & litteris aureis belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi signum adspeximus, cùm bello interessemus, & litteras legimus. Quin etiam totus quoque id est contemplatus exercitus, & multi hujus rei testes sunt in tuo exercitu.* Apud Surium die XX. mensis Octobris. Mirum verò fortassis cuidam videbitur quod heic ait Artemius, multos hujus rei testes tum fuisse in exercitu Iuliani Imperatoris. Nam si ista dicebantur anno Christi CCCLXII. exeunte, effluxerant anni quinquaginta à morte Maxentij, & difficile est multos milites superfuisse ex eo exercitu qui tum adversùs eum pugnarunt. Verùm id mirum nequaquam videri debet. Nam in dialogo de claris oratoribus, cujus auctorem esse Quintilianum plerique censent, alij Tacitum, quidam Suetonium, in dialogo inquam illo, qui scriptus est anno sexto principatus Vespasiani, testatur auctor vidisse se in Britannia senem qui se fateretur ei pugnæ interfuisse qua Cæsarem inferentem arma Britanniæ arcere littoribus & pellere aggressi sunt. quod contigerat ante annos ferè centum viginti. Et sanctus Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos (quem Baronius putat scriptum circa annum Christi CCCLXXXII.) ait

tum superfuisse homines qui synodo Nicænæ interfuerant, raros tamen propter antiquitatem. Itaque ut ad rem nostram redeamus, ita constituendum est, visionem illam crucis Constantino ostensæ contigisse in castris, dum Romam obsideret, VII. Kal. Novembris anno Christi CCCXII. Audax enimverò nimiùm fuit Iacobus Oiselius, qui in Thesauro numismatum antiquorum pag. 463. ait eum qui totum hoc negotium de cruce ostensa Constantino ad pias veterum fraudes retulerit, parum à rei veritate aberraturum. Quid enim deinceps verum censebitur, si historiam hanc, quæ Lactantij, Publij Optatiani Porphyrij, Eusebij, ac veterum etiam numismatum testimonio nititur, inter fabulas & pias, ut ille ait, veterum fraudes connumerare fas fuerit? Religiosiùs ista tractanda sunt, & irreligiosa illa temeritas procul abesse debet à pectoribus Christianorum.

LIBROS SIBYLLINOS INSPICI] Zosimus lib. II. *Maxentius incluſus, diis hoſtias immolat, & extiſpices de belli eventu conſulit, ipſis quoque Sibyllinis oraculis perveſtigatis. Quumque reperiſſet oraculum quo ſignificaretur in fatis eſſe ut qui ad detrimentum populi Romani ſpectantia deſignaret, miſerabili morte periret, de ſemet-ipſo id oraculum accipiebat, quaſi qui Romam adortos eamque capere cogitantes propulſaret. Eventus autem comprobavit id quod verum erat.* Hæc verò prorsùs congruunt cum narratione Lactantij.

CAP. XLV. HYEME PROXIMA] id est, hyeme quæ mortem Maxentij statim subsecuta est. Atqui Maxentius periit anno CCCXII. VI. Kalendas Novembris. Igitur Constantinus Mediolanum profectus est eo anno exeunte, aut sub initium sequentis. quod magis credo. Quippe Nazarius in panegyrico quem Constantino dixit, sic de mora quam ille Romæ traxit loquitur ut planè constet eum illic fuisse per duos menses. *Quicquid mali*, inquit, *ſexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimeſtris ferè cura ſanavit.* Probabile autem non est eum qui sic proximus erat Kalendis Ianuariis, Romam reliquisse illis impendentibus, ut alibi potiùs quàm Romæ procederet Consul. Præterea extat in Codice Iustiniani Imp. lib. XI. tit. 57. lex à Constantino data Romæ XV. Kalend. Febr. ipso & Licinio tertiùm Consulibus, id est, mense Ianuario qui proximus fuit post extinctum Maxentium, ex qua colligi posse videtur Constantinum Roma digressum non esse ante diem qua lex illa data dicitur Quod si ita est, sic accipienda videntur verba Nazarij ut illa bimestris *ferè* cura, quam componendis rebus

urbanis Constantinum impendisse tradit; eo modo intelligatur quo sanctus Augustinus in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. ait Ælianum Proconsulem causam Felicis Episcopi Aptungitani audivisse XV. Kalendas Martias, *post menses ferme quatuor* quàm Cæcilianus à Melchiade fuerat judicatus; cùm tamen à die VI. Nonas Octobris, quo ille judicatus est, usque ad XV. Kalendas Martias, quo causa Felicis audita est, interceserint menses quatuor cum dimidio. Eadem ratione sanctus Leo Papa in epistola quinquagesima secunda ad Ravennium Arelatensem & ceteros Galliarum Episcopos scribens ait synodum Chalcedonensem constitisse ex sexcentis *ferè* Episcopis, cui interfuisse DCXXX. Episcopos constans est omnium scriptorum sententia. Accessit ergo Mediolanum Constantinus sub finem mensis Ianuarij. Eò verò venit etiam Licinius, uxorem ducturus Constantiam Constantini sororem. Eadem commemorat & Zosimus, rectè adnotans hæc acta post devictum Maxentium & antè quàm bellum esset inter Maximinum & Licinium. Quare lapsum esse patet virum doctissimum Ioannem Morinum, qui in libro de Ecclesia per Constantinum liberata pag. 328. scribit Licinium venisse Mediolanum ad Constantinum post devictum extinctumque Maximinum, ibique Constantiam in matrimonium duxisse. *Eo peracto*, inquit Zosimus, *Constantinus ad Celtas revertitur*, Licinius in Illyricum, ut tradit auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 473. Sed antè quàm Mediolano discederent, legem pro Christianis ediderunt quæ paulò pòst recitabitur.

Existimant viri quidam doctissimi nuptias Licinij & Constantiæ celebratas fuisse Mediolani mense Martio, argumento petito ex lege prima Codicis Theodosiani *De bonis vacantibus*, quæ scribitur data à Constantino VI. Idus Martias Mediolani Constantino Aug. III. & Licinio Consulibus. Quamquam mensem Martium in Maium esse mutandum in hac constitutione censet Morinus in libro de Ecclesia per Constantinum liberata pag. 329. quia, ut inquit ille, Constantinus mense Martio illius anni adversùs barbaros pugnavit in Germania. Sanè, quod semel heic observasse sufficiat, nihil certi colligi potest ex subscriptionibus legum Codice Theodosiano comprehensarum; adeoque ex eis concludi non potest Constantinum eo tempore in iis locis fuisse in quibus datæ dicuntur. Nam si id certum esset, certum quoque esset eum intra sex dierum spatium fuisse Heracleæ in Macedonia aut in Thracia & Mediolani in

Italia, cùm lex de qua diximus data legatur Mediolani VI. Idus Martias, & lex prima *De actoribus* Heracleæ III. Non Mart. sub iisdem Consulibus. Fortiùs urget exemplum quod sumi potest ex l. 2. *De pœnis* & ex l. 1. *Si petitionis socius sine herede defecerit:* quarum prima data dicitur Cabilluno, altera Antiochiæ, utraque XII. Kal. April. Constantino Aug. IV. & Licinio IV. Consulibus. Vir doctissimus Iacobus Gothofredus vidit difficultatem esse in subscriptione posterioris istius legis, & aut eam pronuntiavit tribuendam esse Licinio, qui orientem, cujus vertex Antiochia, tenebat, aut reponendum esse nomen Antigoniæ prope Stopis in Macedonia, quæ Constantino cessit quum pax inter eum & Licinium constituta est post pugnam Cibalensem. Sed hæc non solvunt difficultatem. Nam semper difficile erit istam discrepantiam componere, cùm certum sit Constantinum non potuisse uno eodemque die esse in Gallia & in Macedonia. Rursum quomodo fieri potest ut idem, qui Cabilluno & Heracleæ fuerit XII. Kal. Aprilis, eodem anno VIII. Idus Martias fuerit Thessalonicæ, & biduo pòst, id est, VI. Idus Martias, Romæ? Nam id colligitur ex subscriptionibus l. 1. *De diversis officiis*, & ex l. 2. *Ad l. Iuliam de vi pub. & privata.* Idem deinde Idibus Septembris ejusdem anni censendus esset fuisse Romæ, & sexto pòst die apud Naissum in Dacia. Quippe lex prima *De jure fisci* data dicitur Idibus Septembris Romæ, & lex prima *De Centonariis* XIV. Kal. Octobris Naisso. Denique idem Constantinus, si hæc regula certa esset, fuisset anno sequenti XII. Kal. Maias Sardicæ, Romæ verò ipsis Kalendis Maiis, intra spatium dierum duodecim, cùm id colligi possit ex subscriptionibus l. 2. & 3. *De donationibus.* Possent & alia exempla adferri. Sed ista sufficiunt. Vnde colligi debet, id quod antea dicebamus, ex subscriptionibus legum Codicis Theodosiani nihil colligi posse certi ad signanda loca in quibus Constantinus habitavit per varia tempora imperij sui, adeoque infirma esse argumenta quæ viri doctissimi hinc sumpserunt ad confirmandas & constabiliendas conjecturas suas historicas.

AD HVIVSMODI CASVS] In veteri codice legitur, *ad hujusmodi causa Licinio conlocati.* Nostra emendatio bona est. Et sœpe in antiquis codicibus reperitur scriptum *causa* pro *casus.* ut apud S. Ambrosium epist. XLIII. *In natura casus est, in electione judicium.* pro quo in vetustissimo codice MS. Eccesiæ Bellovacensis scriptum est *causa*, quamvis non bene.

PERINTHO] id est, Heraclea. Sic enim vocatur Heraclea Thraciæ ad differentiam aliarum ejusdem nominis urbium, ut rectè notavit Henricus Valesius ad librum XXII. Ammiani Marcellini. Menologium Græcorum ad diem decimam Maij : *Perinthum urbem Thraciæ, quæ nunc Heraclea dicitur.* Apud Canisium to. II. antiquæ lectionis pag. 768.

MILLIA P. DECEM ET OCTO] Circa Resiston. qui locus primus occurrit in itinerario Antonini euntibus ab Heraclea Hadrianopolim. quamquam ibi dicitur abesse M. P. XXII. ab Heraclea.

KAL. MAIAR.] Hoc enim die factus fuerat Cæsar anno Christi CCCV. ut suprà vidimus. Ex quo etiam confirmantur quæ à nobis dicta sunt de anno quo Diocletianus deposuit imperium. Nam si Kalendis Maiis anni CCCXIII. complebatur annus octavus nuncupationis Maximini, ut ait Lactantius, necessarium est illum nuncupatum fuisse Cæsarem anno CCCV. Kalendiis Maiis. Errant ergo qui putant eum per annos tantùm septem imperium tenuisse, & quadriennio quidem Cæsarem, triennio Augustum per orientem fuisse. Imperavit enim per annos octo integros & aliquam partem noni. CAP. XLVI.

SICVT ILLE] id est, Maxentius, qui victus est ipso die natali suo.

VOCANT SERENVM] Circa Resiston, ut diximus, locum Thraciæ inter Hadrianopolim & Heracleam. Campus sanè hac pugna illustris, quæ pacem afflictæ Ecclesiæ peperit. Fallitur ergo Zosimus, qui pugnam illam in Illyriis pugnatam putat. Hæc sunt ejus verba : *Bellis civilibus inter Licinium & Maximianum accensis, acrique facto prælio in Illyriis, ab initio quidem superari visus est Licinius, sed confestim redintegrata pugna, Maximianum in fugam vertit.*

TENAX] Avarum fuisse Licinium multis exemplis probat Eusebius lib. I. de vita Constantini cap. LV. Fragmentum de Constantio Chloro pag. 474. *Licinius scelere, avaritia, crudelitate, libidine sæviebat.*

DEVS SVMMVS] Martyrium sancti Basilei Episcopi Amaseæ : *Licinius igitur omnipotente Domini nostri Iesu Christi manu adjutus victoriam de Maximino reportavit.* CAP. XLVII.

SVMPTA VESTE SERVILI] Confirmat hanc narrationem Eusebius lib. IX. hist. eccles. cap. X. & lib. I. de vita Constantini cap. LVIII.

FRETVM TRAIECIT] Pugnatum est igitur in ea parte imperij quam Licinius tenebat, id est, inter Hera-

cleam & Hadrianopolim, in campo quodam vocato sereno, ut in capite superiori dixit Lactantius. Aberat autem M. P. CLX. à Nicomedia.

PETIVIT ORIENTEM] Zosimus: *Per orientem in Ægyptum discedens, spe cogendarum copiarum quantæ gerendo bello sufficerent.*

VESTEM RESVMPSIT] nimirum purpuram, signum imperatoriæ majestatis.

CAP. XLVIII. NICOMEDIAM INGRESSVS] Meminit adventus Licinij Nicomediam Ioannes Presbyter Nicomediensis in vita sancti Basilei Episcopi Amaseæ, ex quo discimus Constantiam quoque Licinij uxorem venisse cum eo Nicomediam post victum Maximinum. *Itaque post justam Maximini pœnam & divinitus invectam iram Licinius, cùm totum orientem sub se haberet, magno cum apparatu ad nostræ regionis urbem Nicomediam venit unà cum conjuge sua, ut in regia domo habitaret & orientis imperium gubernaret. Iam verò primùm summa quædam pax repentè per totum nostræ regionis orbem, post vehementes illas insanientis idololatriæ commotas fluctuationes ac pugnas, Licinij arbitrio atque opera invecta est.* Quamquam sint quibus hæc Basilei acta videntur esse falsa ac supposititia, in hoc tamen loco sincera esse satis manifestum est.

DIE IDVVM IVNIAR.] Ista non sunt intelligenda de die quo datum est edictum, sed de die quo Licinij jussu propositum est Nicomediæ.

CONSTANTINO ATQ. IPSO TER CONS.] id est, anno Christi CCCXIII.

LITTERAS] Eas descripsit Eusebius lib. X. cap. V. sed è Romanana lingua in Græcum sermonem translatas, ut ipse ait. Quòd ergo eas nunc habemus Latinè, uti editæ primò sunt, unius Lactantij diligentiæ debemus. Sed iste omisit præfationem, quam Eusebius habet.

VT POSSIT NO. S. DIV.] Eusebius vertit, ὅπως ὅ, τι ποτὲ ἐστι θεότης καὶ οὐρανίου πράγματος. Ait autem Valesius hanc lectionem non esse sanam. Certè non congruit cum verbis edicti.

CVIVS R. L. M. OBSEQVIMVR] Hæc Eusebius non reddidit Græcè.

DICATIONEM] id est, dignationem. Hæc enim vocabula promiscuè & indifferenter usurpari video. Paulò pòst in hac epistola legitur: *intelligit dicatio tua.* Eadem vox reperitur in Collatione prima Carthaginensi cap. X. & XIX. & in relatione Anulini Proconsulis ad Constantinum Augustum

ſtum in collatione tertia cap. CCXX. & apud ſanctum Auguſtinum epiſt. LXVIII. Plura exempla ſi quis requiret, conſulat Gloſſarium Dufreſnij.

CONDITIONIBVS] Euſebius vertit, τῶν αἱρέσεων. Quæ vox multum laboris attulit hominibus eruditis, ut patet ex Valeſij annotationibus ad hunc locum. Nunc itaque facilis erit loci iſtius intellectus. Nam juris periti apud Græcos hæreſes vocarunt quas nos conditiones appellamus, ut videre eſt in variis locis Baſilicorum, præcipuè verò in libro XLIV. tit. XIX. XXX. & ſequenti, in Codice Iuris Græco-Romani, & alibi. Conſtantinus Harmenopulus lib. VII. tit. VIII. αἱ παράνομοι καὶ καταγέλαστοι αἱρέσεις περὶ αἱροῦνται τῶν ἐνστάσεων καὶ τῶν λεγάτων, καὶ χωρὶς αἱρέσεως ταῦτα παρέχονται. Quem locum ſic rectè vertit Ioannes Mercerus. *Conditiones quæ contra leges vel deriſoriæ ſunt, in inſtitutionibus & legatis pro non adjectis habentur, atque adeo hæc abſque ejuſmodi conditione præſtantur.* In Codice Theodoſiano l. 9. & 10. *De prædiis navicularior.* hæreſis ſignificat functionem ſive conditionem navalem. *Navalem hæreſim in omnibus volumus cuſtodiri, ut uſque ante viginti annos quæcunque poſſeſſiones ſubhaſtariæ ſorte diſtractæ ſunt, & propter contractum publicum navali fuerant hæreſi ſeparatæ, ſi huic oneri antè eas ſubjacuiſſe conſtiterit, rurſus ad debitam functionem teneantur obnoxiæ.*

QVAS..... HONORI] Hæc corrupta ſunt apud Euſebium, ubi ſic legitur ex interpretatione Valeſij: *Atque id à nobis eò factum eſt ut ne cui divino cultui atque honori quidquam à nobis detractum eſſe videretur.* Meliùs ſanè quàm Muſculus & Chriſtophorſonus.

DATIS LITTERIS] Loquitur de priore Conſtantini & Licinij conſtitutione, quæ lata erat paulò poſt devictum Maxentium. Vide annotationes Valeſij.

VICARIVM] Cùm Euſebius Græcè loqui vellet, nec verbum haberet quo Vicarij dignitas ſignificaretur, interpretatione & circuitione uſus eſt. Deinde Euſebij interpretes Præfectum verterunt qui in illa provincia ſeu regione jus dicit.

HORTATVS EST] nempe Licinius.

ANNI DECEM] Hic locus oſtendit, ut ſuprà diximus, perſecutionem cœpiſſe die VII. Kalendas Martias, quo die everſa eſt Eccleſia Nicomedienſis. Nam ſi numeres à die vigeſima tertia Februarij anni CCCIII. uſque ad diem tertiam decimam menſis Iunij anni CCCXIII. qua propoſitum eſt Nicomediæ edictum de reſtaurandis Eccleſiis,

reperies effluxisse annos decem, menses tres, dies verò novendecim, id est, ut heic ait Lactantius, annos decem, menses plus minùs quatuor.

CAP. XLIX. TAURI MONTIS ANGUSTIAS] sive fauces, ut alij loquuntur. Sunt autem inter Cappadociam & Ciliciam. Nam Maximinum fugientem transiisse per Cappadociam docet Lactantius cap. XLVII. Et certè venienti è Bithynia in Ciliciam rectum iter est per Cappadociam. Itaque angustias illas eo loci positas reor ubi portæ Ciliciæ notantur in tabulis geographicis.

TARSUM CONFUGIT] Lactantius in capite XLVII. testatur campum serenum, ubi Maximinus victus ac fugatus est ab exercitu Licinij, abfuisse à Nicomedia M. P. CIX. In Itinerario autem Burdegalensi notatum est à Nicomedia usque Ancyram Galatiæ numerari M. P. CCLVIII. ab Ancyra Tarson usque M. P. CCCXLIII. Fiunt M. P. DCCLXI. Scio Maximinum fugisse cum summa diligentia donec Nicomediam perveniset. Sed postea puto conquievisse aliquatenus animum ejus & deferbuisse aliquantisper ardorem fugiendi. Itaque quum ei superfuerint peragranda M. P. DCI. ut Tarsum Ciliciæ urbem perveniret, collectis autem ex fuga & ab oriente militibus in Cappadocia primùm substiterit, dein in Tauri montis angustiis, ubi munimenta ac turres fabricavit ad arcendos insequentium Licinianorum impetus, fieri non potuit ut is qui Kalendis Maiis pervenit Nicomediam, Tarsum pervenerit ante mensem Iulium sequentem. Quod ideo heic adnotare visum est quòd videam plerisque placere Maximinum hunc Iunio mense extinctum fuisse, & virum alioqui eruditissimum Henricum Noris in dissertatione de numismate Licinij cap. II. contendere mortem ei evenisse anno CCCXIV. ineunte vere. Sed de anno postea videbimus. Interim observare oportet non statim mortuum esse Maximinum ac Tarsum pervenit, sed aliquando tempore supervixisse ignominiæ suæ, gravissimosque dolores perdiù sustinuisse, ita ut affirmare fas sit non esse mortuum ante mensem Augustum.

INSANIA PERCITUS] Ita nos emendavimus, cùm in codice veteri scriptum sit *insania percutis*. Lactantius lib. I. institut cap. IX. *Idem furore atque insania percitus uxorem suam cum liberis interemit*. D. Ioannes Chrysostomus in oratione de sancto Babyla loquens de mortibus persecutorum, ait uni ex illis adhuc viventi pupillas ex oculis exiliisse, id est, Maximino, alium furore percitum, alium alio oppressum incommodo mortem oppetiisse. Quod

autem heic de furore dicitur, Henricus Valesius interpretatus est de Diocletiano, quem ex Eusebio & Constantino colligit dementem periisse. Verùm id non dicunt Eusebius & Constantinus, sed tantùm illum de mentis statu vi morbi deturbatum extremo anno imperij sui. Et sanè Lactantius, qui morbum ejus describit, nihil adnotat de dementia ac furore. Quòd si Chrysostomus se non explicasset, facilè crederem ea quæ de Imperatore furore percito ab eo dicuntur, ad Maximinum referenda esse, propter hunc locum Lactantij.

CAPVT PARIETIB. INFLIGERET] Hoc est unum ex detestabilibus, ut in tertia Tusculana Cicero vocat, generibus lugendi. Vide Casauboni Notas in Iulium Capitolinum.

EXILIERVNT OCVLI] Idem scribit Eusebius lib. IX. hist. eccles. cap. X. lib. I. de vita Constantini cap. LIX. item Eutychius, Theophanes, & Anastasius. Meminit etiam D. Chrysostomus oratione in sanctum Babylam, & sanctus Hieronymus in Zachariam; ut videbimus paulò pòst.

TAMQVAM CREMARETVR] In annalibus Eutychij scriptum est Maximinum in morbum incidisse quo adustum est corpus ipsius, adeo ut carbonis instar esset, & ita tostum fuisse ut rumperentur viscera ejus præ calore quem intus sentiebat, & excidentes ipsius oculos in terram decidisse, adustamque carnem ab ossibus separatam esse. Sed ista meliùs explicat Anastasius Bibliothecarius in historia ecclesiastica, his verbis: *Divina præveniens ira comprehendit eum. Flamma ènim de medio viscerum & medullarum succensa cum dolore intolerabili pronum super terram anhelantem prostravit, ita ut uterque oculus ejus exiliret, & cœcus, ut re vera sceleſtus, relinqueretur. Porrò cùm carnes ejus putrefactæ præ innumerabili ossium incendio caderent, ipse impugnantem Deum projecit animam.* Sumpsisse autem ista Anastasium ex Theophane manifestum est.

NOCENTEM SPIRITVM EFFLAVIT] In Epitome Victoris scriptum est illum simplici morte periisse, id est, naturali, seu fato suo. Et Eutropius tradit eum vicinum exitium fortuita morte præveniisse. Quod utrumque verum est. Communis doctorum virorum sententia est eam mortem eveniisse anno Christi CCCXIII. Petavius tamen lib. XI. de doctrina temporum cap. XXXIV. scribit, auctore, ut ipse ait, Eusebio in Chronico, adstipulantibus Victore & Eutropio, Maximinum extinctum fuisse anno altero quàm Galerius Maximianus periit, id est, anno Christi

CCCXII. Verùm cùm certum sit illum obiisse anno sequenti post cædem Maxentij, jure hoc loco Petavium reprehendit Henricus Noris. Sed ipse tamen in hoc errare convincitur quòd, secutus Baronium, contendit mortem Maximini contigisse anno CCCXIV. ineunte vere. Nam cùm ex postremis Lactantij capitibus constet illum periisse eo anno quo pax data est Ecclesiæ, quo etiam Lactantius finem imposuit huic operi, & persecutionem ostenderimus cœpisse anno CCCIII. exeunte Februario, luce clarius est Maximinum extinctum fuisse anno CCCXIII. qui decimus erat à cœpta persecutione. Nititur sanè vir doctus probabili in speciem argumento, iis nimirum Maximini verbis ex edicto quod paulò ante mortem dedit in gratiam Christianorum apud Eusebium lib. IX. cap. X. ubi ait se superiore anno datis ad singulos provinciarum Præsides litteris statuisse eadem quæ in Constantini & Licinij litteris continebantur. Cùm itaque ea Constantini ac Licinij constitutio lata fuerit anno CCCXIII. ineunte, evidentissimè lucere istam, quæ sequenti anno data est, in annum CCCXIV. rejiciendam esse, adeoque eo anno tyrannum imperium cum vita amisisse. Gravis sanè argumentatio, si constaret Maximinum numerasse annos suos à Kalendis Ianuariis. Sed cùm octavus imperij ejus annus impletus fuerit Kalendis Maiis anni CCCXIII. ut docet Lactantius, edictum ab eo post aliquot menses datum ad sequentem id est nonum imperij ejus annum refertur, sed non ad annum Christi CCCXIV. præsertim cùm ex narratione Eusebij constet datum esse paulò pòst quàm à Licinio victus erat. Itaque Baronius & victoriam Licinij & exitum Maximini conjungens, ista contigisse scribit anno Christi CCCXIV. unius anni errore. Nam quæ de sexto anno Maximini Augusti addit ex nummis vir doctissimus Henricus Noris, ea sanè non officiunt opinioni eorum qui anno Christi CCCXIII. assignant mortem Maximini, cùm is qui titulum Augusti sumpserat exeunte anno CCCVII. aut sub initium sequentis, sextum imperij sui annum numerare potuerit anno CCCXIII. Quo anno mortuum esse illum probari potest etiam auctoritate Aurelij Victoris, qui scribit eum post biennij augustum imperium, id est, biennio post mortem Galerij, fusum fugatumque à Licinio, apud Tarsum periisse. Nam cùm Galerius extinctus sit anno CCCXI. mense Maio, Maximinus moriens anno CCCXIII. rectè scribitur biennium in oriente regnasse: qui si anno tantùm CCCXIV. mortuus fuisset, excessisset biennium quod illi tribuitur ab Aurelio Victore.

PERSECVTORES DEBELLAVIT] Lactantius lib. VII. institut. cap. XXVI. *Illi enim qui ut impias religiones defenderent, cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent.* Eadem observant Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. III. & auctor fragmenti de Constantio Chloro pag. 475. Hieronymus in caput XIV. Zachariæ : *Legamus ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sævissimus omnium Maximinus, & nuper Iulianus passi sint; & tunc rebus probabimus etiam juxta litteram prophetiæ veritatem esse completam, quòd computruerint carnes eorum, & oculi contabuerint, & lingua in pedorem & saniem dissoluta sit.* Scaliger in animadversionibus ad Eusebium pag. 248. sic interpretatur hunc locum ut Hieronymum putet Maximinum inter eos posuisse quorum carnes computruerint. Sed ego puto hunc non esse sensum verborum Hieronymi. Loquitur primò de miserabili morte Valeriani & Decij, sed mortis genus non explicat. Nam verba prophetiæ quæ susceperat interpretanda non poterant trahi ad genus mortis quo duo illi Principes perierunt. Deinde putredinem carnium refert ad Maximianum, tabem oculorum ad Maximinum, linguæ pedorem & saniem ad Diocletianum, si vera sunt quæ de eo narrant Eutychius Alexandrinus & Georgius Cedrenus, nimirum eum morti propinquum ex faucibus multitudinem vermium ipsa cum lingua, quæ computruerat, ejecisse. CAP. LI.

VALERIVM] Nescio quis fuerit homo ille. Filium enim Galerij Maximiani non fuisse hinc liquet quòd Lactantius suprà cap. XX. quum narrat consilium Galerij de substituendo filio suo in locum suum, Candidianum nominat, haud dubiè Valerium nominaturus si is Galerij filius fuisset. Deinde si Valerius ille fuisset filius Galerij, eum ex priore uxore sustulisset, adeoque annos ut minimùm quatuordecim natus fuisset quum Severus & Maximinus Cæsares facti sunt à Galerio. An verò putamus Cæsarem in aliena familia quæsiturum fuisse Galerium, si in sua habuisset? Denique, quur non eum Valeria æquè adoptasset ac Candidianum ex concubina natum, quem adoptavit ob sterilitatem? Itaque nescio quis fuerit hic Valerius.

MATER EORVM] id est, uxor Maximini. Ejus verò nomen se nescire fatentur eruditi.

CORRVMPERET VERITATEM] Lactantius lib. III. institut. cap. I. *Deus hanc voluit esse rei naturam ut simplex & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per* CAP. LII.

se est, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur.

IOVIOR. ET HERCVLIOR.] Sic vocatæ familiæ Diocletiani, qui se Iovium dicebat, & Maximiani senioris, qui Herculius dictus est, tamquam si à Iove & Hercule genus ducerent, ut observatum est à viris eruditissimis. Annotat Aurelius Victor hinc militaribus auxiliis in exercitu præstantibus nomen impositum, id est, ut Herculiani vocarentur. Vnde apud Ammianum Marcellinum lib. XX. & XXII. mentio Iovianorum & Herculianorum.

ATQVE heic tandem finis esto Notarum nostrarum ad librum Lactantij de mortibus persecutorum. Ejusdem argumenti opus, si vera fides, scripserat Aurelius Victor historiam comprehendens persecutionum Ecclesiæ usque ad Diocletianum, quod in bibliotheca Vaticana extitisse sua ætate testatur Marianus Victorius ad epistolam XXI. Hieronymi, quæ inscripta est Paulo monacho Concordiensi, à quo Hieronymus postulabat *commentarios Fortunatiani, & propter notitiam persecutionum, Aurelij Victoris historiam.* Multùm tamen ambigo an verè dici possit Aurelium Victorem, hominem minimè Christianum, scripsisse historiam istiusmodi, cùm locus ille Hieronymi corruptus sit in vulgatis editionibus adeoque intricatus ut virum doctissimum Andream Schottum in horrendas ambages impulerit, dum Aurelium Victorem persecutionum Ecclesiæ scriptorem quærit, huc descendere coactus ut existimaret plures Victores historiæ augustæ scriptores fuisse & unum etiam Christo nomen dedisse. Nam si historia illa extitisset in bibliotheca Vaticana qua tempestate Victorius scholia sua scribebat in Hieronymum, certè non evasisset eruditas ac diligentes Baronij manus neque tot doctissimorum & antiquitatis ecclesiasticæ amantissimorum hominum qui post Pij IV. pontificatum & Mariani Victorij tempora Romæ vitam egerunt & in edendis recensendisque ac emendandis veterum scriptorum, in primis verò ecclesiasticorum, lucubrationibus laudabilem operam posuerunt. Profectò concors illud ac perpetuum tot præstantissimorum virorum silentium de re tanti momenti, qui ne verbo quidem ullam istius Aurelij Victoris historiæ mentionem uspiam faciunt, me vel invitum ac reluctantem suspicari cogit aut memoria lapsum esse Victorium, aut impositum illi fuisse; præsertim cùm ex verbis Hieronymi colligi non possit Aurelium Victorem scripsisse historiam persecutionum, sed tantùm ejus historiam, in

qua tractatur de vita Imperatorum usque ad Iulianum, utilem esse ei qui velit habere *notitiam persecutorum*, id est, eorum Imperatorum qui persecuti sunt Ecclesiam Dei. *Persecutorum* enim heic legendum esse, non verò *persecutionum*, docent in primis codices 173. & 2789. bibliothecæ regiæ, tum codex 305. bibliothecæ Colbertinæ, prima editio Romana anni MCCCCLXVIII. Veneta anni MCCCCLXXXVIII. & Lugdunenses duæ annorum MDXIII. & MDXVIII. Primus omnium Erasmus reposuit *persecutionum*, auctoritate haud dubiè vetusti alicujus exemplaris, cùm in codice quoque 1110. ejusdem bibliothecæ Colbertinæ ita legatur. Hunc secutus est Victorius. Sed profectò ex his quæ dicta hactenus sunt satis constat hanc lectionem non esse bonam, & eam retineri debere quam veteres libri & editiones exhibent, cùm nullam habeat difficultatem. Agamus autem gratias immensæ Dei optimi maximi benignitati, qui istum Lactantij librum nobis post tot secula redonavit, eoque utamur ad majorem ipsius gloriam & sanctæ Ecclesiæ utilitatem, in cujus gratiam susceptus est hic labor.

AD PASSIONEM SANCTI SAVINI.

ACta ista, quorum fragmentum edidit illustrissimus Cardinalis Baronius in annalibus ecclesiasticis, nos invenimus integra in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ. Sunt autem sinceriſſima & optima, ut monuit idem Baronius, & digna quæ veniant in manus hominum eruditorum. Cujusnam porrò civitatis Episcopus fuerit Savinus, variæ sunt inter scriptores Italos sententiæ, quibusdam eum Assisinatem Episcopum fuisse censentibus, aliis Spoletinum, nonnullis etiam Clusinum & Faventinum. Baronius eum vocavit Episcopum Spoletinum, non aliam, ut opinor, ob causam quàm quòd martyrium consummaverit in civitate Spoletina. Et Baronium quidem propterea reprehendit Philippus Ferrarius in Catalogo sanctorum Italiæ pag. 761. quòd contra fidem actorum scripserit eum Spoletinæ Ecclesiæ præfuisse. Sed Ferdinandus Vghellus in catalogo Episcoporum Spoletinorum pag. 170. ait Ferrarium hallucinatum fuisse & frustra Baronium fugillasse, & Savinum contendit sedis illius cathedram verè tenuisse, sed eundem tamen Assisinatibus, Clusinis, Faventinis, aliisque vicinis Ecclesiis vel præfuisse vel evangelium prædicasse. quod etiam repetit in catalogo Episcoporum Assisiensium.

Mihi, qui partium ſtudio non ducor, ea verior videtur eſſe ſententia quam acta confirmant, nimirum illum fuiſſe Aſſiſinatem Epiſcopum, ſed Spoleti occiſum nomine Chriſti.

CAP. I. MISSO SEXTO] Suetonius in Domitiano: *Fecit & ludos ſeculares. In his, Circenſium die, quò facilius centum miſſus peragerentur, ſingulos à ſeptenis ſpatiis ad quina corripuit.* id eſt, ut Beroaldus interpretatur, inſtituit ut ſinguli miſſus, qui per ſeptena ſpatia priùs peragi ſolebant, quinis ſpatiis peragerentur. Centum igitur, ut idem Beroaldus obſervat, miſſus equeſtres exhibebantur. Vnde in veteri Kalendario Romano frequenter legitur *cm.* XXIV. quod quidam explicant *Circenſes miſſus* XXIV. Porrò locus iſte ex vita ſancti Savini ſingularis eſt, cùm hinc elici poſſe videatur Imperatores quoque ipſos curſu quandoque contendiſſe in ludis Circenſibus, & curſus illos fuiſſe inter celebres factiones Praſinam, Venetam, Albatam, & Ruſſatam; de quibus vide veteres inſcriptiones apud Gruterum, præcipuè verò eam quæ pag. CCCXXXVII. extat in honorem Diocletis agitatoris. Vide etiam Notas Nicolai Alemanni ad hiſtoriam arcanam Procopij pag. 24. & 33. & Savaronem ad carmen XXIII. Sidonij.

CAP. II. LIBROS EXPONIT] libros nimirum deificos, divinos, dominicos, ſacras ſcripturas. Tum enim bellum primò commotum fuit propter libros dominicos, ut alibi diximus.

ATQVE AVCTORITATE] In margine monuimus legendum videri *hanc auctoritatem*, id eſt, præceptum, juſſionem, litteras. Vide Gloſſarium Dufreſnij.

EÆDEM FISCO] Hæc eſt lectio codicis quo uſus eſt Baronius, & quæ ſanior videtur. In codice Colbertino legitur: *fiſci tributis adplicandis ſocientur.*

CAP. III. IN MEDIO FORO] Conſueviſſe judices judicare Chriſtianos in foro, ſpectante populo, probant, præter alia veterum teſtimonia, acta ſanctorum Saturnini, Dativi, & ſociorum cap. III. & acta ſancti Pontij martyris cap. XVI.

AD ACTA SANCTORVM SATVRNINI, Dativi, & ſociorum.

INCIPIVNT CONFESSIONES] Addidimus hunc titulum ex codice 930. bibliothecæ Colbertinæ. Deerat enim in editionibus Surij & Henſchenij. Cùm autem ille ſit vetus, & in eo quædam, quæ ad hiſtoriam ſanctorum

martyrum pertinent, contineantur quæ in actis ipsis non habentur, visum est alicujus momenti eum dare qualem invenimus in veteri codice. Scripta sanè sunt ista, quod negari non potest, ab aliquo Donatista, sed docto & erudito; dignaque mihi visa sunt quæ cum Lactantio conjungerentur, cùm ob similitudinem argumenti, tum ob elegantiam sermonis. Quamquam enim ea non sint ipsamet acta martyrum quæ in Collatione Carthaginensi laudata sunt, ut apparet ex sancto Augustino, opus est tamen antiqui scriptoris, & qui non admodum remotus fuit ab ævo Diocletiani. Falluntur ergo vehementer qui auctoritate Augustini abutuntur ut probent ea esse ipsa proconsularia gesta excepta à Notariis, cùm è contrà ex testimonio Augustini colligatur non extare hodie ea gesta, sed tantùm historiam quam Donatista ille ex iisdem gestis concinnavit. Nam Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. XVII. docet gesta martyrum notata fuisse Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus, pridie Idus Februarij, cùm in hoc libro scriptum simpliciter sit, absque ulla temporis nota, bellum ex quo orti sunt traditores commotum fuisse temporibus Diocletiani & Maximiani. Præterea quæ in capite XVI. & sequentibus dicuntur de Mensurio & Cæciliano, ea profectò non pertinent ad gesta proconsularia, & lecta in Collatione Carthaginensi non fuisse rectè observatum est à Baronio.

IN ARCHIVO MEMORIÆ] Infrà cap. IX. *Ejusque confessionem in memoriam unà cum ceterorum confessionibus redigens.* ubi Baronius adnotat memoriam dictum fuisse locum in quo gesta proconsularia asservabantur. Verùm cùm id nullo veterum testimonio comprobet, & res obscura sit, nondum mihi persuasum est veram esse interpretationem illam. Notum est fuisse in palatio Imperatorum magistros memoriæ, qui dictabant ad memoriam. de quibus multa pro suo more dixit Salmasius in Notis ad scriptores historiæ augustæ pag. 207. & 480. Verùm hæc memoria diversa fuit ab ea cujus heic mentio. Puto autem heic memoriam significare codices publicos, in quibus causæ scribebantur quæ in foro agitabantur, ne earum memoria aboleretur. Sed in initio hujus historiæ, ubi legitur acta martyrum ideo in archivo memoriæ conscripta esse ne seculis transeuntibus obsoleseeret gloria martyrum, existimo eam vocem diverso sensu positam esse, & heic non referri ad codices publicos, quorum custodia non erat penes clerum, sed ad libros ecclesiasticos, in quibus conscripta erant gesta martyrum ad memoriam omnium sempiternam. CAP. I.

CAP. II. TESTAMENTA] In codice Colbertino scriptum est *sacramenta*, id est, mysteria. quod eodem recidit.

ALVTINENSI] Ita Surius & codex Colbertinus. Editio Henschenij habet *Abitinensi*, ex duobus antiquis codicibus, ut ipse ait. Sanè in Collatione Carthaginensi legimus Maximum & Victorem Episcopos Abitinenses, & in Concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit Saturninus Episcopus ab Abitinis. Ego tamen, qui scio periculosam esse quamlibet mutationem in nominibus propriis, præcipuè verò in nominibus civitatum Africæ, veterem lectionem retinui.

OCCANI] In codice Colbertino legitur *Octavi*. Sic etiam in Trevirensi scriptum fuisse admonet Henschenius.

BELLICA TVBA] Ne quis existimare possit hæc dicta esse more rhetorum, non autem stylo simpliciter historico, proferendus est locus insignis ex actis sanctæ Euphemiæ martyris, quæ hac ipsa persecutione fervente ad Deum transiata est apud Chalcedonem. Illic ergo scriptum est fuisse in ea civitate *templum Martis & insigne illius simulacrum. Vocabant autem edicta cives ad festum & eos qui habitabant circa Chalcedonem. Minabantur verò mortem & supplicia iis ad quos erant ventura, si non persuaderentur ut adorarent dæmones. Tubæque clarè sonantes & terribiliter erant signum conveniendi ad templum.* Acta sancti Alexandri martyris hac ipsa persecutione sublati, apud Surium die XIII. Maij: *Itaque omnes audita præconum voce & tubæ clangore, parati erant cum Imperatore in Iovis templo præsto esse.*

CAP. IV. IN IPSA LANIAMENTA] Ita omnino codex Colbertinus. Idem autem hoc loco valet vox *in* ac *inter*; ut infrà cap. XI. *animam in tormenta carceris ponens.*

CAP. VII. AD BONAM MENTEM] Vide quæ dicta suprà sunt ad caput XXXIV. Lactantij.

CAP. XIV. AD ÆDEM PVDICITIÆ] id est, ad templum Dei. Figurata & elegans loquendi ratio, ut quæ virginitatem suam dedicare ac consecrare Christo volebat, intelligeretur. De æde pudicitiæ patriciæ, quæ Romæ in foro boario erat ad ædem rotundam Herculis, mentio est apud T. Livium lib. x. & Festum. Eam in regione octava fuisse scribit P. Victor.

SACR. CRINEM SERVAVIT] Non totondit ergo Victoria crinem suum quum se Christo consecravit. Quippe olim feminis Christianis interdictum erat ne comam deponerent, etiam quibus placebat perpetuæ professio continentiæ. Sed tamen paulò pòst, ut in epistola XLVIII. ad

Sabinianum scribit Hieronymus, in Ægypti ac Syriæ monasteriis hic mos fuit ut tam virgo quàm vidua, quæ se Deo voverent & seculum conculcarent, crinem monasteriorum matribus offerrent desecandum.

CAP. XV.

COMAM] Editiones habent *collum*, omnino contra mentem Proconsulis. Nam his infantem minis terrere volebat, quo modo si verbera minaretur aut præcipitium ex edito loco, non tamen periculoso. At colli amputatio ultra progreditur, nec inter minas pueriles censeri potest. Meliùs igitur codex Colbertinus, qui *comam* habet. Sunt enim pueri amatores comarum suarum. Hinc Statij carmen de coma Earini.

CAP. XVI.

Quæ deinceps sequuntur, quia manifestas calumnias continent in Mensurium Episcopum Carthaginensem & Diaconum ejus Cæcilianum, qui & ipse postea fuit Episcopus Carthaginensis, omissa sunt in secunda editione Surij & in Henscheniana.

CAP. XVII.

PANNVS ILLOTVS] Ita codex Colbertinus. Editiones habent, *panis luctus*. Quo etiam modo habetur apud Oseam in omnibus editionibus. Nescio autem unde orta sit hæc lectio in veteri codice. Sed eam confirmant sequentia; ubi pro eo quod in vulgatis Oseæ codicibus legitur, *Omnes qui comedent eum contaminabuntur*, scriptum est in veteri codice, *Omnis qui tetigerit illum inquinabitur*.

AD ACTA SANCTI FELICIS EPISCOPI Tubyzacensis.

PRimus hæc acta edidit Surius, sed valde mendosa & mutila. Postea integriora nobis in tomo duodecimo sui Spicilegij dedit vir clarissimus Lucas Dacherius, ex schedis, ut ipse præfatur, viri item clarissimi Petri Francisci Chiffletij. Nos illa diligenter contulimus cum quatuor antiquis & optimis codicibus manuscriptis bibliothecæ Colbertinæ, & vel ob eam rationem heic addidimus. Præterea cùm hinc, sicut ex historia passionis sanctorum Saturnini & Dativi, & ex actis purgationis Felicis Episcopi Aptungitani & Cæciliani Carthaginensis, intelligamus originem traditorum, quo nomine nihil aut vulgatius aut contumeliosius fuit in Ecclesia Africana, peti ex initio persecutionis quam describit Lactantius, officij nostri esse arbitrati sumus cum illo conjungere vetera illius ævi monumenta sincera quæ reperiri possent, emendata ex fide veterum exemplarium.

INCIPIT PASSIO] Ita codices 59. & 930. bibliothecæ Colbertinæ. At codex 401. sic habet. *Incipit passio sancti Felicis Episcopi Bituzacensis* XVIII. *Kal. Ianuarij.* Breviùs codex 316. *Passio sancti Felicis Episcopi.*

DIOCLETIANO OCTIES] Ita rectè omnia vetera exemplaria & editio Dacheriana. Malè apud Surium, ubi scriptum est: *Diocletiano novies & Maximiano octies Consulibus.* Nam certum est edictum fuisse propositum eo anno quo Diocletianus VIII. & Maximianus VII. Consules fuere.

TUNC] id est, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Consulibus. Nam hæc referenda sunt ad annum qui sequitur post initium persecutionis, cùm hæc acta Carthagine & in Africa sint mense Ianuario.

TUBYZACENSE] Ita codices 59. & 930. Sed codex 401. habet *Tubizocense*, 316. & editio Dacheriana *Tubzocense*. Nihil autem moror editionem Surianam, quam tot veterum exemplarium consensus ostendit esse mendosam in hoc loco. Infrà hæc civitas in codice 930. vocatur Tupuza pro Tubyza, nullo discrimine. Nota enim est permutatio litterarum. Tubyzam ego puto fuisse civitatem Numidiæ, eam fortassis cujus Episcopus Frumentius Tubusicensis, ut apud Victorem Vitensem legit Abrahamus Ortelius, nominatus reperitur inter Episcopos qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei anno sexto Regis Vandalorum Hunerici. Sed in editionibus Sirmondi & Chiffletij legitur *Tubursicensis*. In collatione porrò prima Carthaginensi cap. CXXI. mentio est Servi Dei Episcopi Tubursicensis Buræ, cap. CXLII. Maurentij Episcopi Ecclesiæ Tubursicensis, & cap. CCII. Ianuarij Episcopi de Tubursicu seu Tuburscico Numidiarum. Certè tanta est difficultas in constituendis veris nominibus civitatum Africæ, propter eorum inter se similitudinem & affinitatem, ut affirmare non ausim utrum heic apud Victorem legendum sit *Tubusicensis*, quemadmodum in codice suo vidit Ortelius, an *Tubursicensis*, ut alij. Nam, exempli gratia, in Notitia illa Episcoporum Africæ Rusticus Episcopus Tipasensis nominatur inter Episcopos Numidiæ, & Reparatus Tipasitanus inter Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis. Rursum inter Episcopos provinciæ Byzacenæ ponitur Felix Forontonianensis, & paulò pòst Bonifacius Frontonianensis. Sufficiunt enim hæc exempla. Interim omittendum non est, in eadem collatione Carthaginensi cap. CLXXXVII. nominari Martinianum loci Tibuzabetensis Episcopum.

MAGNILIANVS] Ita constanter scriptum est in veteribus libris bibliothecæ Colbertinæ. Ado & Dacherij editio habent *Magnellianus*, Suriana & Martyrologium Romanum *Magdellianus*.

VBI EST] Hanc totam pericopen, quæ in codicibus 401. & 930. non invenitur, exhibent codices 59. & 316. & editio Dacheriana. Eandem habet etiam Suriana.

DATE ILLOS IGNI ADVRI] Hanc jussionem Magniliani Curatoris & responsionem martyrum defuisse in veteri exemplari Chiffletij hinc colligi potest quòd omissa est in editione Dacheriana. Eam tamen exhibent omnia nostra vetera exemplaria (uno 316. excepto) & editio Surij. Et sanè constat sensum non esse integrum in illis exemplaribus quæ illam magistratus interlocutionem & Clericorum responsionem non habent.

VT POSSINT] Hæc verba desunt in duobus antiquis exemplaribus. Possunt autem omitti absque ullo incommodo. Suprà: *Date illos igni aduri.*

APVD EIVS ACTA] Hæc est vera & germana lectio. Malè in codicibus 59. 401. & 930. *apud eum actu.*

EXAMINE] Ita codices 401. & 930. Alij habent *examinatione.*

TVNC VIROS SVOS] Mirum est quo modo fieri potuerit ut depravatissima lectio heic obrepserit in codicibus 59. 401. & 930. ubi legitur: *Vxor itaque ejus virum suum in allocuta est verbis.*

NVLLO MODO] In eisdem tribus codicibus scriptum est *nulla ratione.*

VT ATE DOMINE] Hæc est lectio eorundem trium veterum exemplarium. Sed codex 316. & editio Dacheriana habent. *Attende Domine, sicut nobis promittere dignatus es, ut tecum merear suscipere immortalitatem.* Nos retinuimus lectionem quæ sincerior esse videtur, & quæ plurium veterum exemplarium auctoritate nititur.

NVNQVAM ADVERSVS ME] Secuti heic quoque sumus fidem veterum librorum. Nam editio Dacherij habet: *nunquam inimicus adversùs me habebit potestatem.*

SEDECIM] Codex 401. Colbertinus habet *duodecim.*

NONTE DE VOCABVLO] In quatuor vetustis codicibus Colbertinis legitur: *Non tibi vocabulum quæsivi professionis.*

AD PRÆFECTVM PRÆTORIO] Editio Suriana addit *Idibus Iulij*, ineptè sanè. Nam cùm ista agerentur mense Ianuario, ridiculum est dicere martyrem missum

fuisse Idibus Iuliis ad Præfectum prætorio. Neque verò illud incidisse potuit etiam in Idus Februarias. Quippe Felix Episcopus apprehensus est postridie Nonas Ianuarij, deinde triduo repositus in carcere ut secum deliberaret an scripturas deificas traditurus esset, quarto postea die missus est ad Proconsulem, post dies sedecim quàm Carthaginem perveniisset, Proconsuli oblatus est, & tunc missus Romam ad Præfectum prætorio. Fiunt dies unus & viginti. Adde aliquot dies pro itinere à Tubyza usque ad Carthaginem. Missus est ergo Felix Romam sub finem mensis Ianuarij.

DVODECIM] Ita quatuor exemplaria bibliothecæ Colbertinæ. Dacheriana editio habet *quatuordecim*, Suriana *novem*.

POST IMPERATORES] id est, ad Maximianum Herculium, qui tenebat Italiam, quem verò tum in Campania fuisse propterea certum est.

SVBSANIO] Ita tria vetera exemplaria. Quartum habet *subsannio*, editio Dacheriana *subsanno*. Surius: *& fuit in capsa navis diebus quatuor*. Ex quo patet per subsanium vel subsannium intelligi debere imam partem navis.

GLADIO ANIM. CONSTITVO] Turbat me locus ille. Nam suprà Præfectus Felicem misit ad Herculium, nimirum ut causa Felicis finem acciperet in præsentia Imperatoris. Et tamen cognitor Nolanæ civitatis judicium sibi præsumit, & Felicem capite plecti jubet. Verùm id ita intelligi debet ut cognitor dicatur causam istam suscepisse judicandam *secundùm præceptum*, ut dicitur infrà, id est, ex delegatione Maximiani tum præsentis.

INVICTVS ET PERMANENS] Ita tres vetusti codices Colbertini. Quartus habet, *vivificans permanes*. Editio Dacherij, *vivificans & permanens*.

IN NOLA] Editio Surij docet hæc acta esse Venusij, quæ civitas est regionis Apuliæ.

OCTAVO DECIMO] Hæc est lectio trium veterum exemplarium. In quarto & in editione Dacherij legitur *nonodecimo*. apud Surium, *tertio Calendas Septembris*. Sed in vetustis martyrologiis passio sancti Felicis refertur ad diem IX. Kal. Novembris.

AD ALMAM] Hæc addita sunt ex codicibus manuscriptis. Epithetum est autem urbis Carthaginis, ut patet etiam ex actis Collationis Carthaginensis inter Catholicos & Donatistas. Alibi vocatur splendidissima, ut in actis purgationis Felicis Aptungitani, & celsissima, ut in actis collationis Carthaginensis.

AD ACTA PVRGATIONIS FELICIS Episcopi Aptungitani.

VNicum exemplar vetus istorum actorum habuimus ex bibliotheca Thuana, illud ipsum nimirum ex quo Collationem Carthaginensem & hæc gesta superiore seculo desinente edidit Papirius Massonus. Et ille quidem ea postposuerat actis purgationis Cæciliani, ordinem fidemque ejusdem veteris exemplaris secutus. Sed & tempus repugnat, & auctoritas sancti Augustini: qui quum in eundem errorem incidisset, docuit postea lib. II. retractat cap. XXVII. absolutionem Felicis præcedere debere. *Absolutionem*, inquit, *Felicis Aptungensis ordinatoris Cæciliani non hoc ordine posuimus quo postea nobis claruit Consulibus diligenter inspectis, sed tamquam post Cæcilianum fuerit absolutus, cùm antè sit factum.* Quo loco respicere eum ad hæc gesta Felicis & Cæciliani satis constat. Item idem Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. XXIV. *Inveniet posteriùs ab Imperatore Constantino absolutum esse Cæcilianum quàm Felicis causam ab Æliano Proconsule discussam atque purgatam.* Sed id tamen intelligendum est de secunda ac tertia Cæciliani absolutione, non autem de prima, qua Cæcilianus absolutus est in Concilio Romano, ut rectè notat Henricus Valesius in Dissertatione de schismate Donatistarum cap. XI. Nam ita docet nos ipse Augustinus in epistola CLII. nomine Concilij Cirtensis scripta ad Donatistas: *Nam & ordinem Consulum & dierum qui expressus est si quis nunc diligenter advertat, inveniet primò Cæcilianum episcopali judicio fuisse purgatum. Deinde non multò pòst Felicis Aptungensis causa ab Æliano Proconsule examinata est, ubi eum constitit innocentem. in qua causa ad comitatum mitti jussus est Ingentius. Et longè postea ipse Imperator causam inter partes cognovit atque finivit.* Vide eundem in libro de unico baptismo contra Petilianum cap. XVI. & in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. Rectè præterea observat idem Valesius maximam partem horum gestorum proconsularium temporis injuria periisse, priorem videlicet, in qua acta municipalia & interrogationes ac professiones Curatorum ac Statiorum continebantur. Hæc autem ab Imperatore Constantino ita fieri jussa sunt ut omnis criminandi occasio adimeretur Donatistis, qui de synodo Romana sive de Melchiadis Papæ judicio frequentissimè apud Constantinum conquesti,

affirmabant non omnem causam ab Episcopis illic auditam fuisse. Nam Melchiades silentio transmiserat Felicem Episcopum Aptungitanum & reliquos ordinatores Cæciliani, quos Donatistæ dicebant reos esse traditionis. Itaque Imperator volens, ut dixi, omnem criminandi ansam ipsis adimere, mandavit Vero, ut vocatur apud sanctum Augustinum, seu potiùs Lucrino Verino agenti vicariam præfecturam per Africam ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret. Quum verò ille jussionem Principis exequi cœpisset, incommoda valetudine tentus, ut ad Probianum scribit Constantinus, necessariò postea abstinuit à cognitione ejusdem negotij. Quare Ælianus Proconsul Africæ *partibus ejus functus, id negotium ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandum*, ut ait Constantinus. Ex quibus verbis colligitur Ælianum partes Vicarij non suscepisse mandato Principis, ut putavit Valesius, sed propria sponte, ob repentinum videlicet Vicarij morbum. Quamquam sententia viri clarissimi juvari posset ex libro primo Optati, ubi scriptum est Constantinum ad Ælianum Proconsulem scripsisse *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Autungitani publicè quæreretur*, & ex Augustini epistola CLXII. in qua scriptum est Felicem Aptungitanum *ad ejusdem Principis jussionem* proconsularibus gestis fuisse purgatum. Verùm hæc verba sic accipienda sunt ut quoniam Constantinus ad Verinum Vicarium scripserat de inquisitione criminum quæ Felici objiciebantur, & is morbo impeditus est sacræ jussioni parere, Ælianus Proconsul, qui partibus ejus functus, cognitionem & judicium istius causæ suscepit, *ad ejusdem Principis jussionem* fecisse dicatur quia rem fecit quam Princeps jusserat, tametsi specialia ad eum rescripta non emanassent. Nam quomodo fieri potest ut sat citò post morbum Verini, quem evenisse postremis diebus mensis Ianuarij aut sub initium Februarij colligi non absurdè potest ex lege prima Codicis Theodos. *De curatoribus Kalendarij*, quomodo inquam fieri potest ut sat citò de hoc morbo admoneri potuerit Constantinus ut novum ejus rescriptum ex Gallia ad Ælianum pervenire potuerit ante diem XV. Kalendas Martias? Itaque necesse est, ut dixi, verba Optati & Augustini benignè interpretari, ita nimirum ut Ælianus de causa Felicis cognoverit auctoritate rescripti dati ad Verinum Vicarium, cujus partibus pro necessitate temporis functus est. Ceterùm postea Donatistæ id reprehenderunt in causa Felicis, quòd Episcopus cùm esset, proconsulari judicio, non verò ecclesiastico,

purgatus

purgatus fuit. quam criminationem graviter refellit Augustinus in eadem epistola. Iidem ei vitio verterunt (ut docet Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. XXIV.) quòd abfuerit quum Ælianus de causa ejus inquireret, & dixerunt eum præsentem debuisse purgari, ut legitur in Collatione tertia Carthaginensi cap. DLXXI. Contrà catholici cap. DLXXIV. reposuerunt *majoris esse innocentiæ documentum quòd absens purgatus est Felix.*

AVTVMNITANORVM] id est, Aptungitanorum, sive Aptungensium, ut apud sanctum Augustinum frequenter. Sed in veteri codice & heic & infrà Autumnitani vocantur qui alibi Aptungitani. Immo viri clarissimi qui novissimam epistolarum sancti Augustini editionem curarunt, adnotant ad epistolam XLIII. (quæ est CLXII. in antiquis editionibus) pro eo quod illic legitur *Felicis Aptungitani*, editiones Amerbachij & Erasmi & decem manuscriptos codices habere *Autumnitani*. Aptungis porrò fuit municipium provinciæ proconsularis, ut manifestum est ex hoc loco Augustini in Breviculo diei tertiæ cap. XVI. ubi ait hanc esse catholicæ Ecclesiæ consuetudinem ut non Numidiæ sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent.

ÆLII PAVLINI] Nulla dubitatio est quin hic locus sit egregiè mendosus. Nam eo tempore quo hæc gesta sunt, Ælius Paulinus non erat Vicarius Africæ, ut planum est vel ex epistola Constantini ad Probianum. Sanè Paulinus ea dignitate ornatus multò antè fuerat, nimirum anno Christi CCCIII. quum persecutio fervebat in Africa, quum Alfius Cæcilianus esset Duumvir Aptungitanorum, ut scribitur infrà pag. 85. in iisdem gestis. Verinum porrò fuisse Vicarium Africæ ineunte anno CCCXIV. Volusiano & Anniano Consulibus, qua tempestate hæc gesta sunt, colligitur ex eadem epistola Constantini. Nam ex libro sancti Augustini contra Donatistas post collationem cap. XXXIII. discimus cognitionem de causa Felicis cœptam esse XV. Kalendas Martias. Immo vicariam præfecturam obtinuisse in ipsis anni initiis probare videtur lex prima Codicis Theodosiani *De Curatoribus Kalendarij*, quæ III. Kal. Februarij ab eo proposita est sub consulatu eorundem Volusiani & Anniani. Omnino enim sentio cum viris doctissimis Francisco Iureto & Iacobo Gothofredo Vicarium illum Africæ de cujus morbo agit Constantinus in epistola ad Probianum, Verinum fuisse; ut propterea emendandum sit nomen ejus in eadem epistola, ubi librariorum vitio vocatur Verus.

Mirum enim videri non debet heic mutatum esse in Verum, qui apud Augustinum in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. degeneravit in Valerium & Valerianum, ut dicemus infrà. Itaque pro nomine Ælij Paulini, quod in hæc gesta irrepsit, substituendum est nomen ejusdem Verini, qui aliquot etiam pòst annis vicariam præfecturam Africæ gessisse reperitur apud sanctum Augustinum in Breviculo diei tertiæ cap. XXII. *Addiderunt etiam illi suæ falsitati convincendæ magnum aliud firmamentum, recitantes ipsius Constantini litteras scribentis ad Verinum Vicarium ut libero eos dimittat arbitrio, se jussisse insinuans ut de exilio remearent.* Idem in epistola CLII. nomine Cirtensis Concilij scripta ad Donatistas: *Tertiò protulerunt litteras ejusdem Constantini ad Verinum Vicarium datas, ubi eos graviter detestatur, ac propterea dicit de exilio relaxandos & furori suo dimittendos, quia jam Deus cœperat in illos vindicare.* Sumpsit autem ista sanctus Augustinus ex actis collationis tertiæ Carthaginensis cap. DXLVIII. ubi ita habetur in editionibus Massoni, Pithœi, & Binij: *Vbi recitatur epistola Constantini ad Vicarium Vicarium destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis.* Vidit Iuretus mendum heic esse, & in Miscellaneis ad Symmachum pag. 312. rectè conjecit legi debere *ad Verinum Vicarium.* quam emendationem amplexus est Henricus Valesius in Dissertatione de schismate Donatistarum cap. XVII. Sanè in antiquissimo exemplari ex quo gesta Collationis illius edidit Massonus, disertè scriptum est *ad Vicarium Verinum.* Non viderant Augustinum, neque hæc Miscellanea Iureti, neque demum vetus exemplar ij qui editioni operum Optati Episcopi Milevitani præfuerunt anno MDCXXXI. post mortem illustrissimi Episcopi Aurelianensis Gabrielis Albaspinæi. Nam si vidissent, haud dubiè abstinuissent à periculosa illa nimiùmque temeraria emendatione quam huic loco adhibuerunt. Quum enim putarent vocem *Vicarium* bis heic positam esse superfluè vitio librariorum, semel tantùm posuerunt contra fidem actorum & veteris libri, tum etiam repugnante sancto Augustino. Qui error retentus est à nupero editore operum Optati & in novissima Conciliorum editione Parisiensi. Magis miror de ea quæ prodiit anno MDCXLIV. ex typographia regia: quam cùm fama sit procuratam à viris eruditissimis, & quidem in hac civitate Parisiensi, ubi facilè consuli poterat vetus codex in loco difficili & obscuro, rejecta ab illis est lectio quæ in prioribus editionibus extabat, & retenta temeritas editoris operum Optati. His ita consti-

tutis, cùm certum sit epistolam Constantini, quæ refertur in indiculo collationis tertiæ, eam esse quam Augustinus in capite XXXIII. libri ad Donatistas ait à Constantino scriptam esse ad Vicarium Valerium (sive Valerianum, ut habet codex vetus bibliothecæ Colbertinæ) Crispo & Constantino iterum Consulibus, certum quoque est mendum heic esse apud Augustinum, & pro Valerio reponendum esse Verinum. Rursum cùm hinc constet Verinum fuisse Vicarium Africæ sub consulatu eorundem Cæsarum, qui in annum Christi CCCXXI. incidit, & ex variis constitutionibus Codice Theodosiano comprehensis colligatur eum annis quoque CCCXVIII. & CCCXIX. eandem vicariam præfecturam administrasse, patet eum non solùm convaluisse ex morbo quo detinebatur tempore absolutionis Felicis, sed etiam continuatam ei fuisse potestatem. Sed tamen negotium heic mihi facessit idem Augustinus, qui in eodem capite XXXIII. libri ad Donatistas ait Constantinum ad Eumalium Vicarium scripsisse de purgatione Cæciliani Sabino & Ruffino Conss. IV. Idus Novembris, id est, anno Christi CCCXVI. exeunte; cujus epistolæ fragmentum idem Augustinus describit in libro tertio contra Cresconium cap. LXXI. eandemque in Collatione tertia Carthaginensi lectam fuisse docet in Breviculo diei tertiæ cap. XIX. ubi ejus sensum refert. Et antea quidem, id est, anno superiore, Domitium Celsum Africæ Vicarium fuisse docet inscriptio legis unicæ Cod. Theodos. *De his qui filios involant alienos*, data Kalendis Augustis Constantino Aug. IV. & Licinio IV. Consulibus. Quare oportet remotum aliquantisper fuisse Verinum, ut spatium daretur Celso & Eumalio, & dein Africæ redditum; sicut post Ælianum reperimus in Codice Theodosiano Catullinum Africæ Proconsulem fuisse per annos Christi CCCXV. CCCXVII. CCCXIX. & hoc ultimo anno Proculum quoque ea dignitate ornatum, ac postea Ælianum eam recepisse anno CCCXX. annoque CCCXXIV. Hilarianum proconsulare hoc imperium habuisse, & rursum Ælianum proconsulatu Africæ fulgentem anno Christi CCCXXVI.

CVM SCRIBA TVO] In veteri codice legitur, *cum scripta tua*. Massonus emendavit, omnino rectè. quod sequentia ostendunt.

VT VENIRET ET ACTA] In vetusto exemplari & in editione Massoni legitur, *venit ut acta*. Nos emendavimus. Certa autem est emendatio.

INQVIRIT, QVONIAM] In veteri libro & in edi-

tione Massoni, *inquirit. & quoniam.* Particulam &, quæ sensum dividebat ac turbabat, nos sustulimus.

ANNI SVNT VNDECIM] Ergo Cæcilianus duumviratum gesserat in municipio Aptungitanorum anno Christi CCCIII. eo nimirum quo edictum de diruendis basilicis & comburendis sacris scripturis propositum est in Africa, ut docent etiam sequentia.

SVPPLETO ANNO] id est, expleto, finito.

SI MEI IN CERA] Hæc emendatio nostra est, quam puto placituram viris doctis. Nam antea nullo sensu legebatur in veteri codice: *sed in ei in cera possit.* Massonus vocem *sed* mutaverat in *si.* Sensus autem istius loci ita mihi videtur posse constitui. Magistratus codices publicos domum suam tulit post expletum annum suæ potestatis, atque adeo illi non sunt apud me. Habeo tantùm ceratas tabulas in quibus primò perscripta sunt acta; & inquiro utrum actus quos Proconsul petit, in eis inveniantur. Nam *plerunque*, ut Priscianus ait in libro primo grammaticæ, *in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, & postea delere.* Hoc erat officium notariorum & scribarum, qui ea tabulis ceratis excipiebant quæ dictabantur. Hieronymus epist. CXL. ad Principiam: *Stylus scribit in cera, calamus vel in charta vel in membranis aut in quacunque materia quæ apta est ad scribendum. Mea autem lingua in similitudinem scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam signorum compendia breviatum evangelij strictumque sermonem exaravit in tabulis cordis carnalibus.* Sexta synodus act. XII. *Misit nos sanctissimus Patriarcha noster ad sanctissimum Patriarcham Constantinopoleos, deferentes ad relegendum in notis.* Hinc apud Possidium in vita sancti Augustini cap. VI. *Apertis notariorum tabulis disputatio cœpta.* Porrò ceratis tabulis utebantur notarij propter facilitatem delendi, ut docet Priscianus. Hieronymus epist. XLIV. ad Chrysogonum: *Ita nostræ es necessitudinis penitùs oblitus ut illam epistolam quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura sed imis, ut aiunt, ceris eraseris.*

ÆLIANVS PROC.] cujus crebra mentio apud Augustinum & in Collatione tertia Carthaginensi, tum etiam in Codice Theodosiano, ut suprà vidimus. Itaque cùm eum constet eadem prorsùs tempestate Proconsulis dignitatem habuisse in Africa quo Volusianus & Annianus gesserunt consulatum, sub quibus habitum est Concilium Arelatense in causa Donatistarum, facilè adducor ut credam veram esse eorum sententiam qui suspicantur ad eum scriptam esse

epistolam Constantini de Episcopis Africanis Arelatem mittendis intra diem Kalendarum Augustarum, ac pro Ælafio, cui inscribitur in veteri codice Thuano & in editionibus vulgatis, reponendum esse Ælianum. Cur autem ad Proconsulem potiùs quàm ad Vicarium scripta sit, non alia esse ratio potest quàm quia eo tempore Vicarius incommoda valetudine detinebatur, ut docet Constantinus Aug. in epistola ad Probianum Æliani successorem. Vnde patet corrigendum esse lemma istius epistolæ in tomis Conciliorum, ubi dicitur scripta ad Vicarium Africæ. Non est mirum autem Æliani nomen mutatum esse in Ælafium in codice depravatissimo, id est, Thuano, ex quo unico prodiere omnes usque ad hunc diem istius epistolæ editiones.

VOLVSIANO] Heic locus vacuus relictus erat in veteri exemplari & in editione Massoni. Nos Volusiani nomen addidimus ex Fastis & Codice Theodosiano, præcipuè verò ex Augustino, qui in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXIII. de hac ipsa re agens ait: *Ælianus Proconsul causam Felicis audivit Volusiano & Anniano Conss. XV. Kalendas Martias.* Contigit ergo ista Felicis purgatio anno Christi CCCXIV.

XIIII. KAL.] Ita vetus exemplar, cùm Massonus ediderit XIII. Sed pro eo quòd isthic legitur gesta hæc esse XIIII. Kal. Septembris, apud Augustinum, ut paulò antè vidimus, hæc inquisitio refertur ad XV. Kal. Martias; atque hinc emendanda esse ait Baronius acta purgationis Felicis, quæ alioqui depravata atque mendosa satis esse pronuntiat. Sed heic Baronium reprehendit Valesius in dissertatione de schismate Donatistarum cap. XI. eo inter cetera argumento quòd intra unius diei spatium tot gestorum documenta perlegi, tot personæ interrogari non potuerint; ac propterea necesse esse ait ut in plures dies protracta sit tantæ causæ cognitio. Itaque contendit ab Æliano inchoatam XV. Kalendas Martias, sed propter necessitates publicas & provinciæ negotia intermissam, & finitam demum XIII. Kalendas Septembris, id est, sexto mense post initium gestorum. Equidem ut facilè concesserim hanc quæstionem pluribus diebus agitatam fuisse, ita gravatè admodum crederem tanto tempore sub judice pependisse cognitionem quam Augustinus in epistola CLXII. vocat diligentissimum examen & diligentem ac terribilem inquisitionem; præsertim cùm Optatus in libro primo doceat Constantinum Imp. scripsisse in Africam *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Autungitani publicè quæreretur.* Et cùm necesse sit

existimare mendum esse in libro Augustini ad Donatistas aut in hoc loco gestorum, & quæ ab Augustino referuntur extra mendum esse hinc constet quòd cognitionem de causa Felicis ab Æliano susceptam esse ait quarto ferme mense post judicium Melchiadis, quod initio mensis Octobris proximè præteriti factum fuerat, non video quo modo repudiari possit Baronij sententia, qui hunc locum gestorum pronuntiavit emendandum esse ex libro Augustini ad Donatistas.

DVVMVIRVM SPLENDIDÆ] In veteri libro & in editione Massoni legitur : *Duoviru recitavit. Splendidæ.* Nos sustulimus vocem *recitavit*, quæ omnino superflua heic erat, & sensum turbabat.

APVD MAX. IMPERATORES] Constantinum & Licinium, qui tum temporis remp. administrabant.

CVM PERSECVTIO ESSET INDICTA] anno Christi CCCIII. ut toties diximus suprà. Hinc ortum vocabulum traditorum in Africa.

IVSSIONE PROCONSVLARI] id est, Anulini, quem fuisse tum Proconsulem Africæ produnt acta martyrum qui tum apud Africam exagitati sunt pro nomine Christi.

SECVNDVM SENS EST] Ita vetus exemplar. Massonus edidit, *Secundus senex est*, nullo sensu. Heic enim non agitur de Secundo, sed de Alfio Cæciliano Exduumviro Aptungitanorum.

EPISTOLAS SALVTATORIAS] Infrà : *Epistolas salutatorias de basilicæ protulerit.* Difficile est explanare quid heic intelligatur per epistolas salutatorias. Neque enim mihi hactenus probatur quòd quidam ex hoc loco colligunt epistolas salutatorias eas esse quibus quis alicui salutem impertit. Manifestum quippe est heic agi de codice quodam venerando, quem Alfius Cæcilianus duumvir ex basilica Aptungitana sustulit, haud dubiè ut ureret. Nam post cathedram episcopalem & epistolas salutatorias sublatas, etiam *ostia omnia combusta sunt secundùm sacrum præceptum.*

INGENTIVS SCRIBA] qui postea Decurio fuit civitatis Ziquensium, & tunc convictus est falsasse & interpolasse epistolam quam Alfius Cæcilianus scripserat ad Felicem Episcopum Aptungitanum. Augustinus epist. CLII. nomine Concilij Cirtensis scripta ad Donatistas : *Ingentius confessus fuerat in cognitione Æliani Proconsulis falsum se fecisse adversùs Felicem Cæciliani ordinatorem.* Idem in libro ad Donatistas post collationem cap. XXXII. *Ingentius, qui eidem judicio contra Felicem falsum se fecisse confessus est.* Vi-

de epistolam Constantini ad Probianum, cujus mentio in his Augustini locis.

COLLEGAM MEVM] Antea legebatur *col'ega meus*, non solùm in editionibus, sed etiam in antiquo exemplari manuscripto. Verùm cùm hæc verba referri debeant ad Augentium, qui fuit collega Alfij Cæciliani, necessaria visa est emendatio quam nos huic loco adhibuimus.

HOC SIGNVM] Hic locus refertur etiam infrà pag. 87. sed multùm diversus.

PAVLINO ADM. VICES PRÆF.] anno Christi CCCIII. quum cœpta persecutio est in Africa, ut suprà diximus.

MODVM CVRSORIS] Codex vetus & editio Massoni habent *modicum*, manifesto errore. Modum cursoris dixit, id est, formam, speciem. Vox est Latina.

SCRIBAS ILLO] id est, illi. Sic plerique veteres, qui etiam *alio* frequenter scribebant pro *alij*. Sic apud Commodianum lib. I. cap. XIX. *perituro creditis uno*. & cap. XXXIII. *Vno crede Deo*.

HVIVS LATERA] Retinui scripturam veteris exemplaris. Editio Massoni habet *ejus literas*. quod fortassis rectius est.

SVSPENDATVR] Constantinus in epistola ad Probianum: *Eundem ipsum Ingentium suspensum actis, quæ subtrant, pervidimus*. Optatus libro primo: *Ingentius scriba publicus pependit sub metu imminentium tormentorum*.

CONSTANTINVS] Locus heic vacuus erat relictus in veteri codice & in editione Massoni. Dubium autem non est quin Constantini nomen scribi debuerit.

DECVRIONEM] In veteri codice & in editione Massoni legitur, *Dei cultorem*. Et quamvis hæc lectio tolerari possit propter ea quæ antecedunt, maluimus tamen amplecti conjecturam Baronij, quia in epistola Constantini ad Probianum videbamus Constantinum ex actis istis collegisse Ingentium *ideo minimè tortum quòd se Decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit*. Nam Decurionum hoc erat privilegium quòd torqueri non poterant, ut diximus ad Lactantium.

EX PROFESSIONE] Hæc & quæ sequuntur usque ad finem sententiæ, extant etiam apud Augustinum lib. III. adversùs Cresconium cap. LXX.

FELICEM AVTEM] Hanc partem sententiæ descripsit Optatus in libro primo, & addit: *Vnde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude illo judicio recessit*.

AD ACTA PURGATIONIS CÆCILIANI.

ACtorum istorum vetus exemplar, ex quo edita sunt à Massono, extat in bibliotheca Thuana, sed depravatissimum & contaminatissimum, ut ante me observavit illustrissimus Cardinalis Baronius. Meminit autem illorum Optatus Milevitanus in libro primo, ubi etiam admonet se ea subjunxisse operi suo. *Harum namque plenitudinem rerum*, inquit, *in novissima parte istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus.* Certè in veteri libro verba quæ sequuntur scripta sunt post collectionem istorum & aliorum quorundam actorum. *Expliciunt sancti Optati Episcopi libri numero* VII. *vel gesta purgationis Cæciliani Episcopi & Felicis ordinatoris ejusdem.* Meminit eorundem Augustinus epist. CLXII. ubi adnotat ea lecta non fuisse in collatione Carthaginensi, quia tempus non fuit. Vide etiam epistolam CLXV. & lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. ubi fragmenta quædam istorum actorum describuntur.

Pag. 91. ORDINAVIT MAIORINVM] cui Donatus, à quo Donatistæ, successit in cathedra Carthaginensi. Itaque primò pars Majorini dicebatur quæ postea pars Donati dicta est, ut legitur in epistola LXVIII. sancti Augustini. Collatio tertia Carthaginensis cap. CCXX. *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini.* Quæ verba descripsit etiam sanctus Augustinus in eadem epistola. Quare verissimam puto sententiam Henrici Valesij, qui in dissertatione de schismate Donatistarum cap. IV. verba illa ex libro primo Optati, *Datæ à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Episcopis partis Donati*, sic emendanda esse pronuntiat ut, sublato nomine Donati, Majorini nomen heic reponatur.

CONSTANTINO] Assentior eidem Valesio, qui in eadem dissertatione cap. III. probat adversùs Baronium hæc gesta non esse anno Christi CCCVI. sed CCCXX.

THAMVGADIENSI] In veteri libro & in editione Massoni legitur *Thamugudiensi*. Nostram emendationem confirmant acta Concilij Carthaginensis sub Cypriano, in quibus legitur nomen Novati à Thamugade. Et apud sanctum Augustinum celebre est nomen Gaudentij Thamugadensis Episcopi partis Donatistarum; adversùs quem idem sanctus duos libros scripsit, quorum & ipse meminit lib. II. cap. LIX. Retractationum. Item apud eundem in epistola

LXI. legitur : *Debeo autem Thamugadensibus ejusmodi ministerium caritatis.* Lex porrò secunda Codicis Theodosiani *De honorariis codicillis*, quæ est Constantij, accepta dicitur Thamugadi; ubi Iacobus Gothofredus adnotat eam urbem fuisse in Mauritania Tingitana, ejusque nomen corruptum esse in Notitia imperij & in utroque Itinerario. In collatione prima Carthaginensi cap. CXXVIII. nominatur Faustinianus Episcopus plebis Tamogadensis, & in Notitia Episcoporum Africæ Secundus Tamogazienſis inter Numidas.

NVNDINARIO] Hic totius istius inquisitionis auctor fuit, ut se ulciscereturadversùs Silvanum Cirtensem Episcopum, à quo læsus erat. Augustinus epist. CLXII. *Extant gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam Diaconus à Silvano Cirtensi Episcopo, quantum ipsis gestis intelligitur, degradatus, cùm ei* (sic legendum, ut rectè habet prima editio Parisiensis, non *eis*) *satisfacere per aliorum Episcoporum literas frustra conatus esset, multa patefecit iratus & in judicium publicum protulit: inter quæ id quoque commemoratum legitur, quòd Lucilla pecunia corruptis Episcopis, in Carthaginensi Ecclesia, in Africa capite, altare contra altare levatum est.* Idem epist. CLXV. *Recita illi gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam Diaconus iratus Silvano, quòd ab eo fuerit excommunicatus, hæc omnia judiciis prodidit, quæ certis documentis & responsionibus testium & recitatione gestorum & multarum epistolarum luce clariùs constiterunt.*

VIR CLARISSIMVS] Hæc duo vocabula sic plerunque scribuntur in veteribus libris, V. C. Sed hoc loco ponuntur in veteri codice uti nos edidimus. Quas notas quum librarius non intelligeret, deinceps posuit *vicarius* pro *vir clarissimus*, inepto errore, quem tamen Massoni editio retinuit in aliquot locis. Alij putarunt notas illas explicandas esse per hæc verba, *vir consularis.* quos in Miscellaneis suis ad Symmachum pag. 282. reprehendit, & meritò, vir eruditissimus Franciscus Iuretus. Certè si ista interpretatio valeret, Zenophilus heic consequenter bis vocaretur consularis. Quo nihil fingi potest absurdius. Eadem ratione explicandæ essent notæ illæ apud Gruterum pag. CXCIII. in illa inscriptione ubi Postumius Lampadius *V. C. Cons. Camp.* nominatur : quas tamen per *vir clarissimus* exponendas esse probat altera inscriptio apud Gruterum pag. CCLXXXIII. in qua legitur *Decimius Geminianus vir clariss. Consularis provinciæ Baticæ.* Quin & Consules ipsi ordinarij & Præfecti Vibi, quorum dignitas erat supra dignitatem consularium,

consulares tamen dicti reperirentur, si vera esset interpretatio quam nos refellimus. Extant enim apud Gruterum pag. CXCIII. aliquot inscriptiones in quibus *Ti. Fabius Titianus V. C. Cos. ordin. & Præf. urbi* nominatur. Quare necesse est mendosum esse codicem Gemeticensem epistolarum sancti Augustini, in quo notæ illæ per *vir consularis* explicantur in relatione Anulini Proconsulis Africæ ad Constantinum, quæ extat in epistola LXXXVIII. sancti Augustini in nova editione; cùm tamen in collatione tertia Carthaginensi, ubi eadem relatio reperitur inserta, exponantur per *vir clarissimus*, omnino rectè. Nam cùm hoc non sit nomen famæ & celebritatis, ut ait idem Iuretus, sed honoris & dignitatis, & conjungebatur cum titulis eorum ad quos scribebatur, & ipsi qui clarissimi erant, se eo nomine decorabant; sicut olim Reges nostri primæ stirpis se in titulis suis vocabant viros illustres, ut cuivis notum est, & observatum etiam à Sirmondo in Notis ad Ennodium pag. 19.

CONSTANTINIENS.] sive Cirtensium. Cirta enim dicebatur antè quæ tum Constantina vocabatur. Vide Valesium in dissertatione de schismate Donatistarum cap. III.

SECVNDVS EPISCOPVS] Tigisitanus, *qui tunc agebat in Numidia primatum*, ut in epistola CLXII. ait Augustinus. Idem principatum Concilij Cirtensis tenuit, ut ibidem Augustinus scribit, ubi præsentes & confessos traditores reliquit Deo judicandos, & eos in episcopalibus sedibus manere permisit. Vide eundem in libro primo contra epistolam Parmeniani cap. III. Breviculo diei tertiæ cap. XIII. & lib. I. contra Gaudentium cap. XXXVII.

CÆCILIANVM EPISCOPVM] Carthaginensem catholicum, Mensurij successorem, tot tempestates perpessum à parte Donati ut propterea nomen ejus valde inclaruerit. Notissima est historia calamitatum ejus.

ALIVM INSTITVERVNT] Majorinum, cui Donatus successit, ut antè diximus.

VNAM ECCLESIAM HABET] id est. Nos Cirtenses nescimus divisionem. Neque enim duos Episcopos habemus, ut pleræquæ civitates Africæ, quæ unum habent partis Donati, alium partis Cæciliani. Nos unicum tantùm habemus, sed qui Donato communicat, Cæciliano non communicat. Postea tamen Cirtenses duos habuerunt Episcopos, Fortunatianum nimirum & Petilianum, ut patet ex Collatione prima Carthaginensi cap. LXV. CXXXVIII. & sequenti.

SILVANO] Episcopo Cirtensi, qui cum secundo Ti-

gisitano primate Numidiæ & ceteris ordinavit Majorinum adversùs Cæcilianum.

INTERMISSO EO] Vir doctissimus Henricus Valesius in dissertatione suprà laudata cap. III. hæc verba interpretatur de Cæciliano, cujus innocentia multis tum indiciis probata fuerat. Verùm hæc interpretatio non caret difficultate. Quippe hæc non dicebantur Carthagine, sed in Numidia, cujus Consularis erat Zenophilus. Præterea Victor nondum dixit se non communicare cum Cæciliano. Itaque dubium est utrum hæc accipi debeant de Cæciliano, an verò de Felice Aptungitano.

PVRGATA] Ita vetus codex. Massoni editio habet *probata*. Legitimam porrò esse nostram emendationem probatur etiam ex Collatione tertia Carthaginensi cap. DLXXI. ubi ita legitur: *Donatistarum prosecutio, qua dicunt præsentem Felicem debuisse purgari.* Et cap. DLXXIV. *Prosecutio catholicorum, majoris esse innocentiæ documentum quòd absens purgatus est Felix.* Sanctus Augustinus epist. CLXII. *Nec de Felicis Aptungitani causa negligentiam consecutam, sed ad ejusdem Principis jussionem proconsularibus gestis etiam ipsum fuisse purgatum.* Et infrà de eodem Felice: *Non debuit Episcopus proconsulari judicio purgari.* Idem lib. III. contra Cresconium grammaticum cap. LXI. *Publica monimenta proclamant dictam esse causam & ad debitum finem esse perductam usque ad purgationem Felicis Aptungensis.*

TRADITOR] Traditores dicebantur qui tempore persecutionis scripturas divinas & supellectilem ecclesiasticam tradiderant ministris reipublicæ. Et magna in hoc querela erat Donatistarum, qui catholicos, eos nimirum qui Cæciliano communicabant, passim vocabant traditores & progeniem traditorum. Contrà catholici proditionem imputabant Donatistis, quos appellabant heredes traditorum & schismaticorum, adeo ut Optatus Milevitanus manifestum esse dicat principes eorum fuisse traditores. Pag. 92.

NVM] In veteri codice legitur *non*. Massonus reposuit *nam*. Vtraque lectio falsa est. Ea verò vera quam nos retinuimus.

MONTEM BELLONÆ] prope Cirtam.

NE STRICTIVS INTERROGERIS] id est, ne torquearis. Acta purgationis Felicis pag. 89. *Est enim arctiori interrogationi necessarius.*

DIOCLETIANO VIII.] id est, anno Christi CCCIII. quo cœpit persecutio.

XIV. KAL. IVN.] Ita omnino vetus exemplar &

editio Massoni. Quo etiam modo habetur apud Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. Sed idem tamen epist. CLXV. mentionem faciens istorum actorum, undecimo Kalendas Iunias gesta esse commemorat, certo, ut mihi videtur, errore. Nam & in ipsis actis quæ nos heic edidimus, & in exemplari quod extare monuimus in libro tertio contra Cresconium, disertè & constanter notatus est dies XIV. Kal. Iunias. Excidit autem hæc emendatio viris doctissimis qui recensendis emendandisque Augustini epistolis operam suam nuper contulerunt utiliter in publicum. Sed falsa profectò est clarissimi viri Ioannis Broei Biturigis conjectura, qui in dissertatione de epocha Concilij Cirtensis scribit mensem Iunium in hoc Augustini loco mutandum esse in Ianuarium, ita ut quæ heic referuntur de Munatio Felice, gesta fuerint mense Ianuario qui post cœptam persecutionem proximus fuit. Frustra inquam, cùm & omnes veteres libri & omnes editiones uno consensu mensem Iunium præferant, & ista res nihil habeat commune cum actis Concilij Cirtensis.

MVNATII FELICIS] In epistola CLXV. sancti Augustini legitur *Numatium*, sed emendata est ex libro tertio contra Cresconium in novissima editione. Sirmondus tamen in Notis ad Ennodium pag. 95. prætulit lectionem quæ Numatij nomen habet. Valesius verò in annotationibus ad Eusebium pag. 161. Munatium maluit quàm Numatium. Rectè, ut opinor. Quippe frequens est in antiquis inscriptionibus nomen Munatiorum, qui etiam plerunque Felices vocantur; ut videre est apud Gruterum pag. LXVI. & MCXXIV.

FLAMINIS PERPETVI] In veteri codice legitur *præpositi*, propter notas illas PP. quas cùm librarius non intelligeret, eas per vocem *præpositi* explicavit. Sed apud Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXIX. & lib. IV. cap. LVI. reperta est vera lectio. Flaminum porrò qui per provincias constituti erant, alij erant temporarij, alij perpetui; ut observatum est à viris eruditissimis.

PAVLO EPISCOPO) Cirtensi, qui convictus est instrumenta dominica tradidisse, etiam quæ diligenter fuerant occultata; ut ait Augustinus in epistola CLXV.

PRÆCEPTO ET IVSSIONI] In veteri libro & in editione Massoni legitur : *ut præceptum est, ut jussioni &c.* Emendatum est ex his quæ sequuntur.

Pag. 93. POSTEAQ. IN BIBLIOTHECIS] Ita omnino vetus exemplar. Verùm Augustinus hunc locum referens

lib. III. contra Crescónium cap. XXIX. ita scribit : *Posteaquam apertum est in bibliothecam.* At in libro quarto cap. LVI. idem habet : *Posteaquam perventum est ad bibliothecam.* Massonus ex hac duplici editione Augustiniana suam composuit, & ita scripsit : *Posteaquam perventum est in bibliothecam.* Ego lectionem veteris libri puto veram esse. Bibliothecæ vocantur in his actis armaria in quibus libri erant inclusi. Vnde paulò pòst Silvanus tum Subdiaconus ait: *Nihil remansit, totum hoc ejecimus.* Valerius in vita sancti Pontij martyris cap. II. *copiam voluminum librorumque, quos bibliotheca portare non poterant, in suo parvo corpusculo transfundens.* Possidius in vita sancti Augustini cap. XXXI. *Monasteria virorum ac feminarum continentium cum suis Præpositis plena Ecclesiæ dimisit, unà cum bibliothecis libros & tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus.*

CAPITVLATAM ARG.] Vetus exemplar habet: *capitulata argentea & lucerna argentea.* Pro quibus Massonus ista substituit : *capitula argentea & lucernas argenteas.* prorsùs malè. Quippe in variis horum gestorum locis & apud Augustinum mentio est unius tantùm lucernæ. Nam Augustinus hunc ipsum locum pluries refert, & in duobus locis scribit, *capitulatam argenteam & lucernam argenteam,* uti nos reposuimus. Quare emendandus est idem Augustinus lib. IV. contra Crescónium cap. LVI. ubi *capsulam* legitur pro *capitulatam.* Infrà pag. 100. pro *capitulatam* legitur *tabulam.* Itaque aut mendosus est hic locus, aut per capitulatam intelligitur tabula.

MORTVVS FVERAS] Hunc locum refert Augustinus epist. CLXVII. & lib. III. contra Crescónium cap. XXIX. & lib. IV. cap. LVI.

ORCAM] Malè apud Augustinum legitur *arcam.* Orca est vas fictile, ut pluribus testimoniis ostendit vir clarissimus Carolus Dufresnius in suo Glossario.

FELICIS SARSORIS] id est, opificis marmorarij. Pag. 94.
Hinc opus sarsorium apud Ennodium, cùm variæ discolorum marmorum crustæ committuntur, ut unum corpus & unam quasi picturam efficiant; quemadmodum illic adnotavit Sirmondus.

BOVI SERVO PVBLICO] officiali, apparitori. Pag. 95.

EPISTOLAS EPISCOPORVM] quas pro Nundinario scripserant ad Silvanum Episcopum Cirtensem & ad clerum plebemque ejusdem civitatis. Meminit harum epistolarum sanctus Augustinus epist. CLXII. CLXV.

A FORTE] Verum est Fortem quoque scripsisse pro Nundinario. Attamen oportet ejus nomen heic loco non suo positum esse, aut postea desunt aliquot verba quæ doceant epistolas Episcoporum factas à Forte & ceteris.

EXEMPLAR LIB. TRA. EPISCOPIS] Hæc verba desunt in veteri exemplari, per incuriam videlicet & oscitantiam librarij. Suppleta autem sunt ex libro tertio sancti Augustini contra Cresconium cap. XXIX.

FVR RERVM PAVPERVM] Ideo Silvanus dicitur fur rerum pauperum quia viginti folles, quos Victor fullo dederat ut fieret Presbyter, apud se retinuerat, nullaque eorum pars pervenerat ad populum, in quo pauperes, ut legitur infrà pag. 105. Præterea idem cum reliquis Episcopis, quos propterea sanctus Augustinus in libro primo contra Parmenianum cap. III. vocat fures ecclesiastici argenti, divisserat quadringentos folles quos Lucilla clarissima femina dedit ut Majorinus fieret Episcopus; quorum nullam partem ad pauperes pervenisse scribitur pag. 102. & 104.

DE QVADRING. FOLL.] Hic locus restitutus est ex Augustino. Malè enim in veteri exemplari scriptum est: *scitis & vos & Lucilla consul felix pro quod vobis &c.* Scriptum erat in antiquiori codice *Lucilla C. F. pro quod.* Itaque cùm librarius non intelligeret notas illas, perperam interpretatus est.

FOLLIBVS] Monetæ genus. Vide Glossarium Dufresnij & Iacobi Gothofredi Notas ad Codicem Theodosianum. Vide etiam Sirmondum ad sermonem XXXIX. sancti Augustini, ubi conjicit follium & solidorum nostratium eundem valorem esse vel affinem.

LVCILLÆ] Femina fuit dives & factiosa: *quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem*, ut ait Optatus, *dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cùm correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum & potum os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, & cùm præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit. Irascenti & dolenti, ne disciplinæ succumberet, occurrit subitò persecutionis enata tempestas.* Meminit autem hujus loci sanctus Augustinus libro primo contra Parmenianum cap. III. & in epistola CLXII.

INDE FACTVM EST SCHISMA) Optatus paulò post locum heic descriptum: *Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab iis tribus personis contra Cæcilianum causæ con-*

facta sunt ut viticsa ejus ordinatio diceretur. A Botro nimirum, Celesio, & Lucilla. Itaque iracundia referri sine dubio debet ad Lucillam, ambitus ad Botrum & Celesium, qui apud Carthaginem ordinari cupiverant, avaritia ad Episcopos qui Majorinum ordinarunt, qui folles quadringentos, quos Lucilla dederat, inter se diviserunt, & amore pecuniæ Episcopum levarunt adversùs Cæcilianum. Erat autem Majorinus domesticus Lucillæ, ut idem Optatus docet.

PVRPVRIVS EPISCOPVS) Limatensis, quem homicidam vocat Optatus, quòd interrogatus de filiis sororis suæ, quòd eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus sit dicens: *Et occidi non eos solos, sed & quicunque contra me fecerit.* Sumpsit ista Optatus ex actis Concilij Cirtensis, quæ extant apud sanctum Augustinum lib. III. contra Cresconium cap. XXVII. Limata ergo fuit civitas Numidiæ.

LAPIDATVS) id est, degradatus, ut ait Augustinus, adeoque contumelia affectus. Infrà pag. 97. *à quibus lapidarentur pro veritate.* Vide Glossarium Dufresnij. Pag. 96.

NON EST VERVM) id est, æquum. Livius lib. XXXII. *Ceterùm & sociorum audiri postulata verum esse.* Apud sanctum Ambrosium epist. LXX. legitur: *Tributarios perditum iri nequaquam justum & æquum.* Pro quo in vetustissimo codice MS. Ecclesiæ Bellovacensis vidi scriptum *verum.*

SINE SANGVINE SPIRITALI) Locus est elegantiæ non vulgaris. Sanguinem spiritalem fundi ait quum discordiæ gladius sævit in Ecclesiam, quum Episcopi dissident cum Clericis, quum hæ dissensiones erumpunt in vulgus & dant locum sermonibus.

PVRPVRIVS EPISCOPVS] Hæc non extant in veteri codice, neque in editione Massoni, ubi locus vacuus relictus est. Nos itaque addidimus, quia ex contextu sequentis epistolæ apparet & istius & superioris eundem esse auctorem.

VESTRA SVNT] Leg. *vera*, ut patet ex epistola Purpurij ad Silvanum. Pag. 97.

SILVANO) Et hanc quoque vocem nos addidimus. Nam heic relictus erat locus vacuus in veteri exemplari & in editione Massoni. Certum quippe est hanc epistolam scriptam esse ad Silvanum, cùm in ea agatur de discordia quæ inter illum erat & Nundinarium Diaconum.

FORTIS) Episcopus, cujus jam suprà mentio. Cujusnam verò sedis Episcopus fuerit, mihi non est compertum. In collatione prima Carthaginensi cap. CLXIII. memoratur Fortis Episcopus Cediensis.

PACEM CELEBRARE) Leg. *Paſcha.* quod ſequentia probant. Pag. 98. *ut cum pace Paſcha celebremus.* Et infrà: *Nundinarius in pace tecum Paſcha celebret.*

FRATRIBVS ET FILIIS) id eſt, Clericis & Senioribus Eccleſiæ Cirtenſis, ut in ſuperioribus.

IVDICATVR, SED APVD) Ita vetus codex. Maſſonus edidit: *judicio contendit, & hoc apud.*

Pag. 98. FRATRI SILVANO SABINVS) Et hæc quoque nos addidimus; quæ neque in veteri libro habentur, neque in editione Maſſoni. Certa autem eſt hæc reſtitutio.

SABINVS) Epiſcopus Numida.

Pag. 99. DIEBVS ISTIS) Paſchalibus.

QVID ADMINISTRABAT) Hic locus mendoſus eſt apud ſanctum Auguſtinum, ubi ſic legitur lib. III. contra Creſconium cap. XXIX. *Quis adminiſtrabat? Tunc Silvanus in clericatu reſpondit, ſub Paulo.* Et lib. IV. cap. LVI. *Qui adminiſtrabat? Tunc Silvanus in clericatu victor reſpondit: ſub Paulo.* Hinc ergo emendandus utrobique eſt Auguſtinus.

SILVANVS SVBDIAC. FVIT) Meminit hujus loci Auguſtinus in epiſtola CLXV. Is ergo ex Subdiacono Pauli Cirtenſis Epiſcopi, in cathedra ejus poſtea locatus eſt.

Pag. 100. CIVEM NOSTRVM PETEBAMVS) id eſt, Donatum, ut conſtat ex pagina ſequenti extrema.

TABVLAM) Iam ſuprà monuimus aut mendoſum eſſe hunc locum, aut per tabulam debere intelligi capitulatam cujus & heic & apud Auguſtinum mentio eſt.

Pag. 101. ACETVM) ſive acetabulum. Vide Gloſſarium Dufreſnij.

SVPERIO) Vetus exemplar & editiones omnes habent *Luciano*, certo errore. Nos Superij nomen ideo ſubſtituimus, quia infrà, dum iſta repetuntur, ſemper Superij nomen ponitur pro Luciano. Lucianus enim Diaconus tantùm fuit, ut ſtatim dicitur.

ANTE CATHEDRAM EPISCOPOR.) Ergo jam tum certus ac fixus erat epiſcopalis cathedræ locus in Eccleſia.

IPSI EPISCOPI) Ergo plures Epiſcopi ordinaverunt Preſbyterum Victorem fullonem.

Pag. 102. AB HARENARIIS) non à clero, nec ab honoratis, ſed à plebecula, in qua fuerunt harenarij, cujuſmodi tandem generis fuerunt homines illi. Vnde paulò pòſt dicitur, *proſtibulæ illic fuerunt*, ut oſtenderetur electionem Epiſcopi per vim ac ſeditionem factam eſſe. Qui locus evincit juſtiſſimam eſſe conſtitutionem ſynodi Laodicenæ, quæ sancivit

civit ne turbis liceret electiones Episcoporum facere.

GESTAVERVNT] id est, levaverunt, tulerunt in thronum Episcopi.

AREA MARTYRVM] Aream plerique interpretantur cœmeterium, auctoritate sumpta ex libro Tertulliani ad Scapulam, ubi ait sub Hilariano præside de areis sepulturarum nostrarum acclamatum ab adversariis nostris fuisse: *Areæ non sint.* Verùm in isto loco area martyrum non potest intelligi de cœmeterio, cùm constet ædificium fuisse, in quo furens plebecula populum Dei sive cives honoratos inclusit, ut libertatem haberet constituendi quem vellet Episcopum. Vnde infrà pag. 104. quum Crescentianus Subdiaconus interrogatus esset à Zenophilo utrum præsens fuisset quum Silvanus factus est Episcopus, respondit: *Præsens cum populo fui, inclusus in casa majore.* Iam ergo habemus aream martyrum & casam majorem civitatis Cirtensis eandem rem fuisse.

NVLLAM DIGN. HABEO] Interrogatio ergo Zenophili non erat de dignitate ecclesiastica, sed de conditione civili. Pag. 103.

CAMPENSES] In veteri codice legitur *Campeses*, eadem ratione qua frequenter scribitur *Monteses* pro *Montenses*. Per campenses autem intelliguntur qui in campis & agris habitant, ut vox ipsa loquitur. Alij sunt Campenses apud Hieronymum in epistola LVII. qui & cum Arrianis conjunguntur & cum Tarsensibus hæreticis. Rursum alij sunt Campitæ, ut habet editio Mariani Victorij, sive Campates, ut Ioannes Andreæ Episcopus Alerienſis & Desiderius Erasmus ediderunt, apud Hieronymum in fine dialogi adversùs Luciferianos. Hi enim fuere iidem cum Montensibus, id est, Donatistis. Falluntur enim Erasmus & Victorius, qui existimant Montenses dictos à Montani hæresi. Falluntur inquam, ut patet etiam ex epistola CXXXIII. ejusdem Hieronymi. Pag. 104.

CETERA DESVNT] Præter ultimam partem horum gestorum, quæ desideratur, lecta sunt apud Zenophilum Consularem gesta Concilij Cirtensis, ut docet Optatus Milevitanus in libro primo: *Hi & ceteri, quos principes tuos fuisse paulò pòst docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem, quia basilicæ necdum fuerant restitutæ, in domum Vrbani Carisi consederunt die* III. *Iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarij tunc Diaconi testantur.* Lapsus est autem, ut hoc obiter moneam, in hujus loci interpretatione vir illustrissimus Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis, Pag. 106.

persecutionem quæ heic commemoratur referens ad Maxentium, cùm ex gestis Concilij Cirtensis appareat heic agi de persecutione Diocletiani. Quod etiam manifestè colligitur ex Augustino in Breviculo diei tertiæ cap. XVII. Porrò gesta Concilij Cirtensis habentur, ut monuimus, apud Augustinum.

AD PASSIONEM SANCTÆ SERAPHIÆ.

POstremam istorum actorum partem edidit Bonius Mombritius, Surius priorem, sed valde mutatam ab illis antiquis. Nos cùm illa integra & sincera reperissemus in codice 316. bibliothecæ Colbertinæ, existimavimus conjungenda esse cum vetustis martyrum actis quæ cum Lactantij libro edere nobis persuaserunt viri quidam & clarissimi & doctissimi. Magnum autem sinceritatis & antiquitatis argumentum est quòd Sabina dicitur fuisse filia Herodis, *qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam confessionem dedit Romanis.* Quippe vir doctissimus Henricus Valesius acta sancti Bonifacij martyris, quæ ab Holstenio edita sunt, hoc magnum indicium vetustatis habere scribit quòd illic de Aglaë dicatur: *Hæc ergo ter candidam egerat apud urbem Romam ex præfectura.* Candida autem est editio ludorum quæ fiebat à Prætoribus vel Quæstoribus candidatis, sumptu ipsorum, non ex arca publica, ut idem Valesius observavit ad librum XXVII. Ammiani Marcellini pag. 332. & in præfatione ad acta sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.

CAP. I. OPPID. VENDIN.] Infrà cap. XII. scribitur *Vindennensi.* quod idem est. Fuit porrò oppidum Vmbriæ, cujus incolæ Vindenates dicebantur, ut ostendit Cluverius in libro secundo Italiæ antiquæ cap. VIII.

CONFESSIONEM] Puto hanc vocem redundare & ab ejus ingenio profectam qui *candidam* putaret heic esse positam adjectivè.

VIRILLVS] Alij vocant Berillum.

BASTERNAM] vehiculum tectum, quo præcipuè utebantur feminæ. Vide Glossarium Dufresnij.

CAP. III. LVSORIVM] theatrum. Vide quæ suprà dicta à nobis sunt ad caput XXI. Lactantij.

ARCVM ALBINI] ejus nimirum, ut arbitror, qui remp. tenuit cum Severo, & postea ab eo victus interiit. Fuit autem hic arcus trans Tyberim.

CAP. IX. BIOTHANATA] id est, vitæ tuæ inimica, quæ te in

mortem voluntariam temerè præcipitas. Vide Petri Ciaconij annotationes in Cassianum, & Glossarium Dufresnij.

ARCVM FAVSTINI] Infrà cap. XII. *Posuerunt in monumento ipsius in oppido Vindennensi ad arcum Faustini.* CAP. X.

AREAM VINDICIANI] Frustra Baronius ad diem tertiam Septembris huc trahit locum Tertulliani ex libro ad Scapulam, ut doceat aream heic accipiendum esse locum ipsum ubi sepelirentur defuncti Christiani. Quamvis enim, quod negari non potest, area interdum sumatur pro cœmeterio, istud tamen non semper verum est, cùm certum sit, etiam ex eodem Tertulliani loco, areas fuisse quæ non essent cœmeteria.

ILLVSTRISSIMA] Ab hoc verbo incipit fragmentum quod Mombritius edidit; quod etiam reperi eodem modo incipiens in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ.

EX MORE] Apud Mombritium & in codice regio legitur, *& ex more.*

INCLVSOS] Mombritius & codex regius, *recluſos.*

PRÆSES INDICAVIT EI] Codex regius, *indicatum est ei de religiosissima femina Sabina omnia quæ.* CAP. XI.

VXOR VALENTINI] Mombritius & codex regius, *uxor quondam Valentini.*

ADORAS DEOS] Codex regius, *adoras magis deos & honoras.* Mombritius, *magis deos adoras & honoras.*

NON SOLVM] Codex regius & Mombrit. *ergo non solum.*

NON DEVM] Codex regius & Mombritius, *non deos.*

CHRISTI MARTYRIS] Codex regius, *famula Christi.* CAP. XII.

SABINA] Codex regius, *sancta Sabina.*

AD PASSIONEM SANCTÆ MARIÆ.

ACta ista primus edidit Boninus Mombritius, sed valde imperfecta. Eadem paulò diversa descripsit Surius ex Vincentio Bellovacensi, qui se ea accepisse scribit ex gestis ejus. Nos, quum vetus eorum exemplar reperissemus in codice 184. bibliothecæ Colbertinæ, constetque veterem esse scriptionem non inelegantem, illa heic edere integra credidimus operæ pretium, quæ valde manca & mutila extant etiam apud Vincentium.

PRINCIPALIS] Augustinus epist. CLVIII. *Ruffinum Cirtensem principalem commendo eximietati tuæ.* Idem

epist. XLI. in nova editione : *Fratrem Hilarinum Hipponensem archiatrum & principalem multùm commendamus.* Salvianus lib. v. pag. 103. secundæ editionis nostræ : *Quis ergo, ut dixi, locus est, ubi non à principalibus civitatum, viduarum & pupillarum viscera devorentur?* Quos heic dicit principales, paulò antè curiales vocat. *Quæ enim sunt non modò urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non quot curiales fuerint, tot tyranni sint?* Vide Iuretum in Miscellaneis ad Symmachum pag. 227. & sequentibus.

CAP. I. NATALE FILII] Sic solebant antiqui liberorum suorum natalia celebrare. Testis, præter ceteros, Capitolinus in Albino : *Convivio quod celebritati pueri deputabatur.*

NATVM] Malè apud Vincentium, Mombritium, & Surium *iratum.*

SVPER DEVM] Apud Vincentium, Mombritium, & Surium scriptum est, *nuper dominum.* Quam lectionem ego lubenter præfero.

CIBI ALIQVID] Ado in Martyrologio hunc locum intellexit de cibis immolatitiis. Hæc sunt ejus verba ad diem Kal. Novembris. *Natale sanctæ Mariæ virginis ; quæ cùm esset ancilla, & die natalis filij domini sui jejunaret, nec ullo modo flecti potuisset ut manducaret de idolothytis &c.*

CAP. II. IN ABD. MEM. PARTE] Vincentius, Mombritius, & Surius habent *in carcerem.*

CAP. III. EX CODICE] id est, ex regesto publico, in quo descriptum ex more fuerat edictum.

ADRIANVS] Baronius ad annum Christi CXX. adnotat nullum in Christianos edictum ab Adriano promulgatum apparere ; & ut ostendat nullum datum fuisse, adducit auctoritatem Tertulliani ex capite quinto apologetici, ubi ita scriptum est. *Quales ergo leges istæ, quas adversùs nos solet exequuntur impij, injusti, turpes, truces, vani, dementes, quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos, quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quamquam Iudæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit?* Quid igitur faciemus huic edicto, quod videtur esse vetus, & disciplinam sapit illorum temporum ?

CAP. IV. MVNERARIVS CIVITATIS] Hieronymus epist. XXVI. ad Pammachium : *Munerarius pauperum & egentium candidatus.* Vide Iuretum in Miscellaneis ad Symmachum pag. 189. 190. & Sirmondi Notas ad sermonem quartum Augustini inter quadraginta ab eo editos.

CAP. V. PRÆFECTVS] Ita constanter legitur in veteri codice,

cùm certum sit legi ubique debere *Præses* in hoc capite. Nos tamen mutare noluimus.

ANTE DEVCALIONEM] In veteri codice legitur, *ante dm caligionem*, nullo sensu. Nos emendavimus. CAP. IX.

NEOCORENSIVM] Apud Mombritium & Surium, qui ex Vincentio Bellovacensi se accepisse profitetur, scriptum est *Veronensium*. Sic profectò legitur in Duacensi editione Speculi historialis lib. x. cap. LXXXVII. Sed antiqua habet *Neccorensium*. Surius scripsit in margine *Netromensium*; sed non indicat utrum illud ex conjectura sit, an verò ex veteri codice. Neocori sunt æditui templorum; & Imperatores civitatibus, quibus gratificari volebant, hunc honorem tribuebant ut celebriorum templorum Neocori essent. Qua de re vide Ioannis Seldeni commentarios ad Marmora Arundeliana pag. 166. & Tristani Santamantij commentarios historicos to. I. pag. 39. & to. II. pag. 187. Si vera est lectio quæ extat apud Petrum de Natalibus lib. x. cap. IV. hæc acta sunt apud civitatem Nicomediæ. Porrò *Neocorensium* heic scriptum est in veteri exemplari, cùm scribi debuisset *Neocororum*. CAP. XII.

NECCORVS] Error fuit typographi; pro quo reponendum est *Neocorus*. Apud Vincentium in antiqua editione legitur *Neccoris*, in Duacensi *Nechorus*, apud Mombritium *Nec chorus*, denique apud Surium *Neccorus*, utrobique malè.

AD VITAM SANCTI PONTII.

IStius vitæ auctorem Eutropium facit Salmasius in Trebellium Pollionem pag. 276. ubi fragmentum illius refert ex veteri codice Petri Puteani, qui nunc extat in bibliotheca regia; in quo tamen nulla Eutropij mentio. Falsam autem esse illam doctissimi viri scriptionem docent varia loca ejusdem vitæ, ex quibus constat eam scriptam esse à Valerio Pontij contubernali & studiorum socio à prima adolescentia. Ejus porrò fragmentum quoddam seu verius epitomen ediderat Boninus Mombritius. Nos invenimus integram in duobus antiquissimis codicibus manuscriptis bibliothecæ Colbertinæ, ac præterea in alio fragmentum ejusdem. Hinc ergo edidimus. Postea verò contulimus etiam cum codice regio, qui vetustissimus est, & variantes lectiones adnotavimus. Habuit ejusdem operis exemplar Petrus Iofredus, ex quo vitam sancti Pontij suo stylo conscripsit in

historia Nicææ civitatis, interserens tamen interdum fragmenta ex opere Valerij.

CAP. I. PROPRIAM DOMVM] Codex regius habet *propositam*, unus Colbertinus *propè positam*. quo etiam modo scriptum fuit in exemplari Ioffredi.

CAP. III. SPERAMVS] id est, credimus. Paulò pòst: *Nam quod videt quis quid sperat?* Et infrà cap. v: *sperans eum vanam philosophorum audire sectam.* Epiphanius scholasticus in interpretatione epistolæ Pulcheriæ Augustæ ad Archimandritas & reliquos monachos in Ælia & circa eam habitantes: *ne, quod non sperat nostra clementia, tamquam veritatis impugnatoribus nomen adscribatur hæreseos.* Vide Notas ad Capitularia pag. 1019. & 1031.

SAPIENTIA] id est, scientia. Vide Notas ad Reginonem pag. 541.

CAP. V. SICVT AGNI] Ita exemplar regium & duo ex Colbertinis. Tertium habet *agri*.

CAP. VII. MAIESTATEM POSSIDEANT) In uno codice Colbertino legitur: *majestatem aut obtineant vel possideant.*

CVNCTA HABENT] Idem vetus codex: *cuncta bona habeant.*

SIBI ET DEOS] Idem codex: *sibimet deos.*

CAP. VIII. VIGINTI] Idem codex Colbertinus habet *duodeviginti.* Sic etiam scriptum fuit in exemplari quo usus est Iofredus.

IN CVRIAM PERDVCTVS] Apud Iofredum Pontius non tantùm dicitur factus senator, sed Romanæ præfecturæ dignitate insignitus, quam pater ejus gesserat. Quod utrumque falsum esse convincunt hæc acta.

ROMANA] In codice regio & in duobus Colbertinis legitur *diversa*.

CAP. IX. MENSE NON AMPLIVS VNO] Eadem tradit Eusebius lib. VI. cap. XXIX. *Hic intra unius mensis spatium sacerdotio perfunctus, Fabianum successorem reliquit.* Rufini versio magis congruit cum verbis Valerij: *Pontiano vero sex annis episcopatu urbis Romæ functo succedit Antherus: qui cùm mensem unum non amplius ministrasset, Fabiano sacerdotium dereliquit.* Eusebius in Chronico: *Romæ octavus decimus ordinatur Episcopus Anteros mense uno.* Ex his ergo corrige gesta pontificalia, ubi Anterus sedisse dicitur annos XII. mense uno, diebus XII.

CAP. X. EXPLETO MILL. ANNO] In codice regio & in duobus Colbertinis scriptum est: *ipse est millesimus annus.*

VNICO VERBO SVO] Vnum exemplar Colbertinum habet: *unici verbi sui providentia.*

SICVT LITTERÆ] In eodem veteri exemplari legitur: *à Iano, ſicut litteræ veſtræ declarant.* Atque ita reponendum eſt.

PIVS DOMINVS] Idem vetus exemplar: *Pius Deus* CAP. XI. *& miſericors.*

QVATRIDVANVM] In alio exemplari Colbertino & in regio ſcriptum habetur: *quàtriduanum Lazarum de monumento aſpiciente populo ſuſcitaret.*

ITER VITÆ CÆL. MONST.] Idem vetus exemplar Colbertinum: *viam fidelibus demonſtravit.*

SPECTACVLA] Eutropius lib. IX. de Philippis: CAP. XII. *His imperantibus milleſimus annus Romæ urbis ingenti ludorum apparatu ſpectaculorumque celebratus eſt.* Epitome Victoris de Philippo juniore: *Adeo ſeveri & triſtis animi ut jam tum à quinquenni ætate nullo prorsùs cujuſquam commento ad ridendum ſolvi potuerit, patremque ludis ſecularibus petulantiùs cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notaverit averſato.* Hunc locum referens Baronius ad annum CCXLIX. illam pueri abſtinentiam à riſu ſuſpicatur profectam ab inſtitutione matris ejus Severæ Chriſtianæ feminæ. Fruſtra, ut opinor. Neque enim quinque annorum puer iſtius diſciplinæ capax eſſe poteſt. Meminit autem horum ſpectaculorum etiam Iulius Capitolinus in Gordiano juniore.

FVNDITVS SVBVERTERENT] Hæc hiſtoria ſuſpecta viſa eſt Baronio, cujus hæc ſunt verba ad annum CCXLVI. *Quæ verò illic apponuntur de Iovis templo diruto à Philippo Imp. atque Fabiano Papa, ab alio aliquo potiùs fuiſſe addita putamus. Nam in aliis ejuſdem Pontij actis ea deſiderantur*, in iis nimirum quæ Mombritius deſcripſit. Mirum ſanè non eſt deſiderari in actis à Mombritio deſcriptis, cùm ſint, ut monuimus, multùm imperfecta & mutila. Sed extant in omnibus antiquis exemplaribus. CAP. XIII.

FRVENDAS] Codex regius habet *fovendas*, quod melius eſt. CAP. XV.

CYMELAM] ſive Cemelam, cujus poſtea Epiſcopus fuit Valerianus.

OBTVTIBVS] Codex regius, *aſpectibus.* CAP. XVI.

PIORVM] Quidam codices habent *priorum.*

CONSOLATOR] Ita habent omnia vetera exemplaria. *Conſultor* tamen legitur in eo quo uſus eſt Iofredus. Quod idem eſt. Quippe conſtat conſultationem & conſolationem promiſcuè ſcribi in antiquis libris, ut innumeris propemodum exemplis probari poſſet.

CAP. XVIII. CERIMONIARI] id est, sacrificare. Passio sancti Cypriani. *Galerius Maximus Proconsul dixit: Iusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari.* Pro quo in aliis vetustissimis actis legitur: *Iusserunt te sacratissimi Imperatores sacrificare.* Apud Augustinum verò in sermone de sancto Cypriano retenta est prisca vox: *Iusserunt te Principes ceremoniari.*

CAP. XIX. TROCHLEAM] Mombritius & Surius habent *cocleam.* Trochlea, ut Baronius ait ad diem septimam Decembris, propriè rota est rotam continens volubilem, per quam funis tractorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel remissus deorsum relaxat. Vide Alteserram ad librum v. Gregorij Turon. cap. XLIX.

CAP. XX. VENATORES] homines qui ferarum curam gerebant, easque emittere solebant & incitare adversùs homines devorandos.

TAVREIS] id est, flagellis ex pelle taurina factis. Itaque vox *nervicis*, quæ statim sequitur, eandem aut similem significationem habere debet. Oportet autem mendosum hoc fuisse exemplar quo usus est Iofredus, cùm ille hinc collegerit tauros immissos cum ursis adversùs sanctum Pontium.

CAP. XXI. MARSORVM ARS] Marsi sunt populi Italiæ, quibus (ut Gellius ait lib. XVI. cap. XI.) *vi quadam genitali datum est ut serpentium virulentorum domitores sint, & incentionibus herbarumque succis faciant medelarum miracula.*

FLAMMA GYRANS] In uno codice Colbertino legitur, *gyrans flammis.*

CLVSIT] In eodem codice & in regio scriptum est, *elisit.*

CAP. XXII. QVAM SI VENTVS] Sic habet hic locus in codice regio: *quæ, si ventus perflaverit, statim in momento temporis, quasi non fuerit, penitùs evanescit.*

CAP. XXIV. VALERIANVS] Vide quæ de hac Valeriani calamitate dicta sunt ad caput quintum Lactantij.

AD VITAM SANCTI EVSEBII.

VItam istam sancti Eusebij Presbyteri Romani, qui crudeli novoque mortis genere extinctus est Romæ jussu Constantij Imperatoris, ediderat olim Boninus Mombritius, sed valde corruptam. Nos, quum illam inveniſſemus in quatuor vetustissimis codicibus manuscriptis, quorum tres extant in bibliotheca Colbertina, quartus in regia, eam dili-

genter recensuimus & emendavimus, & sic emendatam putavimus emittendam rursum esse. Continet enim res scitu dignissimas, quarum nulla mentio extat in annalibus ecclesiasticis.

LIBERIVS DE EXILIO] Baronius ejus restitutionem retulit ad annum CCCLVII. Valesius in annotationibus in librum quartum Sozomeni pag. 125. ad sequentem. De ejus porrò restitutione hæc habentur in vita sancti Felicis Papæ & martyris, quæ edita quidem est à Mombritio, sed multò emendatior habetur in antiquissimis codicibus manuscriptis bibliothecæ regiæ. *Post paucos autem dies zelo ducti Vrsatius & Valens Presbyteri rogaverunt Constantium Augustum ut revocaret Liberium Papam de exilio, ut una tantummodo communione participaret, excepto rebaptizare. Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus & simul Vrsacium & Valentem, venerunt ad Liberium Papam urbis Romæ. Qui Liberius consensit præceptis Augusti, ut una participatio conveniret communionis. Tunc revocaverunt Liberium de exilio.* Pag. 141.

EICITVR FELIX] Eadem vita sancti Felicis: *In ipsa autem hora Constantius Augustus fecit Concilium cum hæreticis, simul etiam cum Vrsatio & Valente, & ejecit sanctum Felicem urbis Episcopum de episcopatu suo, qui erat catholicus & timens Deum & justus homo, & revocavit Liberium in vice sua.* Eadem ferè habentur in gestis pontificalibus. Ratio autem dejectionis ejus hæc adfertur in eadem vita: *Et fecit Concilium idem Felix, & invenit duos Presbyteros Romanos consentientes Constantio Augusto Arriano nomine Vrsatium & Valentem, & damnavit eos in Concilio coram quadraginta & octo Episcopis qui fuerant congregati. Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum & secundò rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense juxta Nicomediam in Aquilone villa; & pro hoc declarato eicitur sanctissimus Felix de episcopatu suo à Constantio Augusto filio Constantini Augusti.*

IN PRÆDIOLO SVO] quod erat in via Portuensi, ut legitur in eadem vita sancti Felicis & in gestis pontificalibus. *Et levatus exinde, & ductus in civitatem Coronam, passus est ibi capite truncato, & martyrio coronatus*, inquit auctor vitæ ejus. Ac sanè licèt de martyrio Felicis constans fuerit olim auctoritas, cùm & in vetustis quoque martyrologiis illud conceptis verbis adnotatum sit, ejus tamen sanctitas in magno periculo constituta fuit anno Christi MDLXXXII. quum de emendando Romano Martyrolo- Pag. 142.

gio ageretur. Tum enim, ut ad annum CCCLVII. ait Baronius, ingens inter viros eruditos ad hoc à Gregorio XIII. delectos controversia incidit, expungendusne esset Felix ex eodem Martyrologio ob vitiosum ingressum ejus, quia locum Liberij viventis invaserat, vel absque martyrij titulo relinquendus. Scripserat autem Baronius de eodem argumento volumen haud breve, cui favebant adstipulabanturque complures viri eruditi in urbe Roma tunc existentes. Accidit ergo veluti divino miraculo ut cùm in Diaconia sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani in foro ad templum pacis posita quidam, quibus fortuna, ut Taciti verbo utar, illudebat per vanitatem eorum & promissa cujusdam impostoris, clam altare unum à dextris positum suffoderent ut thesaurum invenirent quem acceperant ibi esse repositum, in marmoream arcam inciderent, in cujus altero latere repertum est corpus sancti Felicis, de quo agimus, unà cum lapideo laterculo ibidem intus posito hisce litteris exarato: CORPVS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM. Sic impositus est finis huic controversiæ, & suus Felici locus servatus in Martyrologio Romano.

PVNIRETVR] Leg. *puniebatur*.

FACTA SYNODO] Istius synodi nulla mentio alibi extat quàm in hac vita sancti Eusebij.

CHRONOLOGIA DIOCLETIANEA.

ANNO CHRISTI CCLXXXIV.

Diocletianus levatur Imperator XII. Kal. Decembris.

CCLXXXV.

Kalendis Aprilis Maximianus Herculius à Diocletiano assumitur in consortium imperij.

CCXCIII.

Kalendis Martiis Diocletianus & Maximianus adoptant Constantium cognomento Chlorum & Galerium Maximianum cognomento Armentarium, eosque nuncupant Cæsares. Constantius repudiat Helenam, ex qua Constantinum, cui postea Magno cognomen hæsit, susceperat, & Theodoram Herculij privignam ducit. Galerius, repudiata quoque conjuge, Valeriam Diocletiani & Priscæ Augustæ filiam accepit uxorem.

CCXCVII.

Narseus Rex Persarum victus fugatusque est à Galerio; & conjux filiæque ejus captæ, cum maxima pudicitiæ custodia reservatæ sunt ad augendam triumphi pompam. Capta magna præda cum ingentibus manubiis.

CCCII.

Diocletianus è Nicomedia, ubi tum regia sedes erat, in orientem profectus, illic substitit usque ad hyemem. Tum verò Nicomediam redux, ibi cum Galerio consultavit de bello Christianis inferendo.

CCCIII.

Persecutio adversùm Christianos hoc anno commota, omnium quæ unquam fuerunt atrociſſima. Initium factum à civitate Nicomedienſi, cujus Eccleſia everſa eſt VII. Kalendas Martias, ipſo Terminalium die. Poſtridie propoſitum eſt edictum Imperatorum & Cæſarum adversùs Chriſtianos, ut per univerſum orbem ſacrificare cogerentur.

Diocletianus Romam proficiſcitur, illicque vicennalia celebrat & triumphum agit de Perſis. Mox facta pace, quæ in tempus Divi Conſtantini reſervata duravit, Perſæ Meſopotamiam cum Tranſtigritanis quinque regionibus reddiderunt, limite imperiorum ſuper ripam Tigridis conſtituto.

Gothi, trajecto Iſtro, vicinam provinciam invaſerunt, & indigenas expulerunt.

Diocletianus offenſus nimia Romanorum dicacitate, ſtatim poſt peracta vicennalia diſcedit, & XIII. Kalendas Ianuarias proficiſcitur Ravennam.

CCCIV.

Diocletianus nonum conſulatum auſpicatur Ravennæ. Poſtea in difficilem morbum incidit, cujus vi de ſtatu mentis ſuæ demotus, demens factus eſt; ac poſt æſtatem, Nicomediam pervenit. Circum illic dedicavit anno poſt vicennalia repleto; & Idibus Decembribus, intercepto ſpiritu, viſus eſt expiraſſe.

Eodem tempore quo Diocletianus nonum conſulatum auſpicatus eſt Ravennæ, Maximianus Herculius octavum iniit Romæ; & annum imperij viceſimum ingreſſus poſtea eſt Kalendis Aprilis. Deinde æſtate ejus anni fuit in Campania.

Fine anni Galerius Maximianus Cæſar Nicomediam venit ad Diocletianum, ut eum compelleret ad deponendum imperium, quum antea idem perſuaſiſſet Herculio.

CCCV.

Kalendis Martiis Diocletianus apud Nicomediam proceſſit in publicum, ut ſe vivum eſſe probaret populo.

Kalendis Maiis Diocletianus prope Nicomediam, Maximianus Herculius Mediolani purpuram deponunt, & Conſtantium Galeriumque Auguſtos nuncupant, Diocletianus Galerium, Herculius Conſtantium.

Eodem die Severus & Maximinus Daza facti sunt Cæsares, nominati quidem à Galerio, sed induti à Maximiano Severus, à Diocletiano Maximinus. Tum Diocletianus in patriam suam, hoc est, Diocleam in Dalmatia, revertitur; ubi præclaro otio consenuit. Herculius in Lucaniam concessit.

CCCVI.

Constantius Aug. filium suum Constantinum repetit à Galerio, apud quem velut obses tenebatur. Is ergo in Galliam profectus, ad patrem in extremis agentem pervenit XII. Kalendas Augusti. Quatriduo pòst Constantius extinguitur Eboraci in Britannia: cui successit Constantinus, cùm patris suprema voluntate, tum militum consensu, qui ei purpuram injecerunt.

Imago laureata Constantini defertur ad Galerium. Ille verò purpuram ad eum misit, Cæsaremque nuncupavit VIII. Kalendas Ianuarias, quum aut eodem die aut paulò antè Severum Augustum dixisset.

Interim, quum imagines Constantini Romam allatæ essent, Maxentius Herculij filius, patre diù retractante, imperium invadit VI. Kalendas Novembris; & patrem, qui tum in Campania erat, ad se vocans, eumque bis Augustum nominans, consortem imperij facit.

CCCVII.

Galerius Maximianus Severum Augustum, cui Italiæ custodia demandata fuerat, exercitum jubet ducere adversùs Maxentium. Ille verò statim Romam obsidet, Ravennam fugit, ad Tres tabernas extinguitur mense, ut videtur, Februario.

Maximianus Herculius bis Augustus in Gallias proficiscitur, ubi Constantinum, qui hactenus Cæsaris appellatione contentus fuerat, Augustum nuncupat pridie Kalendas Aprilis, & eidem in matrimonium locat filiam suam Faustam.

Interea Galerius Maximianus immensum exercitum ducit in Italiam, mortem Severi vindicaturus. Romam frustra obsidet, & redit inglorius in Illyricum.

Tum verò Herculius è Gallia redux, filium Maxentium denudare conatus in concione, convitia militum tulit; & urbe Italiaque pulsus, rursus ad Constantinum pergit in Gallias. Illic aliquantulum moratus, mox Carnuntum in Pannonia ad Galerium profectus, ibi Diocletianum inve-

